Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionescat0009vari

POUGET.

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ.

IX.

TOMUS IX. CONTINET

III. Part. Sect. I.

Cap. 6. De *Extrema-unctione.*

7. *De Ordine.*

8. *De Matrimonio.*

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ

IN MODUM CATECHESEOS,

IN QUIBUS QUIDQUID AD RELIGIONIS HISTORIAM ET ECCLESIÆ DOGMATA, MORES, SACRAMENTA, PRECES, USUS ET CÆREMONIAS PERTINET, TOTUM ID BREVI COMPENDIO EX SACRIS FONTIBUS SCRIPTURÆ ET TRADITIONIS EXPLANATUR;

FATHER'S LIBRARY

EX GALLICO IDIOMATE IN LATINUM SERMONEM TRANSLATÆ:

ADJECTIS SINGULIS È SCRIPTURA ET TRADITIONE PETITIS PROBATIONIBUS ET TESTIMONIIS.

AUCTORE EODEM ET INTERPRETE FRANCISCO-AMATO POUGET, MONTISPESSULANÆO, PRESBYT. CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI, SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE THEOLOGO.

EDITIO NOVA, CUM EMENDATIONIBUS ET APPENDICE.

ALMA COLLEGE 254 LIBRARY P862 Alma, California

TOMUS NONUS.

APUD PERISSE FRATRES, BIBLIOPOLAS,

LUGDUNI
in priori domo
VIA MERCATORIA, 49,
ET VIA CENTRALI, 60.

PARISIIS
in recentiori domo
VIA SANCTI-SULPITII, 38.

1857.

1071

Rev. James Vila P.P.

Avenione, Typis Fr. Seguin, via dicta Bouquerie, 13.

INSTITUTIONES CATHOLICÆ

AD FORMAM CATECHISMI.

TERTIÆ PARTIS SECTIO I.

CAPUT SEXTUM.

De Sacramento Extremæ-unctionis.

§. 1. De præcedentibus hujus sacramenti administrationem, ac primò de Morbo.

Int. QUID est morbus ?

Resp. Morbus est infirmitas vel animæ vel corporis, quam Deus hominibus in pœnam peccati originalis immittit pro beneplacito. (A)

I. Cur Deus morbos immittit ?

R. 1. Ut det nobis occasionem exercendæ humilitatis et patientiæ : 2. Ut caro mortificetur ; et animus abstrahatur à mundi cupiditatibus, et ab amore vitæ hujus fluxæ et caducæ : 3. Ut mortem cogitemus et prævideamus, et subeamus tandem paratiores : 4. Ut peccata nostra diluamus pœnitentiâ salutari : 5. Ut his castigationibus probemur et efficiamur puriores. (B)

(A) EXOD. XV. 26. Si audieris vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te : ego enim Dominus sanator tuus.

2. REG. XXIV. 15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israël.

2. PARALIP. XXI. 18. Percussit eum Dominus alvi languore insanabili.

(B) EXOD. XV. 26. *litt. præced.*

NUM. XII. 9. Iratusque (Dominus) contra eos, (Mariam et Aaron) abiit: 10.... Et ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix. Cùmque respexisset eam Aaron, et vidisset perfusam leprâ, 11. ait ad Moysen : Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stultè commisimus, etc.

DEUT. VII. 15. Auferet Dominus à te omnem languorem : et infirmitates Ægypti pessimas quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.

XXVIII. 15. Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui.... 21. adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra... 22. Percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore et æstu, et aere corrupto.... 27. Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque et prurigine : ita ut curari nequeas. 28. Percutiat te Dominus amentiâ et cæcitate ac furore mentis, 29. Et

I. Quid agere debet Christianus in morbum lapsus?

R. Debet exemplo Jobi, Davidis, Ezechiæ, Tobiæ, subjicere se ultrò Divinæ voluntati; offerre semetipsum hostiam et oblationem Deo: uti morbo tanquam adjumento ad salutem. (C)

palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas.... 59. Augebit Dominus plagas tuas, et plagas seminis tui, plagas magnas et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas. 60. Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, et adhærebunt tibi: 61. Insuper et universos languores, et plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat.

4. Reg. v. 26. *Ait Eliseus ad Giesi:* Accepisti argentum et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas. 27. Sed et lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo, usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

Proverb. III. 11. Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cùm ab eo corriperis: 12. quem enim diligit Dominus, corripit: et quasi pater in filio complacet sibi.

Job. II. 6. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva. 7. Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus: 8. qui testâ saniem radebat, sedens in sterquilinio. 9. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo et morere. 10. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis.

Tob. II. 10. Contigit autem ut quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, jactasset se juxta parietem, et obdormisset, 11. et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus. 12. Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job.

Hebr. XII. 5.... Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. 6. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. 7. In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? 8. Quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii estis.

Apocal. III. 19. Ego quos amo, arguo, et castigo.

(C) Job. I. 20. Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram, adoravit, 21. et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

II. 6. *Vide litt. superiori hocce* 2.

2. Reg. XXIV. 15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israël, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo, à Dan usque ad Bersabee septuaginta millia virorum. 16. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait Angelo percutienti populum: sufficit: nunc contine manum tuam.... 17. Dixitque David ad Dominum, cùm vidisset angelum cædentem populum: Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei.

4. Reg. XX. 1. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem: et venit ad eum Isaïas filius Amos Propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe Domui tuæ: morieris enim tu, et non vives. 2. Qui convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum, dicens: 3. Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno. 4. Et antequam egrederetur Isaïas mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, dicens: 5. Revertere, et

I. Quomodo potest ægrotus uti morbo tanquam adjumento ad salutem ?

R. 1. Statim atque in morbum incidit, cogitet de ineunda denuò gratia, ubi opus est, cum Deo.

2. Sit in ægritudine patiens, temperans, humilis, divinæ Providentiæ subjectus, erga ministrantes et ferentes opem mansuetus.

3. *Aspiciat in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ.* (*Hebr.* XII. 2.) Christo adhæreat. Christi passiones medite-

dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas: et ecce sanavi te, die tertio ascendes Templum Domini. 6. Et addam diebus tuis quindecim annos: sed et de manu Regis Assyriorum liberabo te, et civitatem hanc, et protegam urbem istam propter me, et propter David servum meum.

ISAÏ. XXXVIII. 1. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem: et introivit ad eum Isaïas filius Amos Propheta, et dixit ei: Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives: 2. Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit ad Dominum, 3. et dixit: Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno. 4. Et factum est verbum Domini ad Isaïam, dicens: 5. Vade, et dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas: Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos: 6. et de manu Regis Assyriorum eruam te, et civitatem istam, et protegam eam. 7. Hoc autem tibi erit signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est. 8. Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsùm decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat. 9. Scriptura Ezechiæ Regis Juda, cùm ægrotasset, et convaluisset de infirmitate sua. 10. Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæsivi residuum annorum meorum. Dixi: 11. Non videbo Dominum Deum in terra viventium. Non aspiciam hominem ultrà, et habitatorem quietis. 12. Generatio mea ablata est, et convoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum. Præcisa est velut à texente, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me: de manu usque ad vesperam finies me. 13. Sperabam usque ad manè, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea: de mane usque ad vesperam finies me: 14. sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Domine vim patior, responde pro me. 15. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. 16. Domine si sic vivitur, et in talibus vita spiritûs mei, corripies me, et vivificabis me. 17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima: tu autem eruisti animam meam ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. 18. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non exspectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. 19. Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam. 20. Domine salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

TOB. II. 10. *Vide suprà litt.* (B) *hocce* §. 13. Non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei, 14. sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. 15. Nam sicut beato Job insultabant Reges, ita isti parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes: 16. Ubi est spes tua pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? 17. Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: 18. quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

tur, et *adimplendum* esse sibi cogitet *in carne sua quod deest passionibus Christi.* (*Coloss.* I. 24.)

4. Rebus suis et spiritualibus et temporalibus maturè provideat. Ingravescente morbo Sacramenta omnia quàm primùm sibi conferri procuret.

5. Mortem paratus exspectet, venientemque offerat Deo et ultrò oppetat. (D)

(D) Eccli. xxxviii. 9. Fili in tua infirmitate ne despicias te-ipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te. 10. Averte à delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum. 11. Da suavitatem et memoriam similaginis, et impingua oblationem, et da locum medico: 12. etenim illum Dominus creavit: et non discedat à te, quia opera ejus sunt necessaria. 13. Est enim tempus quando in manus illorum incurras: 14. ipsi verò Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, et sanitatem, propter conversationem illorum. 15. Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici.

Concil. Namnet. *Can.* 4. *tom.* 9. *Concil. Labb. col.* 469. Cùm Sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quàm citiùs ad eum pergat, et ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum et per omne cubiculum aspergat, cum antiphona, *Asperges me Domine*, et versu, *Exsurgat Deus.* Deindè dicat orationem, *Deus qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, etc.* Deindè cantet septem Psalmos, cum precibus pro infirmis. Post hæc, omnes jubeat extra cubiculum secedere, et appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, cum blandè leniterque alloquatur, ut omnem spem suam in Deo ponat, ut flagellum Dei patienter toleret, ut hoc ad purgationem et castigationem suam provenire credat, ut peccata sua confiteatur, ut emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit: pœnitentiam pro culpis commissis spondeat: ut substantiam suam, dum adhuc sensus et ratio in eo vigent, disponat: ut peccata sua eleemosynis redimat, ut his qui in se peccaverunt indulgeat, ut rectam fidem et credulitatem teneat, ut de Dei misericordia nunquam desperet. Cùm his et hujuscemodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, datà benedictione recedat Sacerdos, non post multum reversurus, detque locum ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare.

S. Carol. *Act. Eccles. Mediol. part.* 4. *in Instr. visitat. Infirm. pag.* 444. Præmeditatus (ad ægrotum Pastor) veniet, ut habeat argumenta ad persuadendum apposita, ac præsertim exempla Sanctorum: quæ rectè aptèque adhibita, valdè commovent.... Hortabitur, ut febrim ægritudinemve in quam incidit, patienter ægrotus in Domino ferat: gratiasque ei agat de ægrotatione quâ corpus affligitur: cùm indè animæ utilitas salutaris existere possit, si verè pieque charitatem Dei erga se agnoscens, confirmabit se ipsum in omni patientia: undè fructum uberrimum capiet. Demonstrare poterit, à Deo, qui fons est omnium bonorum, factum esse, ut infirmus prosperam corporis valetudinem amiserit; quoniam illius animæ salutariter consultum esse vult emendatione vitæ antè actæ. Si verò ægrum disciplinæ spiritualis, sanctarumque virtutum studiosum esse animadverterit, morbi vim à Deo illatam esse ostendet, ut in spiritualis vitæ cursu quem suscepit, majori progressione versetur, atque adeò perfectiùs insistat. Habebit etiam Parochus alios locos, quibus infirmum excitabit ad patientiam Christiano homine dignam, et ad fructum ex invaletudine capiendum. Monebit etiam, ut ne dæmonis astu, neque medicorum pollicitationibus, nec propinquorum, aut amicorum, domesticorumve blandis cohortationibus se ullo modo decipi sinat, quò minùs in ea quæ sibi salutaria sunt incumbat. Quare hoc infirmo suadere studebit, ut quod item sanctus Ambrosius è sacris Scripturis monet, salutare Dei in primis concupiscat, nempè Christum Dominum; sicque animæ æternam salutem primò expetens, quærat deindè quæ ad corporis valetudinem attinent.... Monebit ut eleemosynas det quàm plurimas, pro facultatum scilicet ratione, et modo: ut pro se orationem, supplicationemque à religiosis hominibus fieri postulet, omnique ratione curet. Ut item domi suæ pro se, dum æger est, familia quotidiè certâ

I. Quænam maximè peccata cavere et vitare debent ægroti ?

R. 1. Nimiam mollitiem ; 2. impatientiam, murmurationes, querelas præposteras ; 3. nimium vitæ temporalis amorem ; 4. nimium angorem animi, nimiam acerbitatem ; 5. voluntatem obstinatiorem ; 6. animum à susceptione Sacramentorum alienum ; 7. desperationem.

I. Quid agere expedit eos qui curam infirmorum gerunt ?

R. Magnam exhibere debent ægrotis charitatem, patientiam. Sed id maximè curare debent, ut suscipiat quamprimùm ægrotus Ecclesiæ Sacramenta : nec exspectanda gravior vis morbi est.

horà precetur. Ut ipse cùm per morbum potest, aliquid piè meditetur de vanitate mundi, de exemplis patientiæ, de fructu tribulationum, de cœlesti gloria.... Proponet etiam ægrotanti, prout illius conditio tulerit, aliquas breves orationes, quas jaculatorias dicimus ; præsertim è Psalmorum libro sumptas, quæ facilè in promptu sint.

Pag. 445. Suadebit verò semper, ut morbi afflictiones pœnitentiæ loco libenter accipiat, Dominoque pro peccatis suis offerat.

Pag. 446. Monebit etiam ut morbo magis etiam ingravescente, sanctissimum Viaticum, et Extremæ-unctionis sacramentum in tempore petat ; ut dum sensibus integris, et mente viget, piè religiosèque Sacramenta accipiat.... Animadvertet autem, ægrotos tribus potissimùm solere valdè molestis cogitationibus affici, anxièque perturbari : quarum primam affert mortis metus, alteram conscientia peccatorum : tertia oritur ex contemplatione divinæ justitiæ : quamobrem in promptu habebit argumenta ad persuadendum apposita pro conditione ægrotantis : quem lenibus suavibusque verbis alloquetur. Ostendet, mortem Christianis hominibus non modò extimescendam non esse, sed etiam amandam, et expetendam : quæ nisi intercedat, fieri non potest, ut peccati servitute, et hujus vitæ calamitatibus atque incommodis omninò liberati, æternam felicitatem per Jesu Christi meritum consequamur. Atque in hoc suadendi genere rationes et locos sibi sumere poterit ex libro S. Cypriani, qui est *de mortalitate*. Quem metum depellere studebit, non solùm multis aliis rationibus ; sed etiam et sacrarum Litterarum auctoritatibus, et exemplis Sanctorum, et sacris precibus et orationibus.

Si ob affectum quo erga res terrenas irretitus tenetur, aut ob alias causas mortem exhorrescit : hunc affectum expellere conabitur rationibus ab earum vanitate vitioque deductis.

Ad sedandam perturbationem quæ oritur ex conscientia peccatorum, hortabitur, ut frequenti confessionis, et sacræ communionis usu sese religiosè corroboret : credatque omniò Sacramentis peccata infinitâ Dei benignitate deleri.

Ad justitiæ verò Divinæ contemplationem ægrotum valdè se abjicientem eriget commemoratione infinitæ bonitatis divinæ ; quæ nunquam patitur fideles esse destitutos, qui velint, quandiù in hujus vitæ cursu versantur, pœnitentiâ exactæ vitæ peccata diluere.

Si impatientem ægrotum viderit, ei proponet Passionem Christi Domini, tormenta Sanctorum Martyrum, exempla aliorum Sanctorum, Job, Tobiæ, Joseph, et aliorum : merita præterea ostendet patientiæ, quæ multa sunt, et maxima : causas item ostendet afflictionum, quas Deus pater amantissimus et medicus sapientissimus, tanquam medicamenta fidelibus adhibet. Orationibus etiam brevibus utetur, quas unà cum ægroto pronuntiabit, ad illius impatientiam sedandam, depellendamve. Cohortabitur præterea, et consolabitur eum, prout affectum esse viderit : agetque pluribus, aut paucis, pro prudentia charitateque sua. In eoque denique diligens erit, ut omnem infirmi animo mœstitiam abjiciat, paratusque sit, depositum suum, quandocunque illud repetere Deus voluerit, libentissimè reddere.

I. Cur suscipienda sunt ab ægrotis Ecclesiæ Sacramenta antequam vis morbi opprimat ?

R. Ne fortè, si morbi ingravescentis vis exspectetur, tunc infirmior ægroti pœnitentia sit, tunc Sacramenta incassùm ab ægroto suscipiantur. Rem explico.

Omni mentis attentione opus est, ut quis vel corpore valens sacramentum Pœnitentiæ ritè suscipiat. Ad faciendam ut decet conscientiæ discussionem, opus est non mediocri nec exiguâ contentione animi : non facilis est omnium et singulorum peccatorum confessio. Si quis ergo etiam vegetus non mediocrem in his difficultatem experiatur, cùm rem non perfunctoriè, sed seriò, ut par est, aggreditur; sanè per se patet quantum subeat salutis periculum, qui curam hanc et sollicitudinem in extremam ægritudinis periodum remittit. Tunc absorbet animum vis morbi et doloris vehementia, nec licet ferè aliud cogitare : Instantis mortis metus disturbat animum, nec sinit hominem agere quidquam mente sedata et sui satis compote. Quamvis ergo non sit prorsùs desperanda salus eorum, qui nonnisi in extremis positi Sacramenta suscipiunt; est enim immensa Dei misericordia : est tamen quod ipsis valdè timeatur : id experientia docet. Nec satis amicos se præstant ægrotis, qui ne terrorem illis injiciant, non audent ipsos ad Sacramenta suscipienda cohortari, quandiù spes affulget recuperandæ sanitatis. Horum metus præposterus et sæva commiseratio est. Magis timendum ne amicus moriatur impœnitens et oppressus pondere peccatorum, quàm ne ægritudinis suæ vim et periculum sentiens, in nimium terrorem incidat. Hæc unusquisque et sibi et suis seriò cogitet.

I. Quid agere debet ægrotus ut seriò provideat rebus suis ?

R. 1. Debet ex animo in gratiam redire cum inimicis si si quos habet; et si palàm inimicitias gessit, facienda palàm, quantùm licet ægroto, reconciliatio.

2. Si cujus personæ, honori, fortunis nocuit ægrotus, facienda ad strictos juris apices restitutio est, ex consilio Sacerdotis periti, quem tum maximè vocare ad se expedit.

3. Si quod scandalum præbuit ægrotus proximo, amovendum illud est quàm primùm ; et res in integrum, quantùm fieri potest, restituenda ex prudenti Sacerdotis consilio.

4. Sic debet providere rei suæ familiari et domui suæ, ut ante obitum omnia rectè composita sint; nec relinquantur hæredibus vel creditoribus, quantum fieri potest, ulla litium aut discordiæ semina. Ideoque debet ægrotus facere, si opus est, testamentum, juxta omnes Christianæ pietatis et justitiæ regulas. (E)

(E) S. Carol. *Act. Eccles. Mediol. part. 4. in Instruct. visitat. infirm. pag.* 446. Si morbus gravior, et cum periculo fuerit, Parochus ægroto suadebit, ut dum integrâ mente est, rem omnem suam rectè constituat, et testamentum faciat.

In testamenti factione significabit, quanti intersit religiosos homines

§. 2. Quæ regulæ servandæ sunt in Testamento faciendo.

I. Quænam pietatis et justitiæ regulæ servandæ sunt in testamento faciendo?

R. 1. Testator declarare debet velle se ad funus et sepulturam duci sine pompæ : ita ut nihil prætermittatur eorum quæ ad mortuorum solatium pertinent ; scilicet ut orationes , Sacrificia , eleemosynæ offerantur : quidquid autem ad vanitatem adinventum est omninò supprimatur. (A)

doctrinâ et pietatis usu præstantes adesse , de quorum consilio ad remedium animæ suæ in ultima voluntate pro facultatibus aliqua pia opera statuat.

Legata pia quæ fecerit , præstari quàm primùm , aut etiam ipso vivente monebit ; cùm hoc ei plurimùm suffragari possit ad animæ salutem.

Hæc in primis monebit : quæ quanquam semper præstanda sint , tali tamen tempore in primis : ut si quid alieni habet , si per facultates potest , quàm primùm restituat , aut saltem id præstari in testamento caveat.

Ut si de alicujus fama detraxit , curet ei aliquâ ratione satisfacere.

Ut si quos inimicos habet , illis omninò ignoscat , et inimicitias deponat.

Ut si quem offenderit , læseritve , ut potest satisfaciat.

Si ab aliquo læsus , aut fortè vulneratus sit , ei ex animo et toto corde ignoscat offensionemque remittat.

Concil. Paris. *ann.* 1557. *apud* Bochellum *lib.* 3. *Decret. Eccles. Gallican. cap.* 3. *tit.* 22. *de Testam.* Exhortentur Parochi nostri subditos , ut imminente morbo studeant Ecclesiæ Sacramenta recipere , ac extrema voluntatis suæ conficere testamenta , atque exsecutores suos infra annum à die mortis illa adimplere , ut omnibus debitis , ac injustè ablatis satisfaciant , cæterisque per eos malè commissis.

Cap. 8. Ipsos testatores hortari jubemus , ut sua Testamenta coram Parocho , vel ejus Vicario conficiant , adhibitis duobus aut tribus idoneis testibus. Quæ si ipsi Parochi vel eorum Vicarii reciperint , in unum codicem redigant , continentem nomina et cognomina Testatorum , et Parochiam , et diem sepulturæ eorum , quem singulis Synodis sub pœna canonica afferant, et per nos deputandis tradant et exhibeant , ut dicti exsecutores ad debitam exsecutionis rationem reddendam compelli possint. Illis verò modo præfato admissis per Parochum vel Vicarium testamentis , fidem ab omnibus volumus adhiberi. Quæ singula mandet Parochus Officiali nostro infra mensem , à die sepulturæ eorum.

(A) S. August. *lib.* 1. *de Civit. Dei , cap.* 12. *n.* 1. Omnia ista , id est, curatio funeris , conditio sepulturæ , pompa exsequiarum , magis sunt vivorum solatia , quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa , oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exsequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum : sed multò clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium præbuit Angelorum , qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum , sed in Abrahæ gremium sustulerunt.

Concil. Paris. *ann.* 1557. *apud* Bochellum *lib.* 3. *Decret. Eccles. Gallic. tit.* 18. *de Sepult. cap.* 34. Superflua funeris et exsequiarum pompa videtur , quæ ad vivorum potiùs quàm defunctorum solatium inventa est. Defunctis enim subveniunt preces , eleemosynæ , jejunia , oblationes , et Missæ sacrificium.

Ex Synod. Carnot. *ann.* 1526. *Ibid. cap.* 31. Sacerdotes opportunè admoneant Parochianos suos , ut exemplo Tobiæ , Joseph , et aliorum Sanctorum Patrum , curam diligentem habeant sepulturæ fratrum suorum Christianorum defunctorum , ad summæ charitatis , et misericordiæ opus , et certam futuræ resurrectionis exspectationem.

Cap. 38. Moneant Sacerdotes Parochianos suos , ne superfluam diligentiam gerant de pompa funeris , aut sumptuosarum exsequiarum. Talia enim sunt qualiacunque solatia vivorum , non adjutoria mortuorum. In inhumationibus autem defunctorum , laudabile est habere ad minus Presbyterum Parochialem cum Clerico , si plurium copia haberi non

2. Id Christianæ humilitati consentaneum magis, ut eligat unusquisque sepulturam in cœmeterio potiùs quàm in Ecclesia. (B)

possit, cum stola, superpellicio, ac lumine in cereo aut tæda juxta crucem, in veræ fidei illius qui mortuus est signum.

Ex THEODULPHI AURELIAN. *Epist. ad Fratres et Compresbyt. suos Aurelian. Paroch. Sacerd. ibid. cap.* 24. Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, et plerumque loca divino cultui mancipata, et ad offerendas Deo hostias præparata cœmeteria sive polyandria facta sunt. Undè volumus, ut ab hac re deinceps abstineatur, et nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum, talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora verò quæ antiquitùs in Ecclesiis sepulta sunt, nequaquam projiciantur, sed tumuli qui apparent, profundiùs in terram mittantur, et pavimento desuper facto nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi verò tanta est multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, et in eo loco constructo, ubi religiosè et purè Deo sacrificium offerri.

CONCIL. MEDIOL. I. *sub S. Carol. tit. de Sepult.* Non est ferenda nostri temporis insolentia sepulcrorum, in quibus putrida cadavera, tanquam sacrorum corporum reliquiæ, excelso et ornato loco in Ecclesiis collocantur, circumque arma, vexilla trophæa, et alia victoriæ signa et monumenta suspenduntur : ut jam non divina templa, sed castra bellica esse videantur. Ambitiosam igitur hanc in mortuorum corporibus decorandis arrogantiam detestantes, et Ecclesiarum decori consulentes, ejusmodi sepulcra excelso loco posita, et ea quæ parietibus inclusa, vel adjuncta etiam in una parietum parte eminent, nisi marmorea, aut ærea sint; sive illis corpora contegantur, sive inania, et ibi tantùm honoris causà sint constituta, et eorum omnis generis ornatum et apparatum ad tres menses amoveri, ac tolli omninò jubemus, ossaque ac cineres in sacro loco altiùs in terram defodi, ita conditos, ut sepulcrum è solo non emineat.

Et si cui locus sepulturæ deinceps dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur : et sepulcrum, in quo condetur, opere fornicato cum reliquo Ecclesiæ pavimento æquatum sit.

CONCIL. RHEMENSE. *ann.* 1583. *cap.* 16. *de sepult. n.* 1. Quantum autem attinet ad Christianorum sepulturam, quam nec superbam nec neglectam esse decet, aut despectam, Parœci in hanc officii sui partem diligenter incumbant, ut piorum funera Christianæ simplicitatis ac modestiæ limites non excedant.

N. 2. Id autem fiet, si ipsi primùm mercede consuetà et honestà contenti, deindè superfluas impensas, quæ propter ambitionem ac fastum fiunt, vel hæredibus relinqui, vel pauperibus erogari suadeant.

N. 5. Omnes Christiani præsertim laïci, quibus Ecclesiastica sepultura non est interdicta, in cœmeteriis, non autem in Ecclesiis sepeliantur, nisi fortè de consensu Superiorum.

SYNOD. CARNOT. *ann.* 1526. *apud* BOCHELL. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 3. *tit.* 22. *cap.* 1. Testamentorum usus nullis sacræ Scripturæ argumentis probatur : et eâ potissimùm ratione Christianos ad eorum factionem hortari oportet, ut per ea morientium fides sit superstitibus cognita, et ut de debitorum et malè ablatorum, ac fore-factorum restitutione, sine qua peccatum non dimittitur, nec non de legatis in pios usus constituatur, ad animarum salutem. Idcircò Curati hortentur parochianos suos, et maximè corpore infirmos, et moneant ad testamentum faciendum.

(B) CONCIL. NAMNET. *can.* 6. *tom.* 9. *Conc. Labb. col.* 470. Prohibendum etiam, secundùm Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenùs sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut extra Ecclesiam. Intra Ecclesiam verò, aut propè altare, ubi corpus Domini et sanguis conficitur, nullatenùs habeat licentiam sepeliendi.

CONCIL. TRIBUR. *ann.* 895. *can.* 17. *tom.* 9. *Concil. Labb. col.* 450. Secundùm statuta sanctorum Patrum, et experimenta miraculorum, prohi-

3. Si quis liberos minores post se relinquat, curare debet ut ii rectè et Christianè instituantur; et illis eligere Tutorem seu Curatorem inter cognatos vel familiares virum bonum et pium, qui ipsis parentis loco sit. Christus moriens Ma-

hemus et præcipimus, ut deinceps nullus laïcus in Ecclesia sepeliatur. Quidam mirabilis Doctor (Theodulph. Aurelian.) nostræ definitioni consentiens, inquit: Nemo enim in Ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum, talem vivendo suo corpori defuncto locum exquisivit. Corpora antiquitùs in Ecclesia sepulta, nequaquam projiciantur, sed pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi verò hoc præ multitudine cadaverum difficile sit facere, locus ille cœmeterium et polyandrium habeatur, ablato inde altari, et constituto ubi religiosè sacrificium Deo valeat offerri. Beatus Gregorius in miraculis Patrum memoriâ dignum, et huic rei congruum refert miraculum in Genuensi urbe contigisse. Ibi namque quidam Valentinus nomine, Mediolanensis Ecclesiæ Defensor, defunctus est, cujus corpus in Ecclesia beati martyris Syri sepultum est. Nocte autem mediâ in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea repelleretur atque traheretur foràs. Ad quas nimirùm voces cucurrère custodes, et vidère duos quosdam teterrimos spiritus, qui ejusdem Valentini pedes cum ligatura constrinxerant, et eum ab Ecclesia clamantem, ac nimiùm vociferantem foràs trahebant. Qui videlicet exterriti, ad sua strata reversi sunt. Mane autem facto aperientes sepulcrum, ubi idem Valentinus positus fuerat, ejus corpus non invenerunt. Cumque extra Ecclesiam quærerent ubi projectum esset, invenerunt hoc in sepulcro alio positum, ligatis adhuc pedibus, sicut de Ecclesia fuerat abjectum. Ex qua re colligendum est, quia hi quos peccata gravia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciunt, restat ut etiam de sua præsumptione judicentur, quatenùs eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. Quid igitur sacra loca sepultis prosunt, quando hi qui indigni sunt ab eisdem sacris locis divinitùs projiciuntur? Sancta Synodus dixit: Mira res, et multis expavescenda. Ideoque per futura temporum curricula ab omnibus observanda.

Concil. Bracarense *ann.* 593. *can.* 18. Placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in Basilica Sanctorum sepeliantur. Sed si necesse est de foris circa murum Basilicæ usque adeò non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quantò magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere.

Concil. Meldense *ann.* 845. *can.* 72. *tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 1841. Ut nemo quemlibet mortuum in Ecclesia, quasi hæreditario jure, nisi quem Episcopus, aut Presbyter pro qualitate conversationis et vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat.

Hoc Concil. in **Concil. Paris.** *ann.* 846. *aut* 847. *publicatum fuit, et hic Can. de sepeliendis extra Ecclesiam laïcis in cap.* 19. *confirmatus est.*

Concil. Rhemens. *ann.* 1583. *cap.* 16. *n.* 5. *Vide hocce §. litt.* (A)

Concil. Provinc. Mediol. I. *sub S. Carol. part.* 2. *de sepulturis.* Monemus verò Episcopos, ut morem multis locis intermissum, mortuos in cœmeteriis sepeliendi, restituendum curent, indè submotis, si qui ea usurparint. Et si cui locus sepulturæ deinceps dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur: et sepulcrum, in quo condetur, opere fornicato cum reliquo Ecclesiæ pavimento æquatum sit.

Concil. Provinc. Mediol. IV. *sub S. Carol. part.* 1. *titul. de sepulcris.* Ne sepulturæ locus quovis nomine cuiquam detur: neve sepulcra fiant, construanturve in ulla quavis Ecclesia sine Episcopi concessu scriptis exarato. In choro autem, vel capella majori nullo modo. Nec verò in aliis Ecclesiis locis propè altaria, nisi tam longè sepulcra distent, ut sepulcrale os à scabello, seu bradella altaris procul absit, spatio saltem cubitorum trium. Quæ autem propiùs exstructa jam sunt, omninò amoveri obstruive decernimus.

trem suam virginem dilecto Discipulo commendavit. (C)

4. Ante omnia curandum ut injustè vel ablata vel detenta restituantur, et solvatur æs alienum. (D)

5. Famuli et servi debent singuli pro meritis mercede et præmio affici, idque non parcè, sed liberaliter; maximè quorum sæpiùs probata fides et subjectio fuit. (E)

6. Leges et consuetudines et statuta regionis in quibus fit testamentum ad amussim serventur, sive quòd spectat ad bonorum dispositionem, sive quòd spectat ad legata, sive quòd spectat ad faciendi testamenti formulas. Nec unquam in fraudem legum fideicommissa facienda. (F)

(C) JOAN. XIX. 26. Cùm vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ : Ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

(D) *Vide* SYNOD. CARNOT. *ann.* 1526. *suprà laudatam hocce* §. *litt.* (A) *Et Epist.* 153 *alias* 54. S. AUG. *ad Maced. Vide suprà Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 8. §. 4. *litt.* (E) *et hujusce Sect. Cap.* 5. §. 23. *litt.* (F)

(E) ECCLI. VII. 22. Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. 23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.

XXXIII. 31. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua : quasi fratrem sic eum tracta : quoniam in sanguine animæ comparasti illum.

(F) ROM. XIII. 1. Omnis anima potestatibus subdita sit : Non est enim potestas nisi à Deo : quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. 2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.... 5. Ideò necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.... 7. Reddite ergo omnibus debita.... cui timorem, timorem : cui honorem, honorem.

S. AUG. *Propos. ex Epist. ad Rom. expos. Propos.* 72. Quod autem ait, *Omnis anima potestatibus* sublimioribus *subdita sit : non est enim potestas nisi à Deo* (*Rom.* XIII. 1.) rectissimè jam monet, ne quis ex eo quòd à Domino suo in libertatem vocatus est, factusque Christianus, extollatur in superbiam, et non arbitretur in hujus vitæ itinere servandum esse ordinem suum, et potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, putet non se esse subdendum. Cùm enim constemus ex anima et corpore, et quandiù in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ hujus vitæ utamur; oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa verò parte, quà credimus Deo, et in regnum ejus vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est. Si quis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis quæ hæc curant postestatibus; in magno errore versatur. Item si quis sic se putat esse subdendum, ut etiam in suam fidem habere potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis aliquà sublimitate præcellit : in majorem errorem labitur. Sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse præscribit, ut reddamus Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt. Quanquam enim ad illud regnum vocemur, ubi nulla erit potestas hujusmodi : in hoc tamen itinere dum agimus, donec perveniamus ad illud seculum, ubi fit evacuatio omnis principatûs et potestatis, conditionem nostram pro ipso rerum humanarum ordine toleremus, nihil simulatè facientes, et in eo ipso non tam hominibus quàm Deo, qui hæc jubet, obtemperantes.

Propos. 74. Quod autem ait, (*Ibid.* 5.) *Ideóque necessitati subditi estote*, ad hoc valet, ut intelligamus, quia necesse est propter hanc vitam sub-

7. **Mentem suam sic debet testator pandere et declarare, ut nullus, si fieri potest, relinquatur ambigendi locus, nec interpretationis moveri possit actio.** (G)

8. **In legatis anteponendi consanguinei pauperes divitibus; et fugienda eorum superbia qui suos cognatos pauperes despiciunt, nec pro suis haberi volunt nisi divites sint.** (H)

ditos nos esse oportere, non resistentes si quid illi auferre voluerint, in quod sibi potestas data est, de temporalibus rebus; quæ quoniam transeunt, ideò et ista subjectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessariis huic tempori constituenda est. Tamen quoniam dixit, *Necessitati subditi estote;* ne quis non integro animo et purâ dilectione subditus fieret hujusmodi potestatibus, addidit, dicens, (*Ibid.*) *non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, id est, non solùm ad iram evadendam, quod potest etiam simulatè fieri; sed ut in tua conscientia certus sis, illius dilectione te facere, cui subditus fueris jussu Domini tui.... Hoc est quod servis alio loco suadet, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes (*Ephes.* VI. 6.): ut idipsum quòd subduntur dominis suis, non eos oderint, aut fallaciis promereri desiderent.

Tract. 6. *in Joan. Evang. n.* 25. Ecce sunt villæ: quo jure defendis villas? Divino an humano? Respondeant: divinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in legibus Regum. Undè quisque possidet quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino, *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII. 1.): pauperes et divites Deus de uno limo fecit, et pauperes et divites una terra supportat. Jure tamen humano dicit, Hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est: jure ergo humano, jure Imperatorum. Quare? Quia ipsa jura humana per Imperatores et Reges seculi Deus distribuit generi humano. Vultis legamus leges Imperatorum, et secundùm ipsas agamus de villis? Si jure humano vultis possidere, recitemus leges Imperatorum: videamus si voluerunt aliquid ab hæreticis possideri. Sed quid mihi est Imperator? Secundùm jus ipsius possides terram. Aut tolle jura Imperatorum, et quis audet dicere, Mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est? Si autem ut teneantur ista ab hominibus, jura acceperunt Regum, vultis recitemus leges, ut gaudeatis quia vel unum hortum habetis, et non imputetis nisi mansuetudini columbæ, quia vel ibi vobis permittitur permanere? Leguntur enim leges manifestæ, ubi præceperunt Imperatores, eos qui præter Ecclesiæ Catholicæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere.

N. 26. Sed quid nobis et Imperatori? Sed jam dixi, de jure humano agitur. Et tamen Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, et dixit, Regem reveremini. (1. *Petr.* II. 17.) Noli dicere, Quid mihi et Regi? Quid tibi ergo et possessioni? Per jura Regum possidentur possessiones. Dixisti, Quid mihi et Regi? Noli dicere possessiones tuas: quia ad ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones.

S. HIERON. *Epist.* 34. *alias* 2. *ad Nepot. tom.* 4. *part.* 2. *col.* 260. *edit. novæ.* Pudet dicere: Sacerdotes idolorum; mimi, et aurigæ; scorta cur hæreditates capiunt: solis Clericis et Monachis hoc lege prohibetur: et prohibetur non à persecutoribus, sed à principibus Christianis. Nec de lege conqueror: sed dolco cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est; sed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio? Provida severaque legis cautio, et tamen nec sic refrænatur avaritia. Per fidei commissa legibus illudimus, et quasi majora sint Imperatorum scita, quàm Christi, leges timemus, Evangelia contemnimus.

(G) ECCLI. XXXIII. 24. Ne dederis maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitûs tui distribue hæreditatem tuam.

(H) POSSID. *in vita S. August. cap.* 24. Domum, agrum, seu villam nunquam emere voluit. Verùm si fortè Ecclesiæ à quoquam sponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suscipi jubebat. Nam et aliquas eum hæreditates recusasse novimus, non

9. Toparchæ, maximè si sub sua ditione Parochias habeant, subjectos sibi pauperes præ aliis adjuvent, et eos præsertim quorum ope atque operâ usi sunt : id præscribit ordo charitatis.

10. In legatis quæ in Ecclesiarum gratiam fiunt, habenda ratio est præ cæteris earum quæ magis ad nos pertinent : et in his earum quæ pauperiores sunt. Ecclesia Parochialis alteri anteponenda. Parochia rustica et pauper, urbanæ diviti anteponenda, si in utraque domicilium habeatur.

11. Si legata fiant in gratiam Monasteriorum, quod valdè laudabile ; pauperiora et regularis observantiæ tenaciora cæteris anteponenda.

12. Si quid detur Ecclesiis quod patere debeat oculis adventantium, cavendum ne sculpantur vel pingantur vel contexantur in eo, maximè si sint ornamenta sacra, vel sacræ vestes, insignia et stemmata gentilia. Cavendum enim est homini Christiano ab omni ostentatione ; deindè id fieri sacri Canones vetuerunt : nec licet Sacerdotibus hanc inanem pompam ferre in sacris vestibus. Solis Regibus et magnis ad summum Principibus vestes sacras Ecclesiæ dantibus id concedendum.

13. Si annui redditus à testatore constituantur ad bonum aliquod opus, cavendum ne quid fiat contra leges Ecclesiæ. Quòd si ignorentur à testatore leges Ecclesiæ, priùs ab eo consulendi sunt viri sacrorum Canonum et disciplinæ Ecclesiasticæ periti, quorum sit nota integritas, alii ab eis in quorum gratiam facienda constitutio est. In ejusmodi autem constitutionibus annui et perpetui redditûs, illæ cæteris anteponendæ, quæ magis in rem Ecclesiæ et in salutem proximi fuerint.

14. Cavendum divitibus ne sic liberos ex asse hæredes relinquant, ut nihil xenodochiis, nihil Ecclesiis, nihil in bona opera hujusmodi legetur : vel ne partem maximam hæreditatis in pia legata distrahant, solâ portione legitimâ liberis relictâ : vel ne liberos cæterosve consanguineos exhæredes temerè faciant. Tunc solùm vera et laudabilis pietas est, cùm redditur unicuique quod suum est. Quod cognatis ex Legum beneplacito debetur, id ipsis relinqui æquum est, et divinæ voluntati consentaneum. Si quæ sibi legentur in præjudicium cujuscunque, id non probat Ecclesia. (1)

quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam justum et æquum esse videbat, ut à mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus ea deficientes dimittere noluerant.

Cap. 31. *versùs finem.* Nec suos consanguineos, vel in proposito, vel extra constitutos, in sua vita et morte vulgi more tractavit : quibus, dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod et cæteris, erogavit, non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minùs egerent.

(1) S. AUGUST. *Serm.* 355. *aliàs de divers.* 49. *cap.* 2. *n.* 3. Venit ad nos etiam presbyter Januarius, qui videbatur sua honestè erogando quasi consumpsisse, sed non consumpsit. Remansit illi quædam pecunia, id

15. Si quis beneficium habet Ecclesiasticum, hunc quidquid possidet ex bonis paternis vel adventitiis, æquum est consanguineis suis relinquere : Quidquid autem superest ex bonis Ecclesiæ, deductis singulis oneribus beneficii, id debet totum expendi in bona opera et pios usus, in eo loco maximè in quo beneficium positum est. Neque enim ea Ecclesiæ mens est ut bona Ecclesiastica quæ Dei sunt, dicunturque patrimonia pauperum, consanguineis donentur, et cum cæteris familiæ bonis confundantur. (K)

est, argentum, quod diceret esse filiæ suæ.... Cœpit ille morti propinquare : qui diù tanquam de suo, jurans quia ipsius erat, non filiæ, testamentum fecit. Testamentum, inquam, fecit Presbyter et socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, hæredes instituit. O dolor illius societatis ! ô fructus natus, non de arbore quam plantavit Dominus ! Sed Ecclesiam scripsit hæredem ? Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam, societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret. Habebat aliquid ? non se nostrum socium quasi Dei pauperem fingeret. Magnus inde mihi dolor est, fratres. Dico Charitati vestræ, propter hunc dolorem statui hæreditatem ipsam in Ecclesia non suscipere. Filiorum ipsius sit quod reliquit, ipsi indè faciant quod voluerint. Videtur enim mihi quia si eam suscepero, in isto facto, quod mihi displicet, et quod doleo, ejus particeps ero.

N. 4. Tamen rogo vos, nemo me reprehendat, quia ejus hæreditatem nolo suscipiat Ecclesia. Primò, quia factum illius detestor : deindè, quia institutum meum est.... Profiteor me suscipere oblationes bonas, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur in filium suum, et moriens exhæredat eum, si viveret, non eum placarem ? non ei filium suum reconciliare deberem ? Quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem ? Sed planè, si faciat quod sæpè hortatus sum : unum filium habet, putet Christum alterum : duos habet, putet Christum tertium ; decem habet, Christum undecimum faciat, et suscipio.

(K) S. Hieron. *in Ezechiel. cap.* xlvi. *tom.* 3. *novæ edit. col.* 1050. Suggillat non solùm illius temporis Sacerdotes, et Principes ; sed nostri quoque, qui diliores fiunt Sacerdotii dignitate ; et præter ea quæ sibi Domini dispositione debentur, tollunt à pauperibus per violentiam ; vel sub honoris nomine divites spoliant ; ut ipsis quoque filiis suis, quibus paterna debetur hæreditas, nihil debeant derelinquere, nisi quod sibi à parentibus derelictum est. Ergo qui ditior est Sacerdos, quàm venit ad sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare ; sed pauperibus, et sanctis fratribus, et domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum ; ut reddat ea quæ Domini sunt, Domino suo, qui loquitur in Evangelio : (*Matth.* xxv. 40.) *Quidquid uni istorum fecistis, mihi fecistis.* Ipse enim in pauperibus suscipitur hospitio ; visitatur in carcere ; nudus tegitur ; sitiens bibit ; saturatur esuriens.

Canones Apost. *Can.* 39. *ex* Gentiani Herveti *interpretat.* Manifestæ sint Episcopi res propriæ si quidem res habet proprias, et manifestæ res Dominicæ : ut sit in potestate morientis Episcopi, propria quibus vult et ut vult relinquere, et non rerum Ecclesiasticarum prætextu res Episcopi intercidant, qui nonnunquam uxorem habet et liberos vel cognatos, vel famulos. Est enim justum apud Deum et homines, ut nec Ecclesia damnum aliquod accipiat propter rerum Episcopi ignorationem : nec Episcopus vel ejus cognati Ecclesiæ prætextu proscribantur, vel in negotia litesque incidant, qui ad eum attinent, et ejus mortem maledictis infaustisque verbis prosequantur.

Id. Can. 39. *ex* Dionys. exigu. *Interpret.* Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex his aliquid omninò contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt, condonare. Quòd si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædetur.

CONCIL. AGATHENSE *ann.* 506. *seu potiùs* CONCIL. EPAONENS. *Can.* 48. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1391. Ut de rebus Episcopi propriis vel acquisitis, vel quidquid Episcopus de suo proprio habet, hæredibus suis, si voluerit, derelinquat. Quidquid verò de provisione Ecclesiæ suæ fuerit, sive de agris, sive de frugibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ reservare censuimus.

CONCIL. CARTHAG. III. *ann.* 397. *Can.* 49. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1177. Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur et tempore Episcopatûs vel Clericatûs sui, agros vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur obnoxii, nisi admoniti, Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant indè quod eorum proposito congruit. Quòd si à suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni, tanquam reprobi, judicentur.

CONCIL. TURONENS. III. *ann.* 813. *can.* 10. *Tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 1262. Episcopi quidem maximam curam et sollicitudinem circa pauperes habeant, et res Ecclesiasticas Ecclesiis collatas cautâ circumspectione dispensent, quasi Dei ministri, non quasi turpis lucri sectatores : illisque ita utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.

CONCIL. CABILONENS. II. *ann.* 813. *can.* 6. *tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 1273. Imputatur quibusdam fratribus, eò quòd avaritiæ causâ hominibus persuadeant, ut abrenuntiantes seculo res suas Ecclesiæ conferant : quod penitùs ab omnium mentibus eradicandum est. Animarum quippè salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena, debet : quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumveniendi. Oblatio namque spontanea esse debet, juxta illud quod ait Scriptura : *voluntariè sacrificabo tibi* (*Ps.* LIII. 8.) ; et illud : *omnis populus mente devotâ obtulerunt donaria Domino.* (*Exod.* XXXV. 29.) Ecclesia verò sancta non solùm fideles spoliare non debet : quin potiùs inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, viduæ, orphani, et cæteri necessitatem patientes, à sancta Ecclesia, ut putà à pia matre et omnium gubernatrice, subsidium accipiant : quia res Ecclesiæ quibus Episcopi non ut propriis, sed ut commendatitiis uti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium.

CONCIL. PARIS. VI. *ann.* 829. *can. tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 1612. Quoniam multi Episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis, suo aut quorumlibet amicorum nomine, prædia aut mancipia emunt, et ut in suorum propinquorum jus cedant statuunt, et ob hoc, et jura Ecclesiastica convellentur, et ministerium Sacerdotale fuscatur, imò à subditis detrahitur et contemnitur. Placuit omnibus, ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur, fixumque abhinc et perpetuò mansurum esse decrevimus, ut Episcopus res sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certè in Episcopatu, hæreditariâ successione acquisivit secundùm auctoritatem canonicam, quidquid vult faciat, et cui vult conferat. Postquam autem Episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione comparaverit, decrevimus ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant. Similiter et de Presbyteris, qui de Ecclesiarum rebus, quibus præsunt, prædia eo modo emunt, faciendum statuimus : quoniam multos Presbyterorum occasione taliter emptarum rerum Ecclesias quibus præsunt, exspoliasse, et à suo ministerio multis modis exorbitasse, et se diabolo mancipasse, multosque laicorum ex hoc facto in scandalum damnationis protraxisse cognovimus.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.* Omninò verò (Synodus Clericis) eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant : cùm et Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent ; sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant ; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causâ : imò, quàm maximè potest eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, undè multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat,

Has ferè regulas observare debet homo Christianus in testamenti factione. Sed piam hanc et legitimam bonorum dispensationem ab uno quoque dum adhuc vita agitur fieri multò satiùs est ; ita ut testamentum nihîl aliud sit quàm continua et ad posteros transmissa series eorumdem pietatis et justitiæ et charitatis operum, quibus pleni debent esse dies hominis verè Christiani. (L)

penitùs deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica, tam secularia quàm regularia obtinentibus, pro gradûs sui conditione observari, sed et ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.

(L) Eccli. xiv. 13. Ante mortem benefac amico tuo, et secundùm vires tuas exporrigens da pauperi. 14. Non defrauderis à die bono, et particula boni doni non te prætereat. 15. Nonne aliis relinques dolores et labores tuos in divisione sortis. 16. Da, et accipe, et justifica animam tuam. 17. Ante obitum tuum operare justitiam : quoniam non est apud inferos invenire cibum. 18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi. 19. Alia generantur, et alia dejiciuntur : sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur. 20. Omne opus corruptibile in fine deficiet : et qui illud operatur, ibit cum illo. 21. Et omne opus electum justificabitur : et qui operatur illud, honorabitur in illo.

Salvian. *lib.* 1. *ad Eccles. Cathol.* Nos itaque usum tantùm earum rerum accepimus quas tenemus : commodatis enim à Deo facultatibus utimur, et quasi precarii possessores sumus. Denique egredientes è mundo isto, velimus nolimus hîc cuncta relinquimus. Cur ergo cùm possessores usufructuarii simus, quod nobiscum auferre atque asportare non possumus, avertere à proprietario Domino atque alienare tentamus ? cur non bonâ fide à Deo resculis utimur ? Tenuimus quoad licuit : tenuimus quod permisit ille qui præstitit. Quid rectiùs ? quid honestiùs ? quàm ut ubi res ab eo discedit qui usum habuit, revertatur ad eum possessio, qui utendam concessit ? Denique etiam ipsum hoc Dei voces per linguas litterarum sacrarum jubent, dicentes quotidiè ad unumquemque nostrûm ; (*Prov.* iii. 9.) *honora Dominum de tua substantia.* Et alibi : (*Eccli.* iv. 8.) *Redde*, inquit, *debitum tuum.* Quàm pius est et indulgens nobis Dominus Deus noster, qui invitans ad erogandam terrenæ substantiæ facultatem, *honoræ*, homini inquit, *honora Dominum de tua substantia :* cùm utique totum suum sit quod ab eo accepimus, nostrum esse dicit ut demus : ideò scilicet nostrum appellans, proprietate possessionis, ut major sit merces operantis ? quia plus fructum necesse est largitor habeat, ubi de suo videtur esse largitor. Sed tamen ne hoc ipso humana mens insolesceret, quòd substantiam hanc Dominus nostram esse dixisset, adjecit salubriter : *Redde debitum tuum*, hoc est, ut quem devotio non illiceret ad largiendum, necessitas cogeret ad exsolvendum : et quem ad opus sanctum fides sua ipsa non retraheret, saltem necessitas coaretaret. Priùs ait : *honora Dominum de tua substantia*, deindè : *redde*, inquit, *debitum tuum :* hoc est dicere : Si devotus es, da quasi tuum : si indevotus, redde quasi non tuum. Benè itaque posuit et dandi voluntatem, et solvendi necessitatem. Hoc est utique dicere omni homini, Ad opus sanctum et hortatione invitaris, et exactione constringeris. Da si vis, redde si non vis.... Quomodo se quidam reos futuros omninò esse non putant, si nec in morte sibimet per dispensationem substantiæ consuluerint, huic seculo servientes, cùm etiam ex hoc rei sunt, quòd usque ad mortem cuncta servaverint ? Aut quomodo rei non erunt, qui facultates suas ad quoscunque homines infidelissimâ vanitate transmiserint, cùm etiam illi rei futuri sint, qui non se ipsos in vita ista aliquâ ob honorem Dei rerum suarum parte privaverint... Unum ergo est, quod amissis omnibus adjumentis atque subsidiis perfugium nutanti ac destituto opitulari queat, ut confugiat scilicet ad illud beatissimi Danielis sacrum ac salubre consilium : qui Babylonio Regi mederi volens, ulceribus de offensione contractis, malagma de miseratione composuit, dicens : (*Dan.* iv. 24.) *Propter quod, Rex,*

§. 3. De iis quæ ad ipsum Extremæ-unctionis sacramentum attinent.

I. Quid est Extrema-unctio ?

R. Extrema-unctio sacramentum est, quo ægrotis Christianis per inunctionem sacri olei cum certa orationis formula et dantur auxilia necessaria ad ferendas patienter ægritudinis molestias, et vires adduntur ad resistendum diabolo, et delicta si quæ sunt adhuc expianda, et peccati reliquiæ absterguntur, et interdum sanitas corporis, ubi saluti animæ expedierit, conceditur. (A).

consilium placeat tibi : peccata tua misericordiis redime. et injustitias tuas in miserationes pauperum, fortasse erit patiens Deus delictis tuis. Ita ergo et iste faciat, ut ille dixit : utatur medicamento alii oblato ad sua vulnera, vereatur contumaciæ inobedientis exemplum, cogitet quid ipse sit passurus in morte, cùm videat quæ Rex Assyrius pertulerit in vita. Evidens est de superbia ac rebellione documentum, consideret an ipse si non audierit, mortuus evasurus sit, cùm videat quòd Rex ille qui non audivit, se ipsum vivus amisit. Offerat ergo vel moriens, ad liberandam de perennibus pœnis animam suam, quia aliud jam non potest, saltem substantiam suam : sed offerat tamen cum compunctione, cum lacrymis offerat, cum dolore, cum luctu. Aliter quippè oblata non prosunt : quia non pretio sed affectu placent : nec enim animus dantis datis, sed animo commendantur data : nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides. Ac per hoc qui prodesse sibi vult, quæ Deo offert hoc modo offerat : neque enim homo Deo præstat beneficium in his quæ dederit, sed Deus in his homini quæ acceperit : quia etiam quod homo habet, Dei ac Domini sui munus est, ac per hoc in his quæ offeruntur ab homine homo non suum reddit, Dominus suum recipit. Itaque cùm offert Deo quispiam facultates suas, non offerat quasi præsumptione donantis, sed quasi humilitate solventis : nec absolvere se peccata sua credat, sed abluere : nec offerat cum redemptionis fiducia sed cum supplicationis officio : nec quasi tolum debitum reddens, sed quasi vel parum de magno reddere cupiens : quia etiam si tradat quod habet pro modo rerum, non reddit quod debet pro magnitudine peccatorum. Et ideò licèt offerat, oret Deum, ut lenta sua placeat oblatio, plangens id ipsum quòd tardè offert : plangens ac pœnitens quòd non priùs. Sic erit ut juxta Prophetam *propitietur forsitan Deus delictis suis...* (*Dan.* IV. 24.) Grandis enim munificentia ac devotio futura est, quæ possit id compensare, quòd hæc tum demùm Domino tuo reddis, quando habere ipse jam non potes. Præsertim cùm addatur ad ista omnia, quòd Prophela ipse, qui Regem illum ad redemptionem criminum vocat, per hæc ipsa quæ dicit debere fieri, non tam ei veniæ securitatem, quàm viam inquirendæ salutis ostendit. Dicens enim ad eum : *Peccata tua in misericordiis redime, et forsitan propitiabitur Deus delictis tuis* : hoc ipsum quod dicit *forsitan*, spem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi potest, quàm difficilè jam id supremis positi peccatores quàlibet munificentiâ ad perfectam indulgentiam pervenire possint : quando Propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non ausus est promerendam : dat consilium de actu, et tamen dubitat de effectu. Hortatorem se agendi, non impetrandi auctorem facit.

(A) JACOB. V. 14. *Vide in Responsione sequenti, et in ipso Concil. Trident. hîc laudato.*

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *cap.* 1. Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam verè et propriè sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum (*Marc.* VI. 13.), per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum. *Infirmatur*, inquit (*Jacob.* V. 14. *et* 15.), *quis in vobis : inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum olco in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum : et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quibus verbis, ut ex Apostolica

Est autem Extrema-unctio sacramentum, hoc est, signum sensibile gratiam conferens. Signum sensibile habes in unctione olei et oratione; Gratiam in effectibus mox dictis.

I. Quâ ratione constat signo hoc sensibili supradictam gratiam conferri ?

R. Id constat ex Scriptura et Traditione.

Infirmatur quis in vobis ? inquit Jacobus Apostolus (v. 14. 15.) *inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum : et alleviabit eum Dominus; et si inpeccatis sit, dimittentur ei.*

Habes hîc in Scriptura signum sensibile, Christi Domini nomine et auctoritate usurpatum à Sacerdotibus Ecclesiæ, quo detur ægrotis sanitas animæ et corporis. Quid ampliùs esse debet ad Sacramenti rationem ?

Nec minùs certa est ea de re Traditio. De hoc enim sacramento mentio fit apud SS. Patres antiquissimos Origenem, Chrysostomum, Innocentium I., Cyrillum Alexandrinum, Augustinum, Gregorium magnum. Accedit hæc et cætera hujusmodi testimonia auctoritas Conciliorum, et perpetuus nec unquam interruptus usus Ecclesiæ, ab Apostolorum tempore ad nostram usque ætatem serie continuâ perductus, ad ægrorum solatium. (B)

traditione, per manus acceptâ, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus salutaris sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. Nam unctio aptissimè Spiritûs sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat; formam deindè esse illa verba, *per istam unctionem*, etc.

(B) Origen. *Homil.* 2. *in Levit. pag.* 68. Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm *lavat* peccator in *lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte*, (*Psal.* vi. 7.) et cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicari peccatum suum, et quærere medicinam, secundùm eum qui ait : *Dixi, Pronuntiabo adversùm me injustitiam meam Domino ; et tu remisisti impietatem cordis mei.* (*Psal.* xxxi. 5.) In quo impletur et illud, quod Apostolus dicit : *Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum : et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* (*Jacob.* v. 14. *et* 15.)

S. Joan. Chrysost. *Lib.* 3. *de Sacerdot. c.* 6. Parentes nos in præsentem, Sacerdotes in vitam æternam generant. Atque illi certè ne corporalem quidem interitum à liberis amoliri possunt, neque ingruentem morbum propulsare : cùm hi laborantem ac morti jam jam propinquam animam identidem servarint : aliis remissiorem pœnam infligentes : alios prorsùs labi non permittentes, non doctrinæ solùm atque commonitionis, sed etiam precum præsidio : neque enim solùm cùm nos regenerant, sed posteà etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. *Infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis, accersat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et observatio fidei salvum reddet laborantem, et eriget eum Dominus, et si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

S. Innocent. PP. I. *Epist.* 1. *ad Decent. cap.* 8. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1247. Quod in beati Apostoli Jacobi Epistola conscriptum est : *Si infirmus aliquis in vobis est, et vocet Presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit laborantem, et suscitabit*

illum Dominus : et si peccata fecit , remittet ei. Quod non est dubium , de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere , qui sancto oleo chrismatis perungi possunt : quo ab Episcopo confecto , non solùm Sacerdotibus , sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Cæterùm illud superfluum videmus adjectum , ut de Episcopo ambigatur , quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcircò de Presbyteris dictum est , quia Episcopi occupationibus aliis impediti , ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm , si Episcopus aut potest , aut dignum ducit , aliquem à se visitandum , et benedicere et tangere chrismate sine cunctatione potest , cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest , quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi ?

S. Cyrill. Alexand. *Lib.* 6. *de Adorat. in spiritu et verit. adversùs incantationes loquens ;* Tu verò , si qua tibi pars corporis dolet , et verè credis hæc verba, Dominus sabaoth, et alias hujusmodi appellationes, quas Deo, qui secundùm naturam est , divina Scriptura tribuit, vim habere putas pellendit malum illud ; pro te ipso preces fundens hæc verba pronuntia : sic enim rectiùs quàm illi facies , neque impuris spiritibus , sed Deo gloriam tribues. Commemorabo etiam divinitùs inspiratam Scripturam quæ ait : (*Jacob.* v. 14.) *Infirmatur quis in vobis ? inducat* , etc.

S. August. *in Speculo de Epist. Jacob. exscribit Apost. verba* Infirmatur quis in vobis , etc.

Serm. 265. *Append. aliàs de temp.* 215. S. Cæsarii. 66. *n.* 3. Quotiens aliqua infirmitas supervenerit , corpus et sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat : et indè corpusculum suum ungat ; ut illud quod scriptum est impleatur in eo , *Infirmatur aliquis , inducat Presbyteros , orent super eum ungentes eum oleo , et oratio fidei salvabit infirmum , et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit , dimittentur ei.* Videte , fratres , quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit , et corporis sanitatem recipere , et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.

S. Greg. *Lib. Sacrament. Oratio ad infirmum ungendum.* Inungo te de oleo sancto , sicut unxit Samuel David in Regem et Prophetam. Operare , creatura olei in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic spiritus immundus , neque in membris illius , neque in medullis , neque in ulla compagine membrorum : sed in te habitet virtus Christi altissimi et Spiritùs sancti.

Deindè à Sacerdote dicatur hæc Oratio :

Domine Deus , qui per Apostolum tuum loculus es , *Infirmatur quis in vobis ? Inducat Presbyteros Ecclesiæ , et orent super eum , ungentes eum oleo sancto in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum ; et allevabit eum Dominus : et si in peccatis est , dimittentur ei ;* Cura quæsumus , Redemptor noster , gratiâ Spiritùs sancti languores istius infirmi , et sua sana vulnera , ejusque dimitte peccata , atque dolores cunctos cordis et corporis expelle , plenamque ei interiùs exteriùsque sanitatem misericorditer redde : ut ope misericordiæ tuæ restitutus et sanatus , ad pristina pietatis tuæ reparatur officia : Per , etc.

Et sic flectat genu vel genua qui est languidus , et stet ad dexteram Sacerdotis.

Et sic perungat infirmum de oleo sanctificato , cruces faciendo in collo et gutture , et inter scapulas , et in pectore : seu in loco , ubi plus dolor imminet , ampliùs perungatur : et supplicando , dum ungitur infirmus , dicat unus ex Sacerdotibus hanc orationem :

Sequitur Oratio. Inungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritùs sancti : ut non lateat in te spiritus immundus , neque in membris , neque in medullis , neque in ulla compagine membrorum : sed in te habitet virtus Christi altissimi , et Spiritùs sancti : quatenùs per hujus operationem mysterii , et per hanc sacrati olei unctionem , atque nostram deprecationem , virtute sanctæ Trinitatis medicatus , sive fotus , pristinam et immelioratam recipere merearis sanitatem. Per eumdem.

Sequitur hæc Oratio. Domine Deus , Salvator noster , qui es vera salus , et medicina , et à quo omnis sanitas , et medicamentum venit , quique nos Apostoli documento instruis , ut languentes olei liquore orantes tan-

I. Cur sacramentum hoc dicitur Unctio extrema ?

R. Quia unctionem hanc postremam omnium recipiunt Christiani. Primam in Baptismo, alteram in Confirmatione, tertiam Sacerdotes in Ordinatione recipiunt, extremam ægroti.

I. Quodnam adhiberi debet oleum ad hoc sacramentum ?

R. Oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Hæc autem benedictio fit, ut diximus (*Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 10.), feriâ quintâ majoris hebdomadæ. (C)

geremus : respice propitiùs super hunc famulum tuum *Ill.* et quem languor curvat ad exitum, et virium defectus trahit ad occasum, medela tuæ gratiæ restituat in salutem. Sana quòque, quæsumus, omnium medicator, ejus febrium, et cunctorum languorum cruciatus, ægritudinemque, et dolorum omnium dissolve tormenta, viscerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque et cogitationum : sana discrimina ulcerum, vanitatumque putredines evacua, conscientiarumque atque plagarum obducito cicatrices veteres, immensasque remove passiones : carnis ac sanguinis materiam reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue : sicque illum tua pietas jugiter custodiat, ut nec ad correptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem nunc, te auxiliante, perducat infirmitas : sed fiat illi hæc olei sacra perunctio, morbi et languoris præsentis expulsio, atque peccatorum omnium optata remissio.

Deindè communicet cum Corpore et Sanguine Domini. Et sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione, quàm et de alio officio : et suscitabit eum Dominus, et si in peccatis fuerit dimittentur ei. Debent etiam Sacerdotes et ministri sanctæ Ecclesiæ, cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies Vesperas et Matutinos cum hymno : Christe cœlestis medicina Patris, et reliq. et cum Antiphonis, et Responsoriis sive Lectionibus et Orationibus ad hoc pertinentibus.

Multi enim Sacerdotum infirmos perungent insuper in quinque sensus corporis, id est, in superciliis oculorum, et in naribus deintùs, et in narium summitate sive exteriùs, et in labiis exteriùs et in manibus, id est, de foris. In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo sacrato dicentes : In nomine Patris, et Filii, et Spiritùs sancti.

Hoc enim faciant, ut si in quinque sensus mentis et corporis aliqua macula inhæsit, hâc medicinâ Dei sanetur.

Capitul. CAROL. MAGN. *Lib.* 6. *cap.* 75. Si infirmitate depressus quis fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat.

CONCIL. II. CABIL. *ann.* 813. *can.* 48. *Tom. Concil. Labb. col.* 1283. Secundùm beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent. Sic enim ait : *Infirmatur quis in vobis ?* Non est itaque parvipendenda hujuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.

CONCIL. MOGUNT. *an.* 847. *cap.* 26. Ab infirmis in mortis periculo positis per Presbyteros pura inquirenda est confessio... Et ideò secundùm canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus Ecclesiasticis sacra cum unctione Dei animali, secundùm statuta sanctorum Patrum, communione viatici reficiantur.

Plura referantur Ecclesiasticæ traditionis circa hoc Sacramentum Momenta à Dom. DE SAINTE BEUVE *in doctissimo suo Tractatu de Extrema-unctione, quem consule.*

(C) *Sacrament.* S. GREGOR. Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.

Tunc offertur Pontifici oleum, et benedicit cum, tam ipse, quàm omnes Presbyteri ad ungendum infirmum, his verbis :

Emitte, Domine, Spiritum sanctum tuum paraclitum, de cœlis in

I. Quid significat unctio illa olei ab Episcopo benedicti ?

R. Unctio aptissimè Spiritûs sancti gratiam, quâ invisibiliter inungitur anima ægrotantis, repræsentat. Hanc autem virtutem habet oleum à Christo, cujus actionem et influxum exprimit benedictio Episcopalis.

I. Qui minister est hujus sacramenti ?

R. Presbyter, adeòque multò magis Episcopus. (D)

I. Potestne quilibet Sacerdos sacramentum hoc ministrare?

R. Hujus sacramenti administratio spectat ad eos solos qui Parochorum munere funguntur ; sed urgente mortis periculo, si desit Parochus, debet quilibet Sacerdos secularis hoc sacramentum conferre (E) ; secularis, inquam, id enim Regularibus ad parochialia munera non vocatis sanctione sanctæ Sedis Apostolicæ prohibitum est. (F)

Et ita censet Navarrus. (G) At ex Theologis plurimi censent legem Pontificiam, quæ Regularibus sub pœna excommunicationis Extremam-unctionem infirm administrare vetat, non debere intelligi de infirmo jam jam morituro, absente, vel deficiente Parocho aut Presbytero seculari. (H)

hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, ut tuâ sanctâ benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis. Undè unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, et Martyres, chrisma tuum perfectum, Domine, à te benedictum in nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, etc.

In hæc verba notat D. MENARDUS *Monachus Benedict. in Sacr. Greg. Nota* 269. Tunc offertur Pontifici oleum.

Incipit consecratio olei infirmorum, quæ proximè fit ante illa verba : *per quem hæc omnia semper bona creas*, ut videre est in hoc codice S. Eligii. Nec credendum est proximè post illa verba, *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, consecrari ; quamvis hæc verba, *tunc offertur Pontifici oleum*, etc. sequantur. Quod ideò Scriptor fecit, quia totum nolebat scribere Canonem.

(D) *Id dilucidè probant toties allata Apost.* JACOBI *verba* v. 14. Infirmatur quis, etc.

(E) CATECH. CONCIL. TRIDENT. *part.* 2. *Titul. de Extremæ-unctionis sacram.* §. 27. Neque tamen ex sanctæ Ecclesiæ decreto cuivis Sacerdoti, sed proprio Pastori, qui jurisdictionem habeat, sive altari, cui ille ejus muneris fungendi potestatem fecerit, hoc sacramentum administrare licet.

CONCIL. PROVINC. MEDIOL. V. *sub S. Carol. part.* 1. *Titul. ult.* Ne alius Sacerdos nisi Parochus hoc sacramentum ministret.

Si porrò is impeditus, aut aliàs in mora est, mortisque periculum instat, tunc Sacerdos alius ministret licet.

(F) CLEMENT. *Lib.* 7. *de Privileg. cap.* 1. Religiosi, qui Clericis aut Laïcis sacramentum unctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habitâ super his paræcialibus Presbyteri licentiâ speciali.... excommunicationis incurrant sententiam ipso facto per sedem Apostolicam duntaxat absolvendi.

(G) NAVARRUS *in Manual. cap.* 27. *n.* 101. *elucidans hanc Clement. in Declarat.* 6. *notat* quòd incurritur *excommunicatio* etiam ob administrationem factam in articulo mortis juxta Cardinalem, etiamsi faciat ob defectum Parochi juxta Sylvestrum.

(H) DOM. DE SAINTE BEUVE *Tract. de Sacram. Extremæ-unctionis Disput.* 6. *art.* 2. Quæres utrum Religiosi *in defectum* proprii Sacerdotis vel ab eo deputati, sive id casu sive malitiâ contigerit, possint conferre id casu,

I. Pluresne debent advocari Sacerdotes ad hoc sacramentum uni ægroto conferendum ?

R. Græci septem advocant. Multos olim et vocabat Ecclesia Latina, ubi commodè fieri poterat. Sed unus Sacerdos sufficit ; et hic jam apud nos usus invaluit, ut unus hoc sacramentum uni ægroto ministret. (I)

sive *licitè* moribundo sacramentum islud : an verò conferendo peccarent, atque subjacerent excommunicationi latæ per *Clementinam* citatam ?

Respondeo, quòd neque subjacerent excommunicationi, neque peccarent, sed *licitè* conferrent. Ita Dom. Soto, Sylvius, Nugno, aliique quàm plures contra Navarrum in Manuali cap. 27. Num. 101. Probatur : quia Ecclesia Clementinis relatis intendit solùm coërcere *audaciam Religiosorum*, atque prohibere ne invadant *officium Parochorum :* et quando statuit, ut sacramenta non administrentur à Sacerdote nisi suis *subditis*, noluit eâ lege destituere moribundos beneficio *Extremæ-unctionis* defectu Parochi vel ab eo delegati, ne fortè privarentur æternâ salute, quod contingere posset, si vel haberent aliqua peccata mortalia remittenda, vel non confirmarentur oleo sacro adversùs tentationes extremas. Et si quilibet Sacerdos habet potestatem absolvendi à quibusvis peccatis et censuris in articulo mortis constitutos ; par est etiam quemlibet habere potestatem in hoc articulo administrandi sacramentum illud, quod est complementum pœnitentiæ, et datur ad robur, ut homo eo adjutus perseveret usque in finem.

(I) ARCUDIUS *lib.* 5. *Hist. Sacram. cap.* 3. Mos est Orientalis Ecclesiæ septem convocare Presbyteros, qui Extremam-unctionem ægrotis administrent. In eo munere perfungendo, quamvis varias singuli orationes recitent, eamdem tamen formam sacramenti omnes iterant.... ita etiam tradit Euchologium. 7. autem numero Presbyteros Græcorum Ecclesia exigit, sive propter 7. peccata mortalia, sive quia septenarius numerus in sacra Scriptura valdè commendatur, et non caret mysterio.... At verò 7. vocandos consuetudine traditum est quod fieri arbitror propter 7. dona quæ apud Isaïam enumerantur Spiritûs, etc. In necessitate autem et pauciores Sacerdotes conficiunt. Ita Simeon Thessalonicensis.

SIMEON THESSALONIC. *è Tract.* D. DE SAINTE BEUVE *de Sacrament. Extremæ-unct.* Septem Sacerdotes esse vocandos consuetudine traditum est. Quod fieri arbitror propter dona septem Spiritûs, quæ apud Esaïam enumerantur. Vel propter illos septem antiquæ Legis Sacerdotes, qui divino jussu circumeuntes urbem Hierico septies tubis cecinerunt, atque mœnia diruerunt. Ut etiam hîc septem Sacerdotes urbem, duraque mœnia, id est, altitudinem peccati demoliantur, vel etiam tanquam mortuâ existente animâ, ut supra puerum illius Sunamitidis ad imitationem Prophetæ, septies orent Sacerdotes, et eam suscitent, prout sanè excitavit puerum Eliseus septies reversus, septies item precatus. Vel quemadmodum Elias septies orans, cœlum quod peccantibus clauserat, rursus aperuit, atque deduxit pluviam : sic isti septies deprecati solvant quidem squallorem peccati, acceptâ verò gratiæ clave, non secùs atque Petrus aperiant cœlum, atque misericordiam à Deo remissionis velut imbrem deducant.

JOAN. BAPT. MORIN. Congr. Orat. D. J. Sacerd. *ad calcem doctissimi operis de Pœnit. è codice Siculo ante sexcentos*, ut ait, *annos scripto caractere Longobardico, in ordine ad unguendum infirmum.* Hic imponant manus super infirmum omnes Sacerdotes, et ministri eorum, jubente tamen vel permittente Episcopo, quoniam canonicus sic docet Ordo.

Et sic perungant singuli Sacerdotes infirmum de oleo sanctificato cruces faciendo in collo, et gutture, et pectore, et inter scapulas, seu in loco ubi dolor plus imminet, et in quinque sensibus corporis, et in superciliis oculorum, et in naribus intùs et foris, et in aurium summitate exteriùs sive interiùs, et in labiis exteriùs, et manibus exteriùs, id est foris, ut si quinque sensibus mentis et corporis aliqua macula inhæsit, medicinâ spirituali sanetur, et Domini misericordia impertiatur.

His ita expletis Sacerdotes dicant orationes, vel benedictiones super

infirmum, unusquisque suam; si autem aderit Episcopus, ipsius officium hoc erit.

Codex qui in catalogo Bibliothecæ Victorinæ inscribitur, *Ordo ad Catechumenum faciendum*, quia ab isto ritu incipit, et notatur, GG. 15. scriptus mihi visus est ante annos quingentos, nullo modo recentior. Ex eo hic describemus ordinem ad visitandum et ungendum infirmum. Et perungant singuli Sacerdotes infirmum de oleo sanctificato, facientes crucem in collum, et in gultur, et pectus, et inter scapulas, et super quinque sensus corporis, et in supercilia oculorum, et in aures intùs et foris, ut maculæ quæ per quinque sensus mentis et corporis fragilitate carnali, quodammodò hâc medicinâ spirituali, et Domini misericordiâ pellantur.

D. Hugo. Menardus *notâ* 909. *in hæc* S. Gregor. *Sacram. verba* Dominus locutus est, etc. Ita in codice Rodradi. In codice Tiliano quædam alia præcedunt. In cod. Rodradi hæc sequuntur: *Hîc ponant manus super infirmum omnes Sacerdotes et ministri eorum.* 5. *Deus Deorum, etc.* Hæc manuum impositio videtur etiam in cod. Tiliano: *Imponant manus super infirmum omnes Sacerdotes, jubente vel tantùm permittente Episcopo, quia canonicus sic docet ordo.* Nota hîc plures adesse Presbyteros in administratione hujus sacramenti juxta sanctum Jacobum, *inducat Presbyteros Ecclesiæ:* quod tamen non est adeò necessarium; cùm ab unico Sacerdote hoc Sacramentum conferri possit, cujus rei praxis videtur in Concilio Nannetensi suprà citato cap. 4. apud Burchardum lib. 18. in Sacramentariis editis, et in cod. Ratoldi infrà citando, quamvis Simeon Thessalonicensis huic sententiæ adversetur, quem refutat Petrus Arcudius lib. 5. de Extrema-unctione cap. 3.

In Euchol. Græc. R. P. Jacobi Goar Dominicani *Extremæ-unctionis administratio vocatur* Officium sancti olei decantatum à septem Sacerdotibus congregatis in Ecclesia, aut in domo.

Et post orationem accipit Sacerdos sanctum oleum, et Extremamunctionem suscipientem ungit sequentem orationem dicens: etc.

Hæc oratio dicitur ab unoquoque Sacerdotum postquam dixerit Evangelium et orationem, cùm videlicet infirmum oleo perungit.

Tum verò in medium Sacerdotum ingreditur, qui Extremam-unctionem suscipit, et acceptum sanctum Evangelium ponit super caput ejus Sacerdotum præcipuus, et manus illi Sacerdotes alii imponunt: ille autem Sacerdotum præses hanc Orationem elatâ voce pronuntiat, etc.

Præsenti officio peragendo, ipsique Sacramento conferendo, septem Sacerdotes apud Græcos hodie conveniunt, totidemque quondam apud Latinos, Hugone Menardo in Gregoriani Sacramentalis notis teste, concurrebant. Septenarii verò illius numeri rationem Thessalonicensis suggerit.

Tres autem Sacerdotes, ubi modica est eorum copia, à sacris plerisque ternarii numeri petità ratione, sufficere arbitratur idem Simeon: qui tamen ab errore gravi nullatenùs excusari potest, ubi unum solùm, absque aliorum ope vel societate Sacramentum hoc non posse conferre, impiè asseverat. Ea namque potestas in uno solo convenienti Ecclesiæ ministro ac plebis Christianæ pastore residet: quamvis tanti Sacramenti reverentia, et antiquorum Ecclesiæ morum imitatio, plures expetere videatur: imò et olim adfuisse, tum ex D. Gregorii Sacramentario; tum ex aliis vetustissimis Ordinibus Hugonis Menardi ope, è squallore tenebrarum erutis edocemur: id olim religiosè sanxit Gregorius III. Pontifex Maximus in excerpto ex dictis sanctorum Patrum c. 9. « Cum reverentia, inquit, deferatur oleum ad infirmos, et eos ungant Sacerdotes » cum magno honore, et orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ. » Recentiùs pristinum illum nunquam laudatum satis morem, Concilium Mediolanense quartum renovavit, Titulo, *Quæ pertinent ad Extremam-unctionem, etc.* ceu rationi à D. Thoma lib. 4. contra gentes cap. 83. relatæ valdè conformem. « Sacramentum hoc enim, inquit, » perfectæ curationis effectum habet, et in eo reperitur copia gratiæ: et » ideò competit illi ut multi Sacerdotes intersint, ut et oratio totius » Ecclesiæ effectum hujus Sacramenti coadjuvet. Unde Jacobus dicit: » *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et oratio fidei salvabit infirmum:* si tamen

I. Cui ministrari debet hoc sacramentum ?

R. Christianis adultis et ægrotantibus, si periculosè decumbant : iis verò maximè qui videntur in exitu vitæ constituti ; undè sacramentum hoc dicitur sacramentum exeuntium. (K)

Græci tamen hoc sacramentum vel optimè valentibus conferunt. (L) Hunc Græcorum usum nonnulli Theologi reprehensione (M), alii econtra laude dignum censent :

» unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere, » virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit, et cujus personam gerit. »

Leo Allatius *de Eccles. Occident. et Orient. perpetua consensione. Lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 15. Septem Sacerdotes variis invocationibus oleo benedicunt ; recitantur septem Epistolæ ex variis Novi Testamenti libris et septem Evangelia, septem item Orationes, non tantùm animæ sed corporis etiam salutem atque incolumitatem exorantes ; à singulis Sacerdotibus post Evangelium et orationem ungitur, ut septies ungatur. Post unctionem imponunt capiti illius librum Evangeliorum et manus ; et qui aliis præest, Sacerdos legit etiam Orationem ; et postquam deosculatus fuerit Evangelium unctus, veniam peccatorum à Sacerdotibus postulat, et eâ impetratâ, Deo gratias agit.

Decretal. **Greg. IX.** *Lib.* 5. *Titul.* 40. *de Verbor. significat. cap.* 14. Quæsivit.... Nos itaque tibi duximus respondendum, quòd Sacerdos uno præsente Clerico, et etiam solus potest infirmum ungere.

S. Thom. *in lib.* 4. *contra Gentiles cap.* 32. *in fine.* Quia, inquit, hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, in eo requiritur copia gratiæ : Competit huic Sacramento ut multi Sacerdotes intersint, et ut oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus sacramenti coadjuvet. Undè Jacobus dicit, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et oratio fidei sanabit infirmum.* Si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ cujus minister existit et cujus personam gerit.

(K) **Jacob. v.** 14. Infirmatur quis, etc.

Concil. Trident. *Sess.* 14. *in Doctrina de Sacram. Extr. unct.* Clementissimus redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversùs omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritûs incommodo possint ; ita Extremæ-unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vilam quærat, et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit : nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitùs, et à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit.

(L) **Leo Allatius** *de Eccles. Occident. et Orient. perpet. consens. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 3. Non tantùm infirmos sed sanos quoque homines Extremâ-unctione et sæpiùs inungunt.

(M) **Petr. Arcudii.** Corcyr. Presbyt. *Lib. de Concord. Eccles. Orient. et Occident. in Sacram. administr. de Extrem. unct. lib.* 5. *cap.* 4. Quare non est dubium, quin istud oleum ægris inservire debeat : quod etiam patet ex Apostolo Jacobo, et hoc ipsum confirmat recens, idemque antiquissimus usus Græcorum.

Cæterùm si vera sunt, quæ hactenùs retulimus, hoc est, si prætereà hoc sacramentum postremum omnium appellamus, tum potissimùm quòd ipsum post alias unctiones Sacramentorum exhibemus ; tum etiam, quòd homini in ultimo termino vitæ constituto, qui per id temporis ob infirmitatem non potest agere pœnitentiæ opera, istud conferimus ; profectò non videtur sanis posse convenire.

Undè auctores Græcorum hac in re inter se dissident. Sunt nonnulli ex Græcis, qui clarè affirment, hoc sacramentum concedendum esse. non

tantùm ægris, sed etiam benè valentibus, modò illud ad delenda peccata efflagitaverint. Ita Simeon Thessalon. cùm de hoc mysterio verba facit:... « Sanctum oleum traditum est veluti sacrum mysterium, divinæque » misericordiæ typus, quod in redemptionem, et sanctificationem præ» betur his, qui se à peccatis convertunt. » Eadem planè verba Simeonis Hieremias more suo tam in primo, quàm in secundo responso mutuò sumpta repetit. Et ambo hæc protulerunt ad docendum, et comprobandum præsentem usum Græcorum, ac universè accipiunt pœnitentes, sive illi sani sint, sive infirmi.

Ex eo autem colligit Simeon hoc oleum pœnitentibus esse præbendum, quòd Christus Dominus miserit Discipulos binos et binos, qui prædicarent pœnitentiam, et ungerent ægros. Marci 6. quem locum ex Græcis Patribus etiam Theophylactus, et OEcumenius interpretantur de hujus sacramenti unctione... « Tradidit igitur Christus (inquit Simeon) ipsum » (septimum mysterium) quando Discipulos suos misit binos et binos » ante faciem suam, qui et profecti, inquit, prædicabant ut pœniten» tiam agerent. » Deindè infert Simeon.... « Ecce oleum sanctificatum « pœnitentibus datur. »

Sed profectò Simeon ineptissimà ratiocinatur, et contra sensum clarissimum Evangelici textûs. Quamvis enim locus ille hoc sacramentum indicaret, quod ego non facilè credo, duo tamen distincta munera obibant Apostoli. Et prædicabant pœnitentiam universè omnibus, et sanis, et infirmis. Et ungebant oleo non sanos, sed infirmos, quos, ut essent apti et capaces, per pœnitentiam ad hoc præparabant. Undè perperàm confundit hæc inter se Simeon, et per consequens confundit etiam sacramenta, quasi verò sanis pœnitentibus hoc oleum, veluti sacramentum Pœnitentiæ administratum fuerit. Non enim delet sanis peccata, quæ nimirùm per *exomologesin* tolluntur; sed infirmis, si quæ sint, quæ remanserint.

Deindè fac illum esse sensum Evangelii, quem Simeon colligit; Nonne per pœnitentes optimè intelligere infirmos possemus? Neque enim impœnitentes ægros inungimus, cùm hoc sacramentum detur instar medicamenti, medicina verò vivis exhibetur, non mortuis, quales essent impœnitentes.

Job Monachus ejusdem videtur esse sententiæ, cujus est et Simeon, sic enim tradit... « Tempus autem quo oporteat suscipere Euchelæon tota » est mortalium vitapost peccatum ad extremum usquespiritum. Cumque » opus sit statim post errata illud sumere; plerumque tamen ob huma» nam oblivionem et ignorantiam, verecundiam item, et negligentiam: » atque omninò propter quascunque alias humanas passiones, etiam post » ultimas horas exhibetur. »

Hieremias Patriarcha Constantinop. in cap. 7. suæ censuræ, dicit quædam sacramenta convenire omnibus... « Illis verò qui post baptisma » peccaverunt, pœnitentia consecratique olei unctio conducunt. » Nota contra modum loquendi Hieremiæ, pœnitentiam post baptismum peccantibus non solùm esse utilem, sed omninò necessariam.

Si quis autem ab eo quæreret, cur lapsis post pœnitentiam oleum sanctum adhibeatur? Responderet propter reliquias peccatorum, si quæ sint, quæ non fuerint per pœnitentiam expiatæ.

Sed non valet responsum in benevalentibus, qui reliquias peccatorum eodem sacramento Pœnitentiæ sæpiùs iterato delere possunt, vel per alia sacramenta, quæ post pœnitentiam administrantur. Favet multùm nominalis Auctoribus auctoritas Euchologii, in quo non tantùm ægrotus, sed etiam sanus, qui sit ungendus introducitur. Favet item præsens Græcorum consuetudo, quæ quidem viget non in aliquo angulo Græciæ, sed ubique passim, quam eamdem retinet hac nostra ætate tota Russia universaque Moscovia.

Ego præsentem morem Græcorum, qui pœnitentes quamvis benevalentes in omnibus iis corporis partibus, adhibitâ quoque formâ sacramenti, non aliter, atque infirmos inungunt, nullâ ratione probare possum, et si sordidi quæstûs gratiâ id faciunt, ut testatur Nathanaël, eò magis detestandus est. Cùm enim subjectum non sit aptum ad recipiendum sacramentum (quando, neque graviter quis infirmatur, et ad mor

sed tunc non sacramentum, sed piam tantùm religiosamtem, ut requirit Apostolus, et exponunt sacri Doctores) frustrà, temerèque, ac non sine sacrilegio illud Græci administrant. Non secùs ac si aliquis eum baptizaret, qui nollet baptismum suscipere, proindè non esset idoneus ad recipiendum sacrum lavacrum. Vel etiam ut hi, qui corpora mortuorum baptizabant, quos valdè reprehendunt sancti Patres, propterea quòd nullus effectus sacramenti sequeretur. Græci verò, qui alios novitatis accusant, et in eos aliquandò insolentiùs insultant, respondeant ipsi à quo istud acceperint, ut contra doctrinam Apostolicam sanos ungere debeant? Ad hæc, multos inungunt feriâ quintâ sanctioris hebdomadæ, qui non sunt expiati sacramento pœnitentiæ. Non solùm igitur errant, quia subjectum minùs aptum inungunt, sed etiam quia ante sacramentum pœnitentiæ inungunt, cùm Extrema-unctio detur extremè laborantibus, per modum medicinæ; medicamenta verò non mortuis, sed vivis dantur, proindè hoc mysterium non debeat antecedere cætera sacramenta; præsertim auricularem confessionem, quam vocant exomologesin. Est itaque merus abusus omninò reprobandus, et abrogandus.

Undè tamen initium sumpserit videndum est. Puto ex eo quòd extra sacramentum oleum hoc aliquando collatum fuerit; ut propterea etiam non multùm Græci curarint, si nonnulli nondum confessi illud susceperint.

At si ita est, Cur ergo, dicet aliquis, dum ungunt sanos, eas omnes cæremonias adhibent, quem nonnisi in ægrotos quadrare videntur? hoc est, benedicunt oleum, in cujus benedictione sanitas corporis commemoratur, et unà cum benedictione totum ritum Extremæ-unctionis connectunt.

Ita profectò est, quod ego nullâ ratione laudare possum, ut anteà dixi, et assentior Nathanaeli, qui censet abusum esse. Non enim propter benevalentes hoc oleum benedici, atque consumi debet. Sed si propter infirmos consecraretur, et deinde sanos quoque ungerent, non per modum sacramenti, non improbarem. Puto tamen ob eam causam hæc permisceri, atque confundi ab imperitis, eò quòd non asservetur oleum.

Cæterùm ut hoc totum meliùs explicetur, præstat paulò altiùs rem repetere. Ego quantùm conjecturâ ex præsenti statu Orientalis Ecclesiæ assequi possum: existimo antiquitus Episcopos, eosque solos benedixisse oleum, quod vocamus Extremæ-unctionis. Cujus olei finis proprius, primarius, et præcipuus erat, ut exhiberetur valdè graviter decumbentibus. Et quia fortassis viderant homines hoc oleum in sacramento mira efficere, cœperunt etiam eo uti extra sacramentum, ut rectè conjicit Bellarminus de Extrema-unction. libro 1. capite 6. respondens ad quintum argumentum Kemnitii. Alioquin undè ortum habuisset Græcorum consuetudo? Quapropter huic unctioni assignarunt alterum finem minùs principalem et secundarium, videlicet, ut oleo consecrato ab Episcopo extra sacramentum ungerentur pœnitentes, quamvis benè valentes, et qui lethali morbo minùs decumberent.

Hoc oleum deindè ad istos duplices fines distribuebatur Presbyteris, et per totum annum asservabatur. Quàm primùm autem data est facultas Presbyteris posse illud conficere, desiit asservari. Nihilominùs tamen Episcopi, quadam ex parte jure suo retinentes morem antiquum, etiamnum semel in anno feriâ quintâ sacratissimæ hebdomadis benedicunt oleum infirmorum, et peractâ benedictione circumstantes inungunt. Sed frustrà jam consecrare videntur, si non ampliùs asservatur propter extremè laborantes, quibus de jure convenit. Ex altera verò parte Presbyteri obtentâ jam facultate oleum infirmorum consecrandi, hæc duo munia permiscuerunt, quemadmodum et Episcopi; et dum aliquando sanos ungere volunt, cùm non asservent oleum, non secùs atque ipsi Episcopi totam cæremoniam peragunt ad eum modum, quo ægrotos ungere solent. Undè negari non potest, quin ex hujusmodi concessione *ataxia* quædam, et quidem maxima orta sit, et modò rubricæ Euchologii planè sunt corrigendæ.

que cæremoniam Græcos exercere putant. (N) Ut ut hæc

(N) R. P. Jacob. Goar è S. Dominici familia *Euchol. Græc. In sanct. Olei offic. not.* Domi quidem gravi ægritudine decumbentes, hàc sacrà unctione, et relevari, et communiri posse intelligimus : in Ecclesiam verò cùm soli firmà valetudine utentes se conferant, quà ratione sacramentum hoc postremùm potest illis conferri ? Rem gestam à Græcis enarro, quod probandum rejiciendumve in ea apparet, exindè facilè dignoscetur. Gravi afflictos ægritudine, deque salute recuperanda desperantes, officio præsenti super eis recitato, unanimi cum Latinis consensu, in domibus Græci ungunt ; in quo non modica, ut Christianos decet se laude dignos ostendunt : imò et ægroti plerique è plebe, aliorum manibus et ope ad Ecclesiam se deferri student, tum ut sacrorum præsentiâ, et animo levamen, et corpori miraculi alicujus experimentum in recuperanda salute obveniat, ibique plurium nonnunquam dierum spatio, in Catechumenæis jacent, pernoctant, morantur, et ex sacra tandem unctione sibi remedium exposcunt : quod si Arcudius advertisset, non tam levi causâ, sanos in Ecclesia, ac ægrotos in domibus, hoc se sacramento communire solitos asseruisset. Contingit tamen, fateor, aliquando, ut officio peracto, ex adstantibus plerique, benedictionis spiritualis obtinendæ, vel levis alicujus doloris eos afflictantis, leniendi gratiâ, unctionis medelà se curari exoptent ; quod cùm præstent Sacerdotes eadem oratione ac super ægrotos recitatà, negotium facessunt Theologo dubitanti, an unctio hujusmodi sacramentalis sit habenda, nec ne ? Condemnat eam Arcudius lib. 5. cap. 4. ut irreligiosam et sacrilegam, et quæ nullà premente necessitate, subjecto ejus incapaci exhibeatur. Mihi certè non ut severa, ita et æqua, vel ratione stabilita videtur hæc sententia. Neque etenim, ut ad germanum et suis partibus absolutum sacramentum accedunt ii, qui hujusmodi unctione benedictionem aut consolationem spiritualem expetunt, vel qui levi dolore pressi, aut vulnere percussi, ejusdem unctionis medicamine à Deo se sanandos confidunt : deest siquidem Ministris sacramenti hac ratione conferendi animus, deest et totus ille precum apparatus, quo solo apposito, sacramentum hoc (quod non unctionis tantùm, sed orationum est fœtus) Græci Theologi perfici docent. Illa verò brevis oratio, *pater agie, iatre* quam veram germanamque sacramenti hujus formam complecti asseremus, amplissimo verborum sensu abundat, et quæ forsan nonnisi præcedentibus aliis precibus ad sacramentum efficiendum restringitur, et quæ proindè à variis unctionis usibus minimè abhorrere, et modò huic, modò alteri, pro vario Ecclesiæ Ministrique proposito, applicari posse videtur. Unctionem prætereà extra Sacramentum ex oleo infirmorum ab Episcopo consecrato variis morbis adhibitam fuisse, gesta Sanctorum et historiæ Ecclesiasticæ ab ipsomet Arcudio citato memoratæ certissimè docent, et Græcos à sacrilegio incurrendo, aliis adjunctis rationum momentis possunt absolvere ; maximè si legitimam et probatam tenemus Latinorum illam consuetudinem, quà non ægrotis tantùm, sed etiam populi necessitatibus oleum infirmorum olim fuisse benedictum ostendit D. Gregorii Sacramentarium, in quo juxta lectionem Codicis Rhemensis, apud Hugonem Menardum notarum pag. 67. scribitur, *Benedixit oleum pro infirmis, sive pro populo, etc.* Quid est enim *to pro populo. to pro infirmis*, disjunctivè oppositum, nisi *pro usibus populi*, etiam extra sacramenti necessitatem occurrentibus ? In eodem quoque Gregoriano Sacramentario, si benè judicem, eadem legitur oratio in unctione cærimoniali infirmi, de qua Marci 6. et in Sacramentaria de qua Jacobi 5. Secundùm namque citati Menardi editionem fol. 251. occurrit ad ungendum infirmum oratio : *Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in Regem, et Prophetam : operare creatura Dei, etc.* quæ eadem pag. sequenti comperitur esse vera sacramenti unctionis forma : et ne cum Menardo pag. 331. notarum, erronèe repetitam : nec in priori tanquam proprio in loco positam dicas ; ex adverso, nec repetitam, nec loco motam asseres : si priori vice ut cærimoniali unctioni, secundà, ut sacramentariæ deservientem intellexeris. Et in eo forsan sensu cum Gaufrido de Collone S. Petri vivi Senonensis Monacho, cujus Chronica inter MMSS. Monasterii S. Germani

de Pratis asservatur, de Felice Papa affirmaveris, quòd *constituit infirmorum ultimam unctionem* (titulo *de S. Felice Papa de ultima unctione*) quòd nempe cærimonialem à sacramentali sejunxerit, et hanc Jacobi Apostoli promulgatam scriptis, à Felice Pontifice ultimam deinceps vocitatam, judicabis. Plures autem difficultatum spinas ingerit, et difficiliùs à reprehensione vendicatur ille ritus, quo gravioribus subditi peccatis, licèt sint ex omni parte sani: quia tamen ægrotorum delicta sanctam unctionem curare noverunt, illam deinceps pro Canone, id est, pœnitentiâ acceptam, et à Sacerdotibus impositam, in delictorum satisfactionem subeunt; et exindè Sacerdotibus tota precum harum serie se expiandos, et infirmorum unctione velut adversâ animæ valetudine affectos, et medendos offerunt. Respuit idcircò ritum istum, et omni animi contentione detestatur Arcudius, quasi subjecto minùs apto, sano nimirùm homini sacramentum infirmorum attentarent applicare. Verùm cùm in homine sano ut incapaci subjecto non possit effectum suum sacramenti unctio producere: illud idem est, quòd si non approbandum, saltem violatæ religionis crimine non condemnandum hunc ritum persuadet, cùm nec Græcos conferendi Sacramenti propositum habere, demonstrare queat Arcudius. Infirmum enim spiritualem præ oculis habentes, precibus quidem his velut pharmaco salubri sanandum suscipiunt, vulnera ejus oleo sancto curare, tum votis et benedictionibus alligare student: non ita tamen ut unctio precibus adjuncta, ex opere operato animæ deleat infirmitates, sed si quid possit ex pœnitentis tantùm devotione, aut Sacerdotis deprecantis charitate, id est, ex opere operantis illud valet producere. Addo et hac eadem mente unumquemque oleo sancto ab Episcopis benedicto sese in Ecclesia Orientali ungendum offerre feriâ quintâ in Cœna Domini: unctionemque ejusmodi ut peccatorum antidotum, et sanctitatis largitricem, sacræ communioni præviam Episcoporum manu suscipere; sed nec ille pœnitens corpore vegetus, nec illi mysteriorum Dei dispensatores, veri germanique Sacramenti suscipiendi vel concedendi mentem animumque dicendi sunt habere; cujus defectu, cur Sacramentum irreligioso usu temerare aut violare possint, non video: cùm nec apud nos probrum sit ullum pœnitentiæ Sacramento illatum, si extra confessionis ipsiusque Sacramenti cancellos, peccatis venialibus solvendis, pœnitentiæ formam verbis exprimentibus utatur, dicatque Sacerdos ex Prædicatorum cærimoniali: *Sitis absoluti*, quod idem est ac, *Absolvo vos à peccatis et negligentiis vestris*: abest enim ab ejus mente Sacramenti exhibendi intentio, deest et subjectum illi suscipiendo proximè dispositum: et apta sunt congruaque illa, ut venialium remissionem absque Sacramento operentur: ex quo à pari præter cujuscunque Sacramenti collationem in animo habitam, has preces et hanc unctionem, præmissâ sacramentali absolutione, in delictorum satisfactionem poterunt Græci imponere, maximè si antiquam et sinceram traditionem esse comprobent. Quanquam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quorumcunque fidelium Matri et magistræ, mori gerendo, sint potiùs Græci ab hac consuetudine deterrendi, ne aut imprudenter Sacramenti conferendi animum assumant, aut erroneè (quosdam enim ita sensisse non diffiteor) anticipatâ gravis morbi occasione, à recta valetudine utentibus sacramentum illud præveniri posse arbitrentur; vel tandem levissimo morbo curando adeò pretiosum hujus sacramenti remedium impendant, et pœnitentiæ usum in Extremæ-unctionis susceptionem illegitimam convertant: atque ita ex indiscreta et promiscua Sacramentorum et sacramentalium susceptione, Sacramenta violent, et superfluo nefandoque cultu sacramentaria quæque prosequantur. Verùm, ut Græcorum præcipitata nimis ac inutilis quandoque unctionis hujus suscipiendæ aviditas cohibenda, vel penitùs deponenda judicatur; ita Latinorum quorumdam in eodem sacramento suscipiendo segnities stimulanda, et fraudulenta desidiæ deceptio, quâ ad ultimum usque spiritum agendum, viribus omninò, morbo invalescente, fractis, non propinquis tantùm, sed et salutis spe vitaque ipsâ valere jussis, remittitur expetendum, acribus doctorum pietatisque Christianæ moderatorum reprehensionibus et monitis est castiganda: atque ita Jacobi verbis obaudientes Græci, nusquam infirmâ corporis valetudine, ex pœnitudinis solius

sint, nunquam Ecclesia hunc usum Græcis vitio vertit, aut abrogatum voluit ; immò illius ritûs exempla apud Latinos occurrunt, licèt rariora. (O)

affectu, feriâ magnâ quintâ, Ecclesiam ungendi convenient, sed in infirmitate positi Sacerdotes cum unctione deprecaturos advocabunt : Latini verò neutiquam hanc extremam, quòd in extremis vitæ conferenda sit, at quòd unctionum Baptismi, Confirmationis, vel Ordinis postrema occurrat, vocitatam mente volventes, nec non eo fine institutam, *ut oratio fidei salvet infirmum, et alleviet eum Dominus,* (*Jacob.* v. 15.) (cùm videlicet, hinc morbo vitæ periculum inferente, illinc verò plurimâ adhuc salutis spe relictâ, ut his verbis (ne Deum tentet, vel miracula, stupendaque signa quotidiè deprecetur) Ecclesia, rationis amica, ac corporeæ quoque salutis hominum provida, congruè possit orare : *Cunctos dolores cordis et corporis ab eo expelle, et plenam ei exteriùs interiùsque sanitatem misericorditer redde, etc.* et, *hunc famulum à lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem, etc.* pluraque his similia, (quæ minitantem quidem, at non certam mortem morbum illaturum significant) sedulos magis ac solicitos de Sacramenti hujus fructu percipiendo se præstabunt : et advertent insuper pœnitentiam plurimam Sacramentum hoc profiteri (quæ fuit ratio ut pœnitentibus sanis suscipiendum illud imponerent Græci) lacrymas, cordis dolorem exquirere, *ut si in peccatis sit infirmus, dimittantur ei :* preces ejus Dei misericordiam provocant, cilicium cineresque ægroto imponendos secum olim ducebat : et ne Græcis castigatione dignis faveam nimis, pœnitentiæ comitem ac appendicem nusquam vocabo, periclitanti tamen ob imperfectionem pœnitentiæ, ac in ejus subsidium et complementum, in extremis vel vitæ periculo, necnon ut prævia communionis dispositio non ita pridem assumebatur : sicut Confirmatio quondam et Baptismum consummabat, et ad Eucharistiæ gratiam consequendam hominem recèns in Christo natum præparabat. Verùm quis mente sanus pœnitentiam, Deique pulsandam misericordiam, aut Eucharistiam salutis cibum, fideique mysterium ad usque vitæ metam, reponat suscipiendum, cùm desperatâ corporis sanitate emortuisque sensibus, animaque ipsâ suis omnibus actibus interdictâ, hostes exitum ejus præstolantes eam in perditionis barathrum detrudere confidunt ? Eodem itaque temporis spatio ac eodem morbi corporisque statu, quo confessio et communio à nobis expeti debet unctio, ut indivisa quondam sacramenta parem in nobis ex simili dispositione gratiam possint producere.

(O) *Ex* D. Hugo. Menard. *in D. Greg. Papæ Sacrament. notis patet, saltem olim pluriès in eodem morbo collatum fuisse hoc sacramentum : notâ scilicet* 916. Et sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit tam de communione, quàm de alio officio.

Ita in Codice ms. *Monasterii S. Remigii.* Nota curam quam Sacerdotes olim gerebant circa infirmos. Ubi *to de alio officio*, significatur de unctione, quam Matthæus Galenus in promptuario Theologico Catechesi 182. restringit ad partes laborantes : quia, ut vult, sacramentum non repetebatur. « Ad hæc, inquit, non fiebat illud perfunctoriè et properanter ; » sed ubi æger non convalescebat, redibant eòdem Sacerdotes per septi» duum ungentes : non quidem sacramentum toties repetentes, sed statis » precibus unctione curantes laborantia membra, præbentesque sanc» tam Eucharistiam. » Hæc ille. Verùm id quod ait non repeti olim solitum Unctionis extremæ sacramentum, in eodem videlicet morbo, non videtur probabile, quia hæc verba, *quàm de alio officio*, sunt generalia, nec possunt restringi ad unctionem membrorum affectorum. Et quamvis hodiè in eodem morbo non repetatur hoc sacramentum ; si tamen antiquus valeret usus, id non esset absurdum : quia non cessante morbo, homine adhuc existente in peccatis, ob peccata saltem venialia quæ nobis quotidiè obrepunt, quia *septies in die cadit justus* (*Prov.* xxiv. 16.), jure posset hoc sacramentum sæpiùs in eodem morbo repeti, ipsis causis manentibus, ob quas sacramentum conferri solet. Præterea si unctio illa partium morbidarum non esset sacramentum, non posset conferre sanitatem, ac proindè frustrà adhiberetur. Prætereà non aliud adhibebant oleum, quàm ab Episcopo sanctificatum

Paulò post ex ordine ad ungendum infirmum ex codice MS. *Cœnobii S. Remigii hæc exscribit Sacramentario S. Gregorii consona.* Et septem dies, vel multò plures, si necessitas fuerit, tam de communione, quàm de alio officio erga infirmum fiat : ut sicut Apostolus dicit, immò per eum Spiritus sanctus ait : *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* (*Jacob.* v. 15.)

D. Edm. Martenne. *Monach. Benedict. è Cong. S. Mauri*, *Tract. de antiq. Eccles. Ritib. lib.* I. *cap.* 7. *art.* 1. Cùm Extremæ-unctionis Sacramentum ad curandos et corporis et animæ morbos, hoc est, ad restituendam infirmis corporum sanitatem, et delenda commissa peccata propriè sit institutum, ut ex Jacobi Apostoli verbis eruitur : hujus Sacramenti capaces non videntur ei, qui nullà corporis infirmitate laborant, aut nullis peccatorum maculis sunt infecti. Hinc est quòd Synodus Carnotensis anni 1526. prohibet *Extremam-unctionem dari adultis sanis, quia eis nihil prodesset, cùm sit sacramentum pro infirmis solùm institutum.* Hinc est etiam quòd reis morte damnatis, quia sani sunt corpore, hoc Sacramentum denegandum esse censent nonnulli : quamvis id aliâ ratione fieri existimem : quia nimirùm publicis peccatoribus ac pœnitentibus illud denegabant antiqui, ut discimus ex Innocentii Papæ I. Epistola ad Decentium : « Nam pœnitentibus, » (inquit, loquens de unctione infirmorum,) « istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam qui- » bus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse » concedi ? » Non desunt tamen veterum exempla, quibus sanos inunctos fuisse comprobemus. Insigne est illud quod refert Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi pag. 167. de Odilia filia comitis Herimanni et Mathildis, quæ cùm feriâ 4. ante Pascha ad sancti Vitoni Monasterium sana et integra accessisset, à Richardo Abbate præmonita de futura sequenti die ejus morte, « verbis ejus credula, cœpit de fine suo tractare, » excessus suos pertractare.... In crastinum autem liquore sancti olei ab » eo inuncta, cùm nullam gravedinem pateretur mandato pauperum » interfuit.... ad Missarum solemnia ivit, et cùm communicasset vivificis » mysteriis, dolore aliquantulum pulsata, ad cellam rediit, et adveniente » viro Dei cum fratribus, exitum suum orationibus muniri petiit, et sic » inter manus ejus in cinere et cilicio se reclinans, inter verba orationis » læta spiritum efflavit. » Hoc exemplum aliquo modo excusare posset hodiernum Græcorum usum, qui ut docet Allatius lib. 3. de perpetuo consensu Occidentalis et Orientalis Ecclesiæ cap. 16. n. 3. *Non tantùm infirmos, sed sanos quoque homines Extremâ-unctione sæpiùs inungunt.* Quorum hac in re praxim meritò mihi videtur impugnare Petrus Arcudius lib. 5. cap. 4. non solùm quia « pœnitentes bene valentes in omnibus » iis corporis partibus, adhibitâ quoque formâ sacramenti, non aliter » atque infirmos inungunt : sed etiam maximè quòd ad hæc multos inun- » gunt feriâ 5. sanctioris hebdomadæ, qui non sunt expiati sacramento » pœnitentiæ. » Tametsi non vulgaris nominis Theologi nonnulli Græcos, sanos et incolumes inungentes, ab omni prorsùs errore liberos pronuntiare non dubitent.

D. Jacob. de Sainte-Reuve. *Doct. Sorbonic. tract. de Sacrament. Extrem. unct. disput. sept. art.* 1. In Ecclesia Latina sacramentum unctionis confertur solis infirmis : et omnes Theologi post S. Thomam in supplem. q. 32. art. 1. contendunt institutum esse pro solis infirmis. Fundamentum repetunt 1. ex verbis S. Jacobi : *Infirmatur quis in vobis ?* Et : *Oratio fidei salvabit infirmum.* Nam, inquiunt, cùm Apostolus, ubi promulgavit Sacramentum istud, meminerit solùm ægrotantium, signum est quòd institutum pro iis solis à Christo fuerit. Confirmant ex Concilio Trident. concludente ex iisdem Scripturæ verbis, infirmos esse subjectum illius. Adducunt etiam modum loquendi SS. Patrum, Scholasticorum, Pontificalium, et Innocentii III. c. unico *De sacra unctione,* appellantium materiam istius sacramenti, *oleum infirmorum.* Sed vim faciunt maximè in verbis Decreti Eugenii : « Hoc sacramentum nonnisi infirmo, de cujus » morte timetur, dari non debet. » Undè Palud. in 4. d. 23. q. 3. « Sanus » non est inungendus, nisi instinctu Spiritûs sancti si peteret : sicut de » multis habetur, quòd sani se fecerunt inungi, sed statim, ut prædixe- » rant, fuerunt mortui. » Et Michaël de Bononia eadem D. q. 2. putat quidem *senibus* sine aliqua infirmitate corporea existentibus administrari

posse : sed subjungit, quòd tales multoties moriuntur sine actuali infirmitate ex subito defectu naturæ, quæ defectio naturæ reputatur eis pro actuali infirmitate ex solito defectu naturæ. Synodus Carnot. ann. 1526. « Nolumus Extremam-unctionem dari adultis sanis, quia eis nihil pro» desset, cùm sit sacramentum, pro infirmis solùm institutum. » Idem ante duos annos Synodus Senonensis docuerat.

In Ecclesia *Græca* confertur non ægrotantibus modò, sed etiam peccatoribus *sanis* et benevalentibus, ad abstersionem reliquiarum peccatorum. Cujus praxis testis est Arcudius lib. 5. de Extrema-unctione c. ult. in hæc verba : « Adeò ut modò non pudeat passim Græcorum Presbyteros » hoc oleum instar sacramenti ex imperitia benevalentibus administrare. » Et anteà c. 4. relatis Auctoribus Græcis, qui contendunt Sacramentum istud benevalentium esse peccatorum et infirmorum, subjungit : « Favet » multum nominatis Auctoribus auctoritas Euchologii, in quo non tan» tùm ægrotus, sed etiam sanus qui sit ungendus introducitur. Favet « item præsens Græcorum consuetudo, quæ quidem viget non in aliquo » angulo Græciæ, sed ubique passim, quam eamdem retinet hac nostrâ » ætate tota Russia, universaque Moscovia. » Et Goarus in notis suis ad S. Olei officium : « Gravi afflictos ægritudine, deque salute recuperanda » desperantes, officio præsenti super eos recitato, unanimi cum Latinis » consensu in domibus Græci ungunt : imò et ægroti plerique è plebe, » aliorum manibus et ope ad Ecclesiam se deferri student, tum ut sacro» rum præsentiâ, et animo levamen, et corpori miraculi alicujus expe» rimentum in recuperanda salute obveniat, ibique plurium nonnun» quam dierum spatio in Cathecumenæis jacent, pernoctant, morantur, » et sacrâ tandem unctione sibi remedium exposcunt. » Et posteà : « Con» tingit tamen, fateor, aliquando, ut officio peracto, ex adstantibus ple» rique, vel benedictionis spiritualis obtinendæ, vel levis alicujus doloris » eos afflictantis leniendi gratiâ, unctionis medelà se curari exoptent : » quod præstant Sacerdotes, eadem oratione ac super ægros recitatâ. » Et infrà loquitur de eodem ritu in hunc modum. « Ritus, quo gravioribus » subditi peccatis, licèt sint ex omni parte sani, quia tamen ægrotorum » delicta sanctam unctionem curare noverunt, illam deinceps pro Ca» none, id est, pœnitentia acceptam et Sacerdotibus totâ precum harum » serie se expiandos et infirmorum unctione velut adversâ animæ valetu» dine affectos et medendos offerunt. » Et infrà : « Addo unumquemque » oleo sancto ab Episcopo benedicto se se in Ecclesia Orientali ungendum » offerre feriâ. 5. in Cœna Domini, unctionemque ejusmodi, ut pecca» torum antidotum et sanctitatis largitricem sacræ communioni præviam, » Episcoporum manu suscipere. » Ac denique Leo Allatius lib. 3. de Ecclesiæ Occident. et Orientalis perpetua consensione c. 16. num. 3. de iisdem Græcis ita loquitur. « Non tantùm infirmos, sed sanos quosque » homines extremâ-unctione, et sæpiùs inungunt.

Praxis istius meminit Hieremias Constantinopol. in sua censura adversùs Augustanam confessionem lib. 1. cap. 7. scribens. « Illis verò qui » post Baptisma peccaverunt, Pœnitentia, consecratique olei unctio con» ducunt : quæ sacramenta aut remissionem præteritorum peccatorum » largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant. » Job Monachus in contemplatione 7. Ecclesiæ mysteriorum sic habet : « Tempus autem » quo oporteat suscipere Euchelæon, tota est mortalium vita post pecca» tum ad extremum usque spatium. Cumque opus sit statim post errata » illud sumere, plerumque tamen ob humanam oblivionem et ignoran» tiam, verecundiam item et negligentiam, atque omninò propter quas» cunque alias humanas passiones, etiam post ultimas horas exhibetur. » Simeon Thessal. lib. de 7. sacramentis, ante 400. annos composito : « Sanc» tum oleum traditum est, veluti sacrum mysterium, divinæque mise» ricordiæ typus, quod in redemptionem et sanctificationem præbetur » his qui se à peccatis convertunt. » Facit et ad probandam antiquitatem ritûs istius Ecclesiæ Orientalis, Epistola Innocentii IV. ad Episcopum Tusculanum, in qua prohibet, « ne Sacerdotes Græcorum aut Confesso» res pro satisfactione Pœnitentiæ unctionem aliquam solummodò in» jungant. » Nam cùm solam Sacerdotes isti unctionem injungerent, sermoque esset de *sanis* atque benevalentibus, et Pontifex prohibeat ne

I. Estne exspectandus reipsâ vitæ exitus, ut administretur hoc sacramentum ?

R. Nullo modo : sufficit enim morbum esse gravem ; et cum majori fructu recipitur hoc sacramentum, si suscipiatur ab iis qui nondum sunt in extremis vitæ angustiis constituti. (P)

ejungant solam unctionem, conficitur ex hac loquendi ratione non prohibuisse Pontificem injungi unctionem post absolutionem sacramentalem. Faciunt denique ad id fortassè loci Chrysostomi et Origenis suprà citati. Nam si vera est observatio Dallæi, locuti sunt de ea unctione quæ sanis æquè ac infirmis apud Orientales adhibebatur.

Quæres 1. Utrum hujusmodi unctio reputari debeat nostrum sacramentum ?

Respondeo affirmativè. Quia præter *materiam* habet *formam* consuetam : *Pater sancte, etc.* Habet quoque *Ministrum*. Goarus oppouit Pontificem ungentem benevalentes haud intendere Sacramentum illis administrare, cujus sunt incapaces, quia nullà detinentur infirmitate. Sed frustrà. Nam saltem Pontifex habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, et id sufficit. Intendit ungere homines, verba formæ unctionis Sacramenti proferendo in ordine ad abstergendas peccati reliquias, qui est alter ex effectibus sacramenti unctionis. An verò benevalentes sint incapaces Sacramenti nostri disputatur inter *Latinos et Græcos*, bis negantem sententiam propugnantibus, illis affirmantem.

Quæres 2. Utrum Græci versentur in errore, sustinendo Sacramentum unctionis esse institutum æquè pro *sanis* ac *ægris* ?

Respondeo negativè. Nam neque Scripturæ, neque Conc. Trid. neque Decretum Eugenii, nec denique nuncupatio materiæ illius id postulant. Scriptura jubet ungi infirmos : non excludit *sanos*. Concilium Trid. pronunciat subjectum unctionis esse *infirmos*, ad eum modum quo S. Jacobus cujus verbis nititur. Eugenius in Decreto declarat, quòd *non nisi infirmo dari debet :* sed non ait, quòd *pro infirmis solummodò fuerit institutum*. Nunc Eucharistia *non nisi suæ rationis compotibus* conferri debet : neque tamen instituta fuit pro *solis qui usum rationis habent*. Eugenius declaravit qualis esset praxis Ecclesiæ Romanæ quam voluit Armenos amplecti ; non declaravit præcisè qualis esset institutio Sacramenti. Denique materia Sacramenti appellatur oleum infirmorum à Latinis polissimùm, qui attenderunt ad usum nostræ Ecclesiæ, neque respexerunt ad institutionem Sacramenti : aut etiam sic nuncupatur, ut distinguatur ab alio oleo : quia ordinatur præcipuè *ad infirmos*, licèt non solos perungendos.

Et sanè præterquam quòd praxis Ecclesiæ optima est interpres Scripturæ : unde rectè colligitur Jacobum Apostolum non commemorasse infirmos cum exclusione *sanorum*, quandoquidem Ecclesia Orientalis confert illud sacramentum *sanis et ægrotis :* dico prætereà praxim istam non posse argui : quia *Latini* nunquam redarguerunt Græcos de ea. In Concilio Florentino, in quo Occidentales de multis quæsivere ab Orientalibus post Synodicam definitionem, nihil de unctione. Innocentius IV. Epist. cit. ad Tusculanum Episcopum, culpavit Sacerdotes Græcos, non quia peccatores *sanos* ungebant, sed quia pro satisfactione pœnitentiæ injungebant *unctionem solam*. Denique si praxis ista fuit Orientalis Ecclesiæ antiquæ praxis, si Chrysostomus et Origenes de ea praxi testimonium perhibuere : non video quâ ratione Græci culpari in eo valeant, quia vetus Orientalis Ecclesia culpari nisi temerè non potest.

RITUALE PARIS. *Jussu* Emin. Card. LUD. ANT. DE NOAILLES *anno* 1667. *edit. tit. de Sacram. Extremæ-unct. pag.* 202. *in calce.* Debet autem hoc unctionis sacramentum præberi iis qui præ senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.

(P) CONCIL. BURDIGALENSE. *ann.* 1681. *n.* 13. Quamvis sacramentum Extremæ-unctionis ægrotis sit administrandum, qui in extremum vitæ discrimen ad periculum adducti esse videntur : tamen non eò usque differendum est, dum æger omnibus pœnè sensibus destitutus est.

I. Cur recipitur ab iis cum majori fructu?

R. 1. Quia recipitur ab iis cum attentione mentis quam habere vix possunt qui supremum spiritum jam jam sunt emissuri, utpote qui tunc non sint ut plurimùm sui compotes.

2. Qui cum attentione animi et mentis advertentiâ Sacramentum hoc suscipiunt, ii possunt faciliùs elicere contritionis actus et cæteras affectiones animi, ex quibus gratiam abundantiorem potest ægrotus per hoc Sacramentum sibi impetrare.

3. Tentare Deum videtur, qui salutem corporis per hujus Sacramenti virtutem ægroto jam in agone constituto postulat: si verò versetur quidem in periculo, sed non prorsùs desperata sit salus ægroti, tunc maximè juvat ad medicorum remedia Sacramentum accedere, cujus virtute reddi possint efficaciora. (Q)

Quapropter Parochis præcipimus ut omnes curæ suæ creditos frequenter moneant, ne sint hac in re lentiores, aut negligentiores, cùm inter eos aliquis periculosè laborare videbitur. Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani et impia opinione abducere, quâ plerique sinistrè de hujus Sacramenti virtute sentiunt, perindè ac si mortem ægris accelereret: cùm certum sit, ex Apostoli doctrina (*Jacob.* v. 14. *et* 15.), Deum non animæ tantùm, verùm etiam corpori, si expedierit virtutem hujus sacramenti conferre.

Concil. Rhemens. *ann.* 1583. *titul.* 15. *de Extrema-unctione*, *n.* 1. Sacramentum Extremæ-unctionis à Domino Jesu Christo fuisse institutum sicut nemo pius ambigit, ita à D. Jacobo promulgatum fuisse testatur ejus Epistola: in qua cùm illius vis et efficacia luculenter explicetur, hortamur omnes ad quos hoc negotium spectabit, præsertimque Parochos, et eorum Vicarios, ne permittant ut fidelium aliquis, sine hujus unctionis perceptione, modò illius capax exstiterit, è vivis exeat.

N. 2. Parochus etiam non exspectet, ut regetur de eo conferendo, sed sedulitate suâ præveniat ægrotum de vita periclitantem: caveatque ne vel mors unctionem præveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat.

Concil. Biturigense *ann.* 1584. *titul.* 28. Quia *adversarius noster, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (1. *Petr.* v. 8.); et præsertim morientibus instat et insidias tendit, ac nititur recordatione peccatorum fiduciâ misericordiæ divinæ eos dejicere: convenientissimè Ecclesia ex Christi Domini instituto (*Marc.* vi. 13.), et beati Jacobi Apostoli mandato (*Jacob.* v. 14. *et* 15.) migraturis ex hac vita Extremæunctionis remedio providit.

Can. 1. Administretur tempestivè à Sacerdote Extrema-unctio olei sancti, ita ut Christianus mente adhuc integrâ sacramenti efficaciam agnoscere possit.

Can. 2. Doceantur infirmi eam percepturi, quis sit ejus fructus; et non esse exspectandum ad eam suscipiendam finem vitæ.

Concil. Mediolan. Provinc. I. *sub S. Carol. part.* 2. *pag.* 12. Extremæ-unctionis sacramentum curet Parochus, ut ægroto, dum integris est sensibus, adhibeatur.

Idem cùm ad ungendum infirmum accesserit, diligenter eum consoletur; et hortetur, ut bono animo sit; et à curis ac desideriis hujus vitæ ad cœlestis beatitudinis cogitationem ita erigat, ut abjecto mortis metu, se à Deo in æternam requiem vocari gaudeat.

(Q) Catechis. Concil. Trident. *part.* 2. *titul. de sacram. Extremæunctionis.* §. 17. Cùm igitur illi tantùm qui morbo laborant, curatione indigeant: ideircò iis etiam qui adeò periculosè ægrotare videntur: ut, ne supremus illis vitæ dies instet metuendum sit, hoc sacramentum præberi debet.

§. 4. De effectibus hujus Sacramenti, et de cæteris rebus quæ spectant ad hujus administrationem vel susceptionem.

I. Quinam sunt effectus Unctionis-extremæ ?

R. Synodus Tridentina (*Sess.* 14. *cap.* 2.) quatuor assignat. « Res et effectus hujus Sacramenti, inquit, illis verbis » explicatur (*Jacob.* v. 15.) : *Et oratio fidei salvabit infirmum :* » *et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, dimittentur* » *ei.* Res etenim hæc gratia est Spiritûs sancti : cujus unc- » tio 1° delicta, si quæ sint adhuc expianda ; 2° ac peccati » reliquias abstergit, et ægroti, 3° animam alleviat et con- » firmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam ex- » citando : quâ infirmus sublevatus, et morbi incommoda » ac labores leviùs fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo » insidiantis, faciliùs resistit : 4° et sanitatem corporis » interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. »

I. Quænam peccata dimittuntur per hoc sacramentum ; mortalia, an venialia ?

R. Jacobus Apostolus de effectu hujus Sacramenti loquens, ait, *si in peccatis sit*, (infirmus) *dimittentur ei.* (*Jacob.* v. 15.) Non distinguit ibi venialia à mortalibus. Tridentina Synodus item (*Sess.* 14. *cap.* 2.), *si peccata sint*, inquit, *adhuc expianda*, *abstergit*. Licèt ergo expressis verbis non definierit Ecclesia utrum peccata venialia an et mortalia dimittantur, ideoque variè sentiant ea de re Theologi : tamen utriusque generis peccata dimitti multò certius ex verbis tum Apostoli tum Concilii Tridentini colligitur : et hæc fuit sententia Sancti Caroli Borromæi. (A)

2. 18. In quo tamen gravissimè peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent : cùm jam omnis salutis spe amissâ, vitâ et sensibus carere incipiat. Constat enim, ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam plurimùm valere si ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens, et ratio viget, fidemque, et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur. Quare Parochis animadvertendum est, ut eo potissimùm tempore cœlestem medicinam adhibeant, illam quidem semper vi suâ admodum salutarem, cùm eorum etiam pietate et religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint.

(A) S. Carol. *in Instruct. Extr. unct. Act. Eccles. Mediol. part.* 4. *pag.* 449. Prima igitur utilitas et effectus hujus sacramenti est, quòd peccati reliquias tollit, tanquam complementum Sacramenti pœnitentiæ. Quæ reliquiæ peccata esse intelliguntur, sive mortalia sive venialia, quæ post alia Sacramenta remanent : potest enim fieri, ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat : in quo delendo ita hoc sacramento juvatur ; ut fieri possit eum per hoc sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnandus. Hæ reliquiæ etiam sunt, torpor, mœror, et anxietas quædam, quæ ex peccato relinquitur, et hominem morti proximum affligit.

Sunt porrò multa, quæ ægrotantem variè affligunt ; mortis naturalis metus, et divini judicii horror, quo maximè terretur ; et morbi vis : quæ illum ita deprimit ut de Deo, divinisque et cœlestibus rebus, ac de animæ suæ salute cogitationes aliquando suscipere non possit. Fitque sæpè interdum, ut morbo vexatus, paulò momento huc atque illuc impellatur, modò ad querelas, modò ad suspiciones, modò ad impatientiam, aliasque hujus generis pravas affectiones, quæ illius animam lædunt. Adversùs hæc porrò omnia incommoda sacramentum hoc tanquam

salubérrima medicina valet ; eamque vim divinitùs habet ut levius ea ferat.

JOAN. MALDONATUS è Societ. Jesu, *Tract. de Extrem. unct. Quæst.* 2. *de effectu Extr. unct.* Duplicem esse effectum hujus Sacramenti D. Jacobus testatur : corporis sanitatem, et peccatorum remissionem.... Disputatur autem à Theologis, uter sit effectus præcipuus.

Respondeo : si comparatio fiat inter corporis sanationem et peccatorum remissionem, non esse dubium, quin remissio peccatorum sit effectus præcipuus : quia omnia Sacramenta per se pertinent ad animum, per accidens ad corpus.

Rursùm disputatur à Theologis, quæ remissio sit illa, ad quam per se hoc Sacramentum institutum est. Legerunt, ut opinor, Scholastici apud aliquem Auctorem antiquum, per hoc Sacramentum purgari reliquias peccatorum. Quæ res in causa fuit, ut inducerentur in varias sententias. Nam alii existimantes peccatorum reliquias esse peccata minutula et venialia, dixerunt hoc Sacramentum fuisse institutum per se ad remissionem venialium. Quæ quamvis est communis Scholasticorum opinio, videtur mihi esse falsa. Primùm, quia D. Jacobus absolutè et generaliter loquitur; *si in peccatis sit, dimittentur ei.* (*Jacob.* v. 15.) Secundò, quia si sola venialia remittererentur, non loqueretur Jacobus sub conditione, *si in peccatis sit*, quia nemo est sine peccatis venialibus. Tertiò, quia ad remissionem peccatorum venialium non est necessaria nova gratia. Omne autem Sacramentum per se dat gratiam. Ergo aliquem majorem habet effectum, quàm ut remittat peccata venialia. Quartò, omnes Theologi Scholastici hanc causam esse dicunt cur peccata venialia non sint necessaria materia Confessionis ; quia cùm non requiratur gratia ad remissionem illorum, non fuit necesse instituere propter illa Sacramentum. Quintò, si hic esset proprius effectus, potiùs hoc Sacramentum deberet exhiberi sanis, quàm ægrotis ; quia peccata venialia multò magis sunt in sanis.... Denique ex forma Ecclesiæ contrarium probatur, quæ universè dicit : *Indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, per auditum, etc.*

Alii dixerunt esse institutum Sacramentum Extremæ-unctionis ad tollendas peccatorum reliquias, id est, proclivitates ad peccandum, quæ reliquiæ sunt ex peccatis. Quod similiter videtur mihi esse falsum. Primùm, quia istæ proclivitates sunt pœnæ peccati originalis, quæ per nullum Sacramentum tolluntur. Secundò, quia hoc est nimis longè discedere à verbis Apostoli, qui non de proclivitatibus, sed de peccatis loquitur. Tertiò, quia non esset locutus Apostolus sub conditione, *si in peccatis sit*, quia nemo est sine proclivitate peccandi. Quartò, quia istæ proclivitates aut natæ sunt ex peccato originali, aut ex prava consuetudine peccatorum mortalium. Quæ ex peccato originali natæ sunt, sunt naturales. Quapropter tolli non possunt per Sacramenta. Quæ ex prava consuetudine peccandi, sunt habitus, qui jam egerunt radices in subjecto. Quare non possunt auferri nisi per contrarias actiones. Quintò, quia tantùm abest, ut istæ proclivitates tolli videantur per sacramentum Unctionis, ut plurimi, qui jam acceperunt hoc sacramentum, cùm convalescant, vivant multò pejùs, quàm antè. Sextò, quia ad tollendas istas proclivitates et pœnas peccati, non est opus gratiâ. Sacramenta autem non sunt instituta, nisi ad finem ad quem gratia necessaria est. Septimò, ut argumentatur Durandus, si hic esset effectus hujus sacramenti, potiùs deberet dari sanis quàm ægrotis, quia proclivitates istæ non opus est ut auferantur, nisi ne in posterum peccemus : ægroti autem moribundi non peccabunt in posterum : sani autem peccabunt. Ergo sanis dandum potiùs hoc sacramentum, quàm ægrotis.

Igitur quòd per hoc sacramentum reliquiæ peccatorum deleantur, est verissimum. Sed non vocantur reliquiæ peccatorum, neque peccata venialia, neque pœnæ et proclivitates ; sed peccata mortalia, quæ per illa Sacramenta, quæ sanis dari solent, non fuerunt remissa. Nam reliquiæ vocantur, non quasi sint minutæ, quasi micæ quæ cadunt de mensa : sed quia sunt peccata residua è tota vita, etiamsi sunt maxima. Hoc ostenditur primùm ex verbis Jacobi, qui generaliter loquutus est, *si in peccatis sit.* Secundò ex forma Ecclesiastica, *quidquid deliquisti.* Hæc

enim phrasis nec significat peccata venialia, nec proclivitatem. Tertiò ex analogia et natura Sacramenti. Habent enim Christiani tria Sacramenta : Baptismum, per quem generantur et nascuntur in Christo. Pœnitentiam, per quam resuscitantur Deo, qui mortui erant peccato ; postquam in Christo nati erant : Unctionem extremam, per quam, quasi per medicinam, qui fuerant jam suscitati per pœnitentiam, sed habebant aliquid reliquum peccatorum, quasi morbum, curarentur. Hæc enim est causa, cur solis ægrotis detur hoc Sacramentum, ut significetur esse medicina quædam ad sanandos penitùs Christianos qui animo ægrotant.

Robert. Bellarm. è Societ. Jesu S. R. E. Card. *Controv. tom. 3. de sacram. lib. 1. de Extr. unct. cap. 8. de effectu hujus sacramenti.* Convenit inter Theologos, duos esse effectus hujus sacramenti : unum, quòd sanat corpus, si ita expedit animæ saluti : alterum, quòd abstergit reliquias peccatorum.

Una tantùm est inter Theologos quæstio. Nam quæ sint peccatorum reliquiæ, non eodem modo omnes explicant. Quidam esse volunt peccata venialia ; sed improbabiliter : nam ea possunt sine Sacramento deleri, nec ad ea tollenda requiritur nova infusio gratiæ, quæ est effectus omnium Sacramentorum. Itaque si is esset effectus proprius et præcipuus hujus unctionis : non facilè probare possemus eam esse Sacramentum, nec Jacobus diceret : *Si in peccatis fuerit, remittuntur ei.* (*Jacob.* v. 15.) Peccata enim venialia omnes habent : nam ut idem ait, (III. 2.) *In multis offendimus omnes.* Denique non est tutum restringere ad venialia, quod Jacobus generatim vocat peccatum ; et quod in forma dicimus : *Quidquid deliquisti.*

Alii nomine reliquiarum intelligunt pronitatem, sive habitum ex peccato relictum. Sed ii adhuc improbabiliùs loquuntur : nam de hujusmodi habitu non potest commodè intelligi illud Jacobi : *si in peccatis fuerit :* neque illud formæ sacramentalis : *Quidquid deliquisti.* Deindè non videntur tolli ejusmodi habitus per hoc Sacramentum : sæpè enim accidit, ut qui convalescunt, eamdem pronitatem sentiant ad peccandum, quam anteà sentiebant. Nec immeritò : habitus enim contracti per actiones frequentatas non tolluntur, nisi frequentatione contrariæ actionis.

Dico igitur reliquias peccatorum duplices esse, et utrarumque abstersionem ad effectum hujus sacramenti propriè dictum pertinere. Primùm enim reliquiæ dicuntur peccata, quæ interdum remanent post omnia alia Sacramenta, sive mortalia, sive venialia sint. Potest enim fieri, ut quis post Confessionem, et Communionem, in peccatum mortale incidat, et ignoret se eo peccato teneri ; undè non poterit illud nova Confessione expiare : potest etiam fieri ut Confessionem et Communionem non ritè peregerit, et hoc ipsum ignoret. Istæ igitur sunt veræ reliquiæ quæ hoc Sacramento tolluntur, nisi quis obicem ponat. Et hoc indicat Jacobus, cùm ait : *Et si in peccatis fuerit :* et Concilium Florentinum, cùm dicit, effectum esse animæ sanationem : et Tridentinum, cùm ait sess. 14. cap. 2. *si quæ delicta sint adhuc expianda, abstergit :* et forma sacramentalis : *Quidquid deliquisti per visum, tactum, etc.* Deniquè unguntur quinque sensus, quia illa sunt quasi quinque ostia, undè peccata intrant ad animam, ut nimirùm fiat generalis quædam expurgatio omnium, quæ remanent peccatorum. Ex quo intelligimus, quàm sit hoc sacramentum non contemnendum, cùm aliquando fieri possit, ut per hoc sacramentum salvetur is, qui alioquí planè damnandus erat.

Secundò ; nomine reliquiarum peccati, venit etiam quidam torpor, et mœror, et anxietas, quæ ex peccato relinqui solet, et quæ maximè hominem morti vicinum vexare potest : de quibus loquitur idem Concilium Tridentinum suprà citatum, et sanctus Jacobus, cùm ait : *alleviabit eum Dominus.* (*Jacob.* v. 15.) Nam sanctus Jacobus brevissimè omnes tres effectus sacramenti hujus complectitur, ac primò incipit à levissimo, id est, à sanitate corporali, cùm ait : (*Ibid.*) *Oratio fidei salvabit infirmum.* Secundò addit de uno genere reliquiarum : *Et alleviabit eum Dominus.* Tertiò addit de alio genere : *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

D. Jacob. de Sainte-Beuve. Doct. Sorbon. *tract. de sacram. Extrem.*

unct. Disput. 5. *art.* 1. Prima sit propositio. Remissio peccatorum est effectus proprius unctionis infirmorum. Probatur 1. ex modo loquendi scripturæ (*Jacobi* v. 15.) *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis constat peccata remitti per Sacramentum unctionis. Quòd verò remittantur *per se* et non solùm per *accidens* atque conditionatè, probo 1. quia non est fundamentum sufficiens dicendi id convenire illi *per accidens* duntaxat in hac particula (*si*) positum. Quandoquidem, ut ostendimus disput. 2. art. 2. particula hæc non semper significat in Scripturis *conditionem rei dubiæ*; sed significat sæpiùs *concessionem rei certæ*: quòd autem eo loci ipsa particula non significet *concessionem rei certæ*, sed *concessionem rei dubiæ*, adversarii ut probent aliquid docere debent, aut frustrà proferunt: sed docere non possunt. 2. Quia Scriptura significat hoc modo loquendi remissionem peccatorum esse effectum Extremæ-unctionis *speciali quadam ratione*, qualis ratio non convenit cæteris Sacramentis *vivorum*, putà Confirmationi aut Eucharistiæ, quæ tamen conferunt *per accidens* remissionem peccatorum. Ergo Extrema-unctio eam confert *per se* et non solùm *per accidens*.

Probatur 2° ex verbis formæ receptæ in Ecclesia Romana: Per *istam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum* et sic de cæteris. Nam cùm Sacramenta illud efficiant quod significant, et significetur de verbis istis remissio peccati, consequitur remissionem peccatorum effici per illud Sacramentum, idque *per se*: quia qui effectus significatur per verba formæ Sacramenti, est effectus *per se* illius.

Probatur 3° ex modo loquendi SS. Patrum appellantium unctionem infirmorum *complementum Pœnitentiæ*. Quæ nuncupatio indicat culpam remitti per illud.

Probatur 4° ex Patribus expressè docentibus, *peccata dimitti* per unctionem infirmorum. Origenes Homil. cit. in Leviticum, scribit *peccata remitti per duram et laboriosam Pœnitentiam*, ad quam revocat unctionem nostram, tanquam ejusdem *Pœnitentiæ complementum*. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, probat *Presbyteros habere facultatem condonandorum fidelibus peccatorum ex illo Jacobi* 5. *Infirmatur*, *etc.* Quæ probatio futilis est, si peccata non remittuntur per unctionem infirmorum. Augustinus sermone 215. de Tempore, attribuit duos effectus unctioni nostræ, *sanitatem corporis*, *et indulgentiam peccatorum*. Eadem est mens Gregorii Magni lib. Sacram. Eligius Noviom. Serm. cit. pronuntiat quòd confert *animæ sanitatem*. Idem vetus Pontificale Anglicanum, Arremar. Gemeticense, Tillianum, Remigio-Remense; etc. cum Codice Ratoldi, à quo vocatur *animæ medicina*. Conc. Cabil. 2. definit esse *medicinam quæ animæ corporisque medetur languoribus*. Conc. Regiaticense ait esse *sacramentum* per quod *remittuntur peccata*, confertur *spiritualis cura*, exhibetur *medicina*. Auctor Elucidarii apud Anselmum: *Peccata*, inquit, *confessa et non iterata*, *vel quotidiana*, *per hanc unctionem relaxantur*. Petrus Damiani Serm. in Dedic. Ecclesiæ perspicuè habet, quòd *peccata mortalia dimittit*. Gofridus Vindocin. opusculo 9. appellat eam *medicinam sanctam*. Yvo Carnot. Epist. cit. *publicæ Pœnitentiæ sacramentum*. Petrus Cluniac. suprà, scribit institutam esse *propter peccatorum remissionem*. Hugo à S. Victore, *Res sacramenti remissio*, *quæ ex interiori unctione confertur*. Et alibi eam appellat *medicinam ad morbum cohibendum*.

Secunda propositio. Effectus Sacramenti Extremæ-unctionis *per se* non est sola remissio *venialium*, sed etiam *mortalium*. Est contra plurimos Thomistas. Probatur 1° ex citatis verbis Apostoli: *Et si in peccatis sit*, *etc.* et ex verbis Concil. Trid. *Delicta si quæ sunt adhuc expianda*, *etc.* Quæ verba æquè imò magis significant *mortalia* quàm *venialia* peccata: (*æquè*) dico, quia propositio utrobique indefinita. Addo (*imò magis*) quia nomen peccati seu delicti simpliciter positum supponit pro *mortali* potiùs quàm pro *veniali*.

Probatur 2° ex ipsa forma, cujus verba sunt universalia: *Quidquid peccasti*. Nam voces istæ universales involvunt mortalia ipsa peccata.

Probantur 3° Patres laudati loquuntur absolutè. Ergo de peccatis etiam mortalibus.

Objicies, 1. Extrema-unctio est Sacramentum *vivorum* et non *mortuorum*, ex omnibus Theologis agnoscentibus solùm *Baptismum*, et *Pœni-*

I. Quid intelligis per hæc verba, *Peccati reliquias abstergit?*

R. Is sensus est, hoc sacramento tolli non solùm peccata, ut diximus; sed etiam quæ ex peccato sequuntur, torporem mentis, nimiam anxietatem, nimium mœrorem, nimium mortis metum et divini judicii horrorem, aliaque id genus quæ eximiè pro more explicat S. Carolus Borromæus. (B)

I. Cur ais sanitatem corpori non semper, sed interdùm, et ubi saluti animæ expedierit, per hoc Sacramentum conferri, cùm tamen S. Jacobus dicat absolutè, *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus?* (*Jacob.* v. 13.)

R. Hæc verba sancti Jacobi intelligenda sunt absolutè de salute animæ, et de alleviatione spirituali : nec possunt intelligi nisi sub conditione utilitatis vel necessitatis animæ, de sanitate corporis : et hæc conditio quidem per se subintelligitur. Nam Sacramenta non sunt instituta nisi ad nostram utilitatem ; porrò sanitas corporis nullam nobis confert

tentiam pro Sacramentis *mortuorum.* Ergo remissio peccatorum mortalium non est effectus per se Unctionis extremæ.

Respondeo, Sacramenta *mortuorum* ea dici, quæ ex *primaria intentione* propria institutionis remittunt peccata *mortalia.* Sed Extremaunctio non est hujus generis, eaque remittit tantùm ex *secundaria intentione*, cùm primaria intentio ejus sit conferre gratiam confortantem atque alleviantem.

Quod ut intelligatur, distinguenda est *triplex* ratio, quâ *peccatum mortale* remittitur in Sacramentis nostris. Prima est per se ex primaria intentione propriæ institutionis : et hæc est propria *Baptismi* atque *Pœnitentiæ.* Secunda est per se ex secundaria intentione propriæ institutionis : et hæc est peculiaris unctionis infirmorum. Tertia deniquè est *per accidens*, quæ convenit cæteris quatuor Sacramentis. Quòd enim *per se ex secundaria intentione* propriæ institutionis peccata possint deleri per nostram unctionem, ex eo probatur quòd Scripturæ loquantur de remissione peccatorum per Extremam-unctionem *alio modo* quàm per cætera Sacramenta *vivorum.* Concilium Trid. expressè quoque eamdem connumerat inter ejus effectus, conformiter sanctis Patribus. At verò si spectaret tantùm remissio peccatorum ad Extremam-unctionem tanquam ad causam *per accidens*, non sic expressè enumeraretur à Conciliis et Patribus inter ejus effectus, quemadmodum non enumeratur inter effectus cæterorum Sacramentorum, quæ dicuntur *vivorum.* Itaque cùm constet non esse effectum *per se ex primariâ intentione* propriæ institutionis, cùm constet etiam non esse effectum *per accidens*, superest eam dici effectum per se ex secundaria intentione propriæ institutionis.

Guillel. Estius *cum omnibus ferè Theologis scholasticis, in* 4. *Sentent. Dist.* 23. §. 4. *Venialia peccata non verò mortalia hoc sacramento diluì censet his verbis :* Primus effectus est peccatorum remissio ; non quidem peccati originalis, ad quod delendum institutus est Baptismus ; neque peccatorum mortalium, ad quorum remissionem post Baptismum ordinatur sacramentum Pœnitentiæ ; sed venialium sine quibus hæc vita non ducitur, et quorum remissione tunc maximè opus habet homo Christianus, quando ex hac vita jamjam discessurus, sisti debet ante tribunal summi Judicis, secundùm ea quæ in corpore gessit judicandus. Hunc esse hujus sacramenti effectum, primùm confirmant Apostoli verba : *si in peccatis fuerit, remittentur ei....* (*Jacob.* v. 15.) Confirmat deindè ipsa hujus sacramenti forma, quâ dicitur : *ignoscat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum*, etc. præsertim cùm delicti vinculo plerumque in Scripturis minora peccata, qualia sunt infirmitatis et ignorantiæ, significentur

(B) S. Carol. *in Instr. Extr. unct. Act. Eccles. Mediol. par.* 4. *Vide suprà litt.* (A)

utilitatem, nisi quatenùs prodest vel necessaria est ad salutem.

I. Sacramentum Unctionis-extremæ estne absolutè necessarium ad salutem ?

R. Non est quidem. Sed tamen non potest ejus susceptio negligi sine peccato : Hostis enim est sui ipsius, adeoque peccat, qui morbi angustiis pressus sponte negligit fructus eximios quos potest ex hujus sacramenti susceptione percipere. (C)

I. Quænam debent esse dispositiones in ægroto ad ritè suscipiendum hoc sacramentum ?

R. Debet ægrotus habere spiritum fidei et precum et pœnitentiæ et contritionis ; et ad Dei arbitrium et nutum sese totum fingere et accommodare.

I. Debetne præmitti sacramentum Pœnitentiæ, sacramento Extremæ-unctionis ?

R. Debet quantùm fieri potest ; nam sacramentum Extremæ-unctionis dicitur à sanctis Patribus et Conciliis, Pœnitentiæ complementum. (D) Sic autem appellatur, quia sacramentum hoc abstergit peccatorum reliquias, ut jam diximus.

I. Debetne susceptio sacrosancti Viatici corporis Domini præmitti sacramento Unctionis-extremæ ?

R. Is fuit antiquus, non tamen universalis, nec perpetuus Ecclesiæ mos, ut priùs administraretur Extrema-unctio quàm Viaticum. (E) Et is quidem usus perseveravit in toto

(C) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *cap.* 3. Nullâ ratione audiendi sunt.... qui hanc Extremam-unctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant.... nec verò tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritûs sancti injuria, esse posset.

Idem docent omnium ferè Ecclesiarum STATUTA SYNODALIA, *antiqua, seu moderna, et omnium Diœceseum* LIBRI RITUALES, *quos consule.*

(D) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *Doctrina de sacram. Extr. unct.* Sacramentum Extremæ-unctionis, quod non modò pœnitentiæ, sed et totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus.

(E) S. GREG. Pap. *lib. Sacrament. pag.* 253. *edit. Paris. in* 4. *ann.* 1642. (*Post susceptum Extremæ-unctionis sacramentum*) deindè communicet eum corpore et sanguine Domini.

D. HUGO MENARD. è Congr. S. Mauri *notâ* 915. *in Sacram. S. Gregorii.* Datur Eucharistia post ipsam unctionem, quòd valdè notandum est : quia olim ungebatur infirmus antequam sumeret viaticum corporis et sanguinis Domini. Id videre est in Decreto Eusebii Pap. apud Burch. lib. 18. cap. 11. et Ivonem lib. 15. cap. 35. *Sacerdos impleat omnia.... circa ægrotum pœnitentem.... id est, orationes dicat, et ungat cum oleo sancto, et Eucharistiam ei donet.* Apparet etiam ex Pœnitentiali Theodori apud Burchardum, lib. 18. cap. 14. et Ivonem lib. 15. cap. 36. « et ideò secundùm canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, » orationibus et consolationibus sacra eum unctione olei animali, secundùm statuta Sanctorum Patrum, communione viatici reficiantur. » Praxis videtur in vita Caroli magni ex editione Pithœi : *Oleo autem sancto inunctus* (Carolus imperator) *ab Episcopis, et Viatico sumpto, et omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum suum, obiit in pace.* In vita S. Ottonis Archiepiscopi Bambergensis lib. 3. cap. 45. « Interea languor » magis magisque spiritum luctantem urgebat, ritèque dispositis omnibus quæcunque post se victuris præstare potuit, supplici et purâ » confessione præmissâ ; olea illa et placida, et sacrâ unctione sacri olei

» delibuta propitiabile Viaticum corpus Domini percepit. » Apud Arnoldum Lubecensem lib. 3. Histor. Slavorum, cap. 3. de obitu S. Henrici Episcopi Lubecensis : « Sic confortatus in Domino, convocatis fratribus » dicebat se jam resolvi : et accipiens sancti olei unctionem manus ipse » porrigebat, pedes extendebat : cum psallentibus psallebat : sumptoque » viatico Dominici corporis dixit, ô Rex gloriæ veni cum pace. » Et apud Theodoricum lib. 4. vitæ S. Elizabeth uxoris Ludovici Landgravii Turingiæ cap. 5. ubi agens de morte ejusdem Landgravii, sic ait : « Videns » igitur quia sibi mortis periculum immineret, vocato Patriarchâ Hie» rosolymitano, ab ipso sacræ unctionis sacramentum accepit; qui ut » officium solemne hoc perageret, Episcopum de sancta Cruce cooperatorem assumpsit. Peractâ unctione, sacro-sancti Corporis Domini » nostri Jesu Christi sibi viaticum tradiderunt, quod cum fide Catho» lica et sincera devotione suscepit. *In vita sanctæ Adalheidis* lib. 1. cap. 16. » Resumptis aliquantulùm viribus corporis, muniri se rogavit attentiùs » mysteriis Ecclesiasticis. Tunc sacri olei unctione peruncta, sacramentum Dominici corporis humiliter et devotissimè adorando percepit. » Id etiam videre est in vita S. Hugonis Abbatis Cluniacensis apud Surium April. 19. ubi agitur de visione S. Godefredi Episcopi Ambianensis : « Rogarique à fratribus, ut Abbatem Hugonem oleo sancto inungeret; » et Episcopali redimitus infulâ Missas celebrans, Dominici corporis et » sanguinis ei viaticum ministrat. *Id statuunt Constitutiones Riculfi Suessionensis Episcopi :* Item oportet ut Presbyteri infirmos suos per confessionem et reconciliationem oleo sancto perungant, et tunc eos communicent. » Hoc etiam constat ex vita S. Adalardi Abbatis Corbeiensis apud eumdem Surium Jan. 2. qui sanctâ unctione delibutus postridiè manè sacro viatico pastus est. Forsitan aliquis obex interjectus fuerat, quominùs illud eodem die susciperet. Nam olim tria sacramenta Pœnitentia, Extrema-unctio, et Eucharistia infirmis simul conferebantur.

D. Edm. Martenne Monach. Bened. è Cong. S. Mauri *de antiquis Eccles. Ritibus lib. 1. cap. 7. a. 2. n. 3.* Et primò quod ante Viaticum inungerentur infirmi, probat Eusebii Papæ Decretum apud Ivonem Carnotensem Decreti parte 15. cap. 35. jubens, ut Sacerdos circa ægrotantem pœnitentem *orationes dicat, et ungat eum oleo sancto, et Eucharistiam ei donet.* Acta S. Tresani Presbyteri, qui seculo VI. in pago Remensi florebat, apud Bollandum 7. Februarii : « Oleum sanctæ reconciliationis accepit, » et cum cordis intima contritione et humilitate suscepit... Quæ postquam explevit, Viaticum petiit. *Theodori Cantuariensis Archiepiscopi Pœnitentiale :* Ab infirmis in periculo mortis positis pura est inquirenda peccatorum confessio.... Sacrâ unctione olei inuncti secundùm statuta sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur. *Acta S. Hunegundis Virginis seculo 2. Benedictino :* Inter hæc conversa ad eos qui assidebant sibi Presbyteros, Unctionis oleum et communionem expetiit. *Dicta Bedæ Presbyteri apud Reginonem lib. 1. cap. 119.* Postquam infirmus sacrâ Unctione fuerit delibutus, statim Corpore et Sanguine Domini recreandus est. *Idemque Beda apud Guillelmum Malmesburiensem lib. 1. Histor. cap. 3.* Accitâ congregatione, inunctus et communicatus refertur. *Concilium Aquisgranense anni 836. cap. 5.* Si autem infirmitate depressus fuerit, ne Confessione atque oratione Sacerdotali, nec non Unctione sacrificati (Lege *sanctificati*) olei per ejus (*Presbyteri*) negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo more Sacerdotali cum acceptione sacræ Communionis. *Concilium Moguntinum anni 847. cap. 26.* Ab infirmis in mortis periculo positis, per Presbyteros pura inquirenda est confessio. Et ideò secundùm canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus Ecclesiasticis sacra cum Unctione Dei animati, secundùm statuta sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur. *Monachus Engolismensis in Vita Caroli Magni :* Oleo autem sancto inunctus ab Episcopis, et Viatico sumpto.... obiit. *Hincmari Capitulum 10.* Si ipse Presbyter visitet infirmos, et inungat oleo sancto, et communicet per se. *Constitutiones Riculfi Suessionensis Episcopi cap. 10.* Oportet ut Presbyteri infirmos suos post confessionem et reconciliationem oleo sancto perungant, et tunc eos communicent.

» *Acta S. Remberti Archiepiscopi seculo* IV. *Benedictino :* Mysterium sanctæ » Unctionis cum oleo sancto ei fieri præcepit, et unà cum communione » Corporis et Sanguinis Domini, usque in diem animæ exeuntis de cor- » pore hoc salutare remedium omni die percepit. *Ratherii Veronensis* » *Episcopi Epistola Synodica ad Presbyteros, Spicilegii tom.* 2. Infirmos » visitate, et eos reconciliate, et juxta Apostolum oleo sancto inungite, » et propria manu communicate. *Acta S. Oswaldi Wigorniensis Episcopi* » *apud Bollandum* 8 *Februarii :* Regressus in oratorium, convocatis fra- » tribus, hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ Unctionis cum » Viatico Dominici corporis. *Acta S. Leonis Papæ IX. à Wiberto Archidia-* » *cono descripta lib.* 2. *cap.* 16. Decrevit, ut quoniam plures Episcoporum, » Abbatum, cæterorumque fidelium confluxerunt turbæ, eis præsenti- » bus inungeretur sacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus usque- » quaque, munitusque Corporis et Sanguinis Domini communione, etc. » *Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi agens de Richardo Abbate:* » Ubi sensit imminere diem vocationis suæ, filios quos Christo acquisie- » rat, convenire jussit, et inunctus ab Episcopo oleo sancto, confessione » sanctâ, Viatico cœlesti pastus, expositus est lectulo. *Acta B. Mathildis* » *Imperatricis, apud Bollandum* 14. *Martii n.* 29. Finitâ Missâ, rursùs in- » travit cubiculum (Mathildis Guillelmus Episcopus Moguntinus) et ite- » rando dedit illi remissionem peccatorum : postmodum perunxit eam » oleo sacro, et recreavit sacro-sancto Corporis et Sanguinis Christi mys- » terio. *Chronicon. S. Trudonis lib.* 4. *Spicilegii tomo* 7. Quo etiam anno » præpositus Gerardus mortuus est, priùs confessus, unctus et commu- » nicatus. *Acta S. Idæ Comitissæ viduæ apud Bollandum* 13. *Aprilis :* sanc- » tam Unctionem veramque ac vivificam Communionem cum lacrymis » atque pio affectu à fratribus quæsivit. *Regula Clericorum Petri de Ho-* » *nestis lib.* 2. *cap.* 22. (Quòd si languor magis magisque increverit, per » Presbyteros aquà benedictà aspersi, oleo sancto perungantur, et Christi » Corporis et Sanguinis perceptione muniantur. *Ordericus Vitalis lib.* 13. » *de Henrico I. Anglorum Rege loquens :* Peractâ confessione, absolutio- » nem et pœnitentiam à Sacerdotibus accepit, oleoque sacræ Unctionis » delinitus, et Eucharistiâ refectus, Deo sese commendavit. *Et lib.* 5. *de* » *Odelerico patre suo :* Flebili confessione reatus suos detegendos detexit, » et sacrâ Unctione unctus et Viatico munitus 3. Nonas Junii obiit. *Et* » *lib.* 13. *Guarinum Abbatem Uticensem* lacrymosâ confessione, assiduâque » intentâ oratione, oleique sacri inunctione et Dominici Corporis salvi- » ficâ perceptione *munitum obiisse refert. Acta S. Theotonii Canonici Re-* » *gularis apud Bollandum* 18. *Februarii* : Cognoscens obitum sibi certis- » simum venire, sacramentum Unctionis accepit, et quod penè per dies » singulos faciebat, sacramento Dominici Corporis et Sanguinis se muni- » vit. » Denique vita S. Elisabeth, apud Surium 19. Novemb. *Peractâ Unc-* *tione, sacro-sancti Corporis Domini nostri Jesus-Christi Viaticum tradi-* *derunt* Ludovico Thuringiæ principi.

N. 4. Ex his omnibus aliisque hujusmodi testimoniis, in quibus ordo ministrandorum infirmis Sacramentorum describitur, quæque hìc congerere possem, luce meridianâ clariùs demonstratur, Unctionem Viatico ordinario usu præmissam fuisse : id quod confirmant omnia penè Rituala MSS. quæ meas in manus aliquando ceciderunt. Non ibo tamen inficias contrariam alicubi consuetudinem obtinuisse. Nam id satis innuit S. Cæsarius in Serm. 265. Appendicis novæ editionis S. Augustini, ubi sic loquitur : *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus et Sanguinem* *Christi, ille qui ægrotat accipiat, et indè corpusculum unguat.* Et Serm. 279. redarguens eos qui morbos incantationibus curare studebant : « Quantùm rectius, inquit, et salubrius erat, ut ad Ecclesiam curre- » rent, Corpus et Sanguinem Christi acciperent, oleo benedicto se et » suos fideliter perungerent, et secundùm quod Jacobus Apostolus dicit, » non solùm sanitatem corporum, sed etiam remissionem acciperent » peccatorum. » His succinit S. Eligius in tractatu de rectitudine Catho- licæ conversationis, n. 5. Et Herardus Turonensis Archiepiscopus in Ca- pitulari n. 21. *Ut in infirmitate positi absque dilatione reconcilientur, et* *Viaticum viventes accipiant, et benedictione sacrati olei non careant.* Simi- liter et Isaac Lingonensis Episcopus, qui etiam ante Herardum nonnulla

ferè Occidente ad seculum usque decimum tertium. (F) Perserverat etiamnum apud Cistercienses, et fortè apud alios collegit Capitula tit. 1. cap. 23. *Si in infirmitate deprehensus quis fuerit vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat.* Adde S. Prudentium Trecensem Episcopum, qui in sermone de vita et morte S. Mauræ apud Camusatium in Promptuario antiquitatum Tricassinæ Diœcesis, sanctam virginem sibi sic loquentem inducit: « Hoc etiam munus » à te peto, Prudenti Pater Episcope, ut in eorum præsentia de manu tua » Eucharistiæ et Extremæ-unctionis recipiam sacramenta. » Erit fortè qui Eucharistiam reverentiæ causâ ab istis Auctoribus priùs nominatam asserat, quamvis ordine Unctio præcederet: non deerunt etiam qui interpolationem fortè suspicentur. Et certè in Prudentii testimonio Extremæunctionis vocabulum illis temporibus prorsùs inaudituin interpolationem sonat. Verùm obstat Prudentii ipsius Pontificale MS. eleganter scriptum, quod fuit olim Monasterii Arremarensis, in quo Viaticum ante et post Unctionem dari decernitur. Idem videre est etiam in vita Roberti de Arbrissello, auctore Andrea ejus discipulo. In MS. etiam Pontificali quod in Bibliotheca Patrum minorum sanctæ crucis Florentiæ vidit Mabillonius, cujus meminit in Itineris Italici pagina 164. Viaticum Unctioni præmittitur. Idem videre est in vita S. Gilberti Institutoris Ordinis Sempringhamensis in Anglia apud Boll. 4. Februarii, nisi fortè Amanuensis sit error. Nam in ejusdem fusiori vita, qualis exstat in Monastico Anglicano tomo 2. Unctionem ante Viaticum accepisse memoratur. Idem etiam videre est apud Thomam Cantipratensem lib. 2. de Apibus, c. 51. n. 8. et cap. ult. n. 62. Cæterùm pauca hæc exempla infinitæ Ritualium multitudini, Auctorumque veterum turbæ, in quibus Unctio Viatico præmittenda decernitur, præjudicium afferre non debet.

(F) D. JACOB. DE SAINTE-BEUVE Doct. Sorbon. *Tract. de Sacram. unct. Disp.* 8. *art.* 3. Uncto infirmo *Eucharistia* olim porrigebatur. Patet istud ex Decreto Eusebii Papæ apud Ivonem Carnot. et Burchard. citato Disput. 2. « Sacerdos impleat omnia sicut suprà circa ægrotantem pœnitentem » scriptum est, id est, orationes dicat, et ungat eum oleo sancto, et Eu» charistiam ei donet. » Pontif. Gregor. M. « Deindè communicet eum » corpore et sanguine Domini. » Pœnitent. Theodor. Cant. « Et ideò se» cundùm auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clausa videa» tur, orationibus et consolationibus Ecclesiasticis, sacrâ Unctione olei » inuncti, secundùm statuta Sanctorum Patrum, communione Viatici » reficiantur. » Idem habet Concilium Moguntinum cap. 26. Hincmarus Rem. cap. 10. *Si ipse Presbyter visitet infirmos, et inungat oleo sancto, et communicet per se.* Auctor lib. de Divin. Officiis. Ratherius Veron. in serm. Synod. In Codicibus antiquis Turon. Siculo, Arremar. Ratoldi, Sagiensi, Remigio-Remensi, S. Mariæ Rem. Praxis verò legitur in Beda, referente Guillelmo Malmesbur. his verbis: « Tunc, accità Congregatione inunctus » est et communicatus. » In Hunnegunde, de qua conscriptor vitæ: « Ad » illa conversa ad eos qui illic assidebant Presbyteros, sacræ Unctionis » oleum et Eucharistiam sibi petit ministrari. » In Carolo Magno, de quo Eparchius: « Oleo autem inunctus ab Episcopis, et Viatico sumpto, et » omnibus suis dispositis, commendans Deo spiritum suum obiit in pace. » In Adelhardo, referente Paschasio. In Remberto Bremensi. In Oswaldo Eboracensi. In Matrona quadam, referente Auctore vitæ S. Dunstani Cantuar. In Leone IX. In Fulcranno Lodevensi. In Hereberto Coloniensi. In statutis Congregationis Cluniacensis sub Hugone. In Decretis Lanfranci, pro Ordine S. Benedicti. In Wilelmo Abbate Hirsaugiensi. In Regula Clericorum, Auctore Petro de Honestis. In Malachia Episcopo Hyberniæ. In Theotonio Presbytero. In Roberto de Arbrucellis. Et hæc eadem praxis etiamnum viget in Ordine Cisterciensi. Ita quemadmodum olim Baptismus, Confirmatio et Eucharistia conferebantur continenter homini recèns nato; homini proximè morituro tria quoque continenter conferebantur, Pœnitentia, Unctio et Eucharistia. Pœnitentia est alter Baptismus, cujus complementum est Unctio, quemadmodum complementum Baptismi est Confirmatio, Eucharistia verò est mox nati et mox discessuri.

aliquot è Regularibus. Quin et seculo decimo sexto obtinebat etiamnum ille usus apud complures Galliarum Ecclesias, nimirùm apud Ambianensem, Abrincensem, Bononiensem, Claromontensem, Ebroicensem, Sancti Flori, Laudunensem, Cenomanensem. Parisiis ineunte seculo decimo septimo præmittebatur vel postponebatur Extremæ-unctioni Viaticum pro ægroti arbitrio, sed frequentius erat præmitti Extremam-unctionem. (G) Jam contrarius usus in Occidente invaluit, nec contradicendum esse duxit Ecclesia, utpote cùm res non tanti momenti esse videatur. (H) Priscus tamen usus administrandi Extremam-unctionem ante Viaticum, illis saltem ægrotis qui fieri sibi id ita postularent, à nonnullis Episcopis non ita pridem restitutus est utpote convenientior. Id jam obtinet Parisiis, Castriis, Montispessulani, et alibi fortassè. (I)

(G) *Sub finem Missalis, quo usa est Eccles. Paris. sub Episc.* PETRO *et* HENRICO DE GONDY *usque ad annum* 1608. *reperiuntur preces et cæremoniæ in administ. Bapt. et Extr. unct. usitatæ. Et post preces in conferendo Extrem. unct. sacram. dicendas hæc leguntur :* On peut aussi (*postquam æger scilicet inunctus fuit sacro infirmorum oleo*) lui donner l'Eucharistie, s'il la demande, comme les autres Sacremens, et il ne faut pas avoir un grand égard à l'ordre de leur administration : car si un malade demande l'Eucharistie avant (*l'Extrem. unct.*) pourvu qu'il se soit confessé, il faut la lui administrer. *Ex quibus verbis liquet tunc etiam sæpiùs administratam fuisse Extrem. unct. ægrotis ante Viaticum.*

(H) *Rituale Rom.* PAULI V. *Avenione* 1699. *in*-12. *pag.* 104. *de sacramento Extremæ-unctionis....* Illud imprimis ex generalis Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus, et infirmi conditio permittat, ante Extremam-unctionem, Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur. *Et pag.* 107. Postquam Viaticum sumpserit inungatur à Sacerdote.

(I) RITUAL. PARIS. *ann.* 1697. *pag.* 202. *de Extrema-Unctione. Primùm.* Curandum esse, ut quantùm status ægroti permiserit, Extremam-unctionem sacramenti Pœnitentiæ administratio præcedat.

Secundum. Conveniens esse, ut, cùm diversis temporibus Extrema-unctio et Eucharistia infirmo præbenda sunt, Eucharistiam sequatur Extrema-unctio, nè, si aliter fiat, ægrotus nimis vitæ quasi desperatæ timore perculsus, aut omninò animo concidat, aut à recipiendis refugiat Sacramentis : si tamen devotio infirmi aliud postulaverit, id ei concedatur.

Tertium. Observandum esse, ut quoties cum oleo infirmorum, Viaticum ad ægrotum defertur, antequam æger Viaticum sumat, inungatur à Sacerdote.

Quartum. Denique, cavendum esse etiam quando oleum infirmorum cum Viatico delatum est, ut si periculum adsit ne infirmus Viatico decedat, statim Viaticum ante Unctionem administretur.

Statuts Synodaux de Messire AUGUSTIN DE MAUPEOU, Evêque de Castres, *publiés en* 1699. Les Recteurs ou Vicaires auront soin, autant que l'état du malade pourra le permettre, d'administrer le Sacrement de Pénitence avant celui de l'Extrême-onction. Pour ce qui est du Viatique, anciennement on ne le donnait qu'après l'Extrême-onction ; et cet ancien usage était fort naturel, parce que le Sacrement de l'Extrême-onction est comme la perfection et le supplément de celui de la Pénitence. Il est institué pour remettre les restes du péché, dont on ne saurait être trop purifié pour recevoir le Corps de Jésus-Christ. Nous ordonnons aux Recteurs et Vicaires de mettre encore en pratique cet ancien usage à l'égard des malades qui le demandent ainsi. Mais pour l'ordinaire, quand ils porteront le saint Viatique et l'Extrême-onction séparément, ils com-

I. Cur convenientior videtur mos antiquus præmittendi Viatico Extremam-unctionem ?

R. Quia Extrema-unctio, ut ait post sanctos Patres Tridentina Synodus, est sacramenti Pœnitentiæ consummativum, animamque abstergit ab omnibus peccati reliquiis. (K) At maximè convenit sacrosancti Viatici Corporis Domini sumptioni præmitti id sacramentum, quod non solùm peccata, sed et peccati reliquias tollit, ut sic purior anima corpore Domini reficiatur.

I. Quid agere debet ægrotus sui compos, cui sacramentum Extremæ-unctionis actu confertur ?

R. Debet attentum habere animum ad preces Ecclesiæ; et in spiritu humilitatis et in animo contrito petere veniam eorum omnium quæ per singulos corporis sui sensus peccavit, dum sensuum singulorum organa sacro oleo liniuntur.

I. Quid agere debent cæteri fideles, qui adsunt hujus sacramenti administrationi ?

R. 1. Debent preces pro ægroto fundere easdem quas per Sacerdotes fundit Ecclesia. Deindè debent redire ad cor suum, et sedulà mente cogitare quàm fragilis sit vita præsens, quantâ curâ in mente habendi sint anni æterni.

I. Quid agere debet ægrotus suscepto Extremæ-unctionis sacramento ?

R. Quidquid virium superest, totum id dandum orationi, piis ad Deum affectibus, gratiarum actionibus pro suscepto hujus sacramenti beneficio, mortis et æternitatis meditationi.

I. Potestne sæpiùs administrari sacramentum Extremæunctionis eidem homini ?

R. Potest quoties novus morbus subest. Quin et si ægroti post susceptum hoc sacramentum aliquatenùs convaluerint, et in novum subindè mortis periculum incidant, potest ipsis deinceps hoc sacramentum ministrari. Hic jam Ecclesiæ usus ubique obtinuit in Occidente. (L)

menceront par l'administration du saint Viatique, pour ne point intimider les malades à qui l'usage contraire paraîtrait nouveau, et qui pourraient se croire par-là plus malades qu'ils ne le sont.

Mais lorsque la maladie est assez dangereuse, pour demander qu'on donne en même temps et tout de suite l'Extrême-onction et le Viatique, Nous ordonnons en ce cas-là qu'on commencera par administrer l'Extrême-onction, si ce n'est dans le cas auquel le malade serait si pressé, qu'on ait lieu de douter qu'il vivra assez de temps pour recevoir l'un et l'autre Sacrement. Alors nous ordonnons aux Recteurs et Vicaires de commencer par le saint Viatique, et de donner ensuite l'Extrême-onction.

(K) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *Doctrina de Sacram. Extrem. unct. Vide suprà hocce §. litt.* (D. *Idem quoque docent* LIBRI RITUALES.

(L) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *cap.* 3. Declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur : undè et sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterùm hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.

CAPUT SEPTIMUM.

De Sacramento Ordinis.

§. 1. Quid sit Sacramentum Ordinis ; Quis hujus sacramenti Minister, qui effectus ; Quot Ordinum Gradus.

I. Quid est Ordo ?

R. Ordo Sacramentum est, quo datur potestas et gratia ad obeunda munia publica, quæ spectant ad Dei cultum, et animarum salutem. (A)

Ordo autem sacramentum est. Est enim signum sensibile gratiam conferens. Signum sensibile habes in impositione manuum Presbyteri et oratione aliisque verbis et signis exterioribus Episcopi : quo signo confertur gratia, et potestas obeundi sacra munia ; verbi gratiâ, offerendi Sacrificium, administrandi Sacramenta, peccata remittendi et retinendi, et cætera adimplendi ministeria Ecclesiastica.

I. Quâ ratione constat hoc signo sensibili talem gratiam conferri ?

R. Id manifestis Scripturæ testimoniis et certâ Traditione constat.

Scripturâ quidem in qua sæpiùs mentio fit manuum impositionis, et orationis ad Episcopatum, Sacerdotium et Diaconatum, et gratiæ quæ per hæc signa confertur. (B)

Idem docent omnes Theologi, et omnium ferè Diœceseum Rituales lib. Instar omnium RITUALE PARISIENS. *Jussu* EM. CARD. DE NOAILLES *ann.* 1697. *editum hîc exscribo, tit. de sacram. Extrem. unct. pag.* 204. In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi ita diuturna sit, ut cùm infirmus à præsenti periculo liber evaserit, iterùm in periculum mortis incidat.

(A) S. GREGOR. *in lib. 4. Regum cap.* 5. *n.* 23. *pag.* 246. In eo ergo, quòd immutatum cor Saül habere dicitur, novis prædicatoribus sanctæ Ecclesiæ similatur, qui cùm ordinem prædicationis accipiunt per divinam gratiam meliores fiunt. Samuël quippè Saül in principem unxit, Deus autem ei cor aliud immutavit : Quia sacrorum Ordinum sacramenta ab Ecclesiæ Doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interiùs roboramur. Virtus verò sacramenti gratia est Spiritûs septiformis. Quam certè gratiam, qui accipiunt, quasi alio accepto corde immutantur : quia quos gratiâ suâ sanctus Spiritus roborat, esse eos facit protinus quod non erant. Sic nimirùm et Redemptoris discipuli antè metuebant ; sed ubi per adventum sancti Spiritûs cor aliud eis immutatum est, verbum Dei cum fiducia prædicabant. (*Act.* IV. 31.) Aliud quippè Deus cor eis immutavit, quos mirâ charitate induit, et virtutum omnium splendoribus illustravit. (*Act.* II. 6.) Et notandum quia tunc ei Deus cor aliud immutavit, quando ut abiret à Prophela, humerum avertit. Quasi enim ut abeat, humerum avertit, quando is, qui prædicationis ordinem suscipit, id quod sibi de Pastorali officio præcipitur, agere disponit. Disponit quidem, sed non prævalet, si Deus ei cor aliud non immutet : quia summus locus benè non regitur, nisi Rectoris mens divini muneris summâ gratiâ repleatur.

(B) ACT. VI. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum : et orantes imposuerunt eis manus.

Certâ verò traditione, id est, unanimi Patrum omnium consensu, constat hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ fidem, manuum impositione et oratione gratiam conferri. (C)

XIII. 2. Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. 3. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

1. TIMOTH. IV. 14. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.

V. 22. Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.

2. TIMOTH. I. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 14. *in Act. Apost. versùs finem. Et cum orassent, imposuerunt illis manus.* (*Act.* VI. 6.) Ex hoc manifestum, quòd segregaverunt illos à multitudine. Et illi trahunt, non Apostoli ducunt. Vide quomodo conscriptor non est superfluus. Non enim dicit, Quomodo: sed simpliciter quòd ordinati sunt per preces. Hoc enim est *cheirotonia*, id est, ordinatio. Manus viro superponitur, totum autem Deus operatur: et illius est manus, quæ ejus qui ordinatur, caput contingit, si quemadmodum oportet, ordinatur.

Homil. 28. *circa medium. Segregate*, inquit, *mihi Barnabam et Saulum.* Quid est, *segregate mihi in opus?* (*Act.* XIII. 2.) In Apostolatum. Vide iterùm à quibus ordinantur. A Lucio Cyrenæo et Manahe, imò à Spiritu. Quantò enim personæ humiliores erant, tantò purior Dei apparet gratia. Ordinatur jam in Apostolatum, ut jam eum potestate prædicet.

Homil. 13. *in* 1. *ad Timoth. paulò post init. Cum impositione manuum Presbyterii.* (1. *Tim.* IV. 14.) Non de Presbyteris hoc in loco, sed de Episcopis loquitur. Neque enim profectò Presbyteri ipsum ordinarant.

S. LEO *Epist.* 1. *aliàs* 87. *ad Episc. Africanos. Vide infrà litt.* (C) *hocce* §.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 1. *in* 2. *ad Tim. versùs finem. Admoneo te, ut excites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* (2. *Tim.* I. 6.) Hoc est, gratiam Spiritûs quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, ad perpetranda miracula, ad omne religionis obsequium.

(C) S. AMBROS. *seu* AUCTOR *lib. de dignit. Sacerdot. cap.* 5. Quis dat, frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio: Deus. Sed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit supplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dexterâ: Episcopus initiat Ordinem, et Deus tribuit dignitatem.

S. AUGUST. *lib.* 2. *cont. Epist. Parm. cap.* 13. *n.* 28. Utrumque enim sacramentum est: et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam Præpositi pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt, et si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursùm ordinati; sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra: quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in sacramentis, quæ ubicunque sunt, ipsa sunt. Et cùm expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut Præpositi eorum venientes ad Catholicam societatem honores suos ibi non administrent: non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini sed ipsi sacramento fiat injuria.

S. HIERON. *Dial. adversùs Luciferianos circa init. tom.* 4. *pag.* 2. *col.* 290. *Lucif. D.* Si errare se confitetur: cur Episcopus perseverat? Deponat Sacerdotium, concedo veniam pœnitenti. *Orthod.* Respondebo tibi et ego sermonibus tuis. Si laïcus errasse se confitetur, quomodo laïcus perseverat? Deponat Sacerdotium laïci, id est, baptisma, et ego do veniam pœnitenti.

Circa finem col. 305. Synodus quoque Nicæna, cujus paulò antè fecimus mentionem, omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis. Et quod his majus est, Episcopos Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat. Quæ sententia et Luciferum impugnat, et Hilarium: dum idem et Clericus est et baptizatur.

His in locis comparationem inter Baptismum et Ordinem instituens, utrumque tum sacramentum esse, tum iterari nunquam posse, ac proindè characterem in anima imprimere, probat Hieronymus.

S. INNOCENT. PP. I. *Epist.* 18. *ad Alexandr. Antioch. Episc. cap.* 1. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1269. Sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros, non sine permissu conscientiaque tua, sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum rectè servabis, ut longè positos, litteris datis, ordinari censeas ab his qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu : vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire.

S. LEO MAGN. *Epist.* 1. *aliàs* 87. *ad Episc. Afric. cap.* 2. Ubi est illa beati Pauli Apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, quà in persona Timothei omnium Christi Sacerdotum numerus eruditur, et proindè unicuique nostrûm dicitur : *manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis?* Quid est citò manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo Sacerdote judicium : ita gravi semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum.

Cap. 3. Apostolicis debemus inservire præceptis : ut quamlibet quis bonis moribus præditus, et sanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad Diaconi gradum, vel ad Presbyterii honorem, vel ad Episcopatûs culmen ascendat, si aut ipsum non unius uxoris virum, (1. *Tim.* III. 2.) aut uxorem ejus non unius viri fuisse constiterit.

Cap. 5. Non solùm in tales Præsules, sed etiam in Ordinatores eorum ultio competens proferatur.

Epist. 11. *aliàs* 81. *ad Dioscor. Patriarch. Alexandr. de Beato Marco à S. Petro ordinato, seu in sede Alexandrina constituto loquens ait :* Nec aliud ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab ordinatore suscepit.

Cap. 1. Quod ergo à Patribus nostris propensiore curâ novimus esse servatum, à vobis hoc volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica Ordinatio celebretur : sed post diem sabbati ejus noctis, quæ in prima sabbati lucescit, exordia deligantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis, et à jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si manè ipse Dominico die continuato sabbati jejunio, celebretur à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est. Nam præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica novimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quòd cùm Apostoli Paulum et Barnabam ex præcepto Spiritûs sancti ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, *jejunantes et orantes imposuerunt eis manus :* (*Act.* XVIII. 3.) ut intelligamus, quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantæ Benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideò piè et laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris : ut his qui consecrandi sunt, nunquam Benedictio nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui à vespera sabbati initium constat adscribi, et quæ tantis divinarum dispositionum mysteriis est consecrata, ut quidquid est à Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium. In hac per resurrectionem Christi, et mors interitum, et vita accepit initium. (*Joan.* XX. 21.) In hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt, et inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt. In hac, sicut beatus Joannes Evangelista testatur, congregatis in unum discipulis, januis clausis, cùm ad eos Dominus introïsset, insufflavit, et dixit : (*Ibid.* 22.) *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum detinueritis, detenta erunt.* In hac denique promissus à Domino Apostolis Spiritus sanctus advenit : ut cœlesti quadam regulâ insinuatum et traditum noverimus, in illa die celebranda nobis

I. Quibus competit jus conferendi sacramentum Ordinis ?

R. Solis Episcopis. Id patet ex Scriptura, in qua soli Apostoli eorumque successores Episcopi leguntur habere potestatem imponendi manus ad Sacerdotium. (D) Nec minùs certà traditione id constat. Et si quis hanc fortè potestatem Presbyteris arrogavit, is statim ab Ecclesia damnatus est. (E)

esse mysteria Sacerdotalium Benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum.

Decret. EUGEN. PP. *ad Armen. Vide infrà litt.* (N)

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 23. *cap.* 3. *de Ord.* Cùm Scripturæ testimonio, Apostolicà traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri ; dubitare nemo debet, Ordinem esse verè et propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis : inquit enim Apostolus : (2. *Tim.* 1. 6.) *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.

Et can. 3. Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse verè et propriè sacramentum, à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis ; aut esse tantùm ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et sacramentorum ; anathema sit.

(D) *Vide suprà litt.* (B) et (C) *hocce* §.

(E) CAN. 1. APOSTOL. Episcopus à *duobus vel tribus* Episcopis ordinetur.

Can. 2. Presbyter ab *uno* Episcopo ordinetur, et Diaconus et reliqui Clerici.

S. CORNEL. PP. *Epist. ad Fabium Antioch. apud Euseb. lib.* 6. *hist. Eccles. cap.* 43. Is (Novatianus) qui se doctorem et ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem ferebat, cùm Episcopatum sibi à Deo minimè concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit : ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos, homines planè rudes ac simplices, fraudulentâ quadam molitione deciperet... Qui cùm advenissent, homines, ut jam diximus, simplicioris ingenii, nec in his perditorum hominum artibus ac fallaciis satis triti : eos ille à quibusdam sui similliimis quos ad id comparaverat, inclusos horâ decimâ, temulentos et crapulâ oppressos, adumbratâ quadam et inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim cogit : eumque nullo sibi jure competentem per fraudem atque insidias vindicat.... Nam cùm egregius ille vir Ecclesiam Dei reliquisset, in qua post susceptum baptismum Presbyteri gradum fuerat consecutus, idque per gratiam Episcopi, qui manus illi imponens cum ad Presbyterorum ordinem evexit. Cui cùm universus clerus multique ex populo refragarentur, eò quòd non liceret quemquam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille perfusi fuissent, in clerum assumi ; postulavit ab iis Episcopus, ut hunc solum ordinari à se paterentur.

S. HIERON. *Dialog. advers. Lucifer. Tom.* 4. *pag.* 2. *col.* 302. Hilarius cùm Diaconus de Ecclesia recesserit..... Et cùm jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta, quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotes.

Epist. 101. *aliàs* 85. *ad Evangel. Tom.* 4. *pag.* 2. *col.* 803. Quid enim facit exceptâ ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 11. *in Epist.* 1. *ad Timoth. circa init.* Postquam de Episcopis dixit, eosque formavit, quidnam illos habere conveniat, à quo item abstinere necesse sit dictans, omisso interim Presbyterorum ordine ad Diaconos transit. Cur id quæso ? Quia scilicet inter Episcopum atque Presbyterum interest fermè nihil. Quippè et Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, et quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt : solâ quippè ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantùm, plus quàm Presbyteri habere videntur.

CONCIL. ALEXANDR. *sub Osio, an.* 319. *Hujus acta pericrunt. At ex Histo-*

I. Quinam sunt effectus sacramenti Ordinis?

R. 1. Potestas exercendi munia quæ cujusque Ordinis propria sunt. 2. Gratia ad illa sanctè et laudabiliter obeunda. 3. Character qui deleri nequit, undè nefas semel ordinatum iterùm ordinare. (F)

ria Ecclesiastica discimus, hoc in Concilio, ColluthumPresbyterum Alexandrinum, quòd qui non erat Episcopus Episcopale munus obiisset, multosque ordinare tentasset, ab Osio in ordinem redactum esse, uti scribit S. Athanasius Apolog. 2. et meritò... quòd munus indebitum usurpare conatus fuerit. *Ita* LABBÆUS *Tom.* 1. *Concil. col.* 1493. *in hoc Concilium.*

S. ATHANAS. *Apolog.* 2. *multò post initium.* Quo pacto igitur Presbyter Ischyras? aut quo tandem auctore constitutus? nunquid scilicet à Colluthо? id enim restat: atqui Colluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum impositionem rescissam, omnesque ab eo constitutos, in Laïcorum ordinem redactos esse, sub nomine Laïcorum ad synaxim admissos, adeò apud omnes constat, ut nemo ea de re dubitandum putet.

S. EPIPHANIUS *Hæresi* 55. *sive* 75. *quæ est Aërii n.* 3. Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum et immane. Imprimis enim quanam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor, ac dignitas. Manus imponit Episcopus: imponit et Presbyter: Baptizat Episcopus, idem facit et Presbyter. Divinum omnem cultum administrat Episcopus: non minus id facit et Presbyter. Episcopus in throno sedet: sedet et Presbyter.

N. 4. Episcoporum ordo ad gignendos patres præcipuè pertinet. Hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter cùm patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit; non tamen patres aut magistros. Quinam verò fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat?

(F) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 23. *de Ordine cap.* 4. Quoniam verò in sacramento Ordinis sicut et in Baptismo, et Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, meritò sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, Novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere; et semel ritè ordinatos, iterùm Laïcos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.

Can. 4. Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proindè frustrà Episcopos dicere, *accipe Spiritum sanctum;* aut per eam non imprimi characterem; vel cum, qui Sacerdotes semel fuit, Laïcum rursùs fieri posse; anathema sit.

S. AUG. *Contra Epist. Parmen. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 20. Utrumque, etc. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (C) *Deindè pergit:* Et si quando ignoranter fit, nec animosè defenditur factum, sed piè corrigitur cognitum, venia facilis impetratur. Deus enim noster non est dissensionis Deus, sed pacis (1. *Cor.* XIV. 33.): nec Ecclesiæ ejus sacramenta in eis qui ab Ecclesia recesserunt, sed ipsi qui recesserunt inimici ejus sunt. Sicut autem habent in baptismo quod per eos dari possit, sic in ordinatione jus dandi; utrumque quidem ad perniciem suam, quandiù charitatem non habent unitatis. Sed tamen aliud est non habere, aliud perniciosè habere, aliud salubriter habere. Quidquid non habetur, dandum est cùm opus est dari: quod verò perniciosè habetur, per correctionem depulsâ pernicie agendum est ut salubriter habeatur.

N. 30. De iis verò qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio est, quin et habeant et dare possint, et quin perniciosè habeant pernisiosèque tradant extra vinculum pacis. Hoc enim jam in ipsa totius orbis unitate discussum, consideratum, perfectum, atque firmatum est. Sed si nos malè facimus, ipsi explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, et sacramentum ordinati possit amitti: quoniam dicunt, *Recedens ab Ecclesia baptismum quidem non amittit, jus dandi tamen amittit.* Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri sacramento injuria

I. Quot sunt Ordines?

R. Septem vulgò numerantur : nimirùm, Ordo Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, et Sacerdotis. Ex his, priores quatuor dicuntur minores; tres posteriores majores nuncupantur et sacri.

I. Episcopatus estne octavus Ordo?

R. Episcopatum octavum Ordinem dici nihil vetat. Episcopi enim et charactere, et spirituali auctoritate, et muniis superiores sunt Presbyteris ; quemadmodum Presbyteri præstant Diaconis, et Diaconi Subdiaconis et cæteris ministris inferioribus. (G)

faciendæ est. Si sancta malos fugiunt, utrumque fugiat; si sancta in malis inviolabiliter manent, utrumque maneat. Si dixerint, Baptismus in sola vera Ecclesia rectè datur : respondetur eis, Baptismus in sola vera Ecclesia rectè habetur. Cur non potest dari ubi non rectè datur, cùm possit haberi ubi non rectè habetur? An quia non habere aliud est, aliud non rectè habere? sic et non dare aliud est, aliud non rectè dare? sicut non rectè habet qui ab unitate discedit, sed tamen habet, et ideò redeunti non redditur : sic etiam non rectè dat qui ab unitate discedit, sed tamen dat; et ideò quod ab eo accepit, venienti ad unitatem non iteratur. Illi autem quod non rectè datur, datum non esse contendunt. Quòd si alius quod non rectè habetur, haberi non posse contendat, nonne utrique reclamamus, et dicimus habere quidem, sed non rectè habere eum qui ab unitate discesserit? Si ergo volunt, ut audiat ille quod pariter reclamamus, ipsi nos audiant reclamantes, dare quidem, sed non rectè dare eum qui ab unitate discessit. Quapropter sicut redeunti non redditur quod foris habebat, sic venienti non repetendum est quod etiam foris acceperat. Unde consequenter intelligitur, perversitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverso esse violandam. Constat enim eam in perversis et sceleratis hominibus, sive in eis qui intùs sunt, sive in eis qui foris sunt, impollutam atque inviolabilem permanere : et quia dicuntur ea mali polluere, quantum in ipsis est dicuntur, cùm illa impolluta permaneant; sed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad judicium.

S. Hieron. *Dial. adv. Lucif. Vide suprà hocce 2. litt.* (C)

(G) Auctor. *Lib. de septem Ordinibus Ecclesiæ*, Hieronymo *forsan coævus, in sexto ordine Presbyteros, in septimo Episcopos numerat.*

S. Leo *Epist.* 12. *aliàs* 84. *cap.* 4. Nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur : *ut et qui habent, sint tanquam non habentes* (1. *Cor.* VII. 29.), et qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri : quantò magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentiâ quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate uxoria necdum frenasse delegitur.

S. Gregor. Magn. *in* 1. *Reg. cap.* 10. *v.* 1. *Lib.* 4. *cap.* 5. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus.* Hoc profectò hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur : quia qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia verò ipsa unctio Sacramentum est, is qui promovetur, benè foris ungitur : si intùs virtute sacramenti roboretur.

Synod. Lingonens. *an.* 1404. *cap.* 7. *apud* Bochellum *Decret. Eccles. Gallic. Lib.* 3. *tit.* 2. *de Ordine.* Item prout Ordo sumitur pro illo officio quod ordinatur ad sacramentum Eucharistiæ, sic Episcopatus non est Ordo : cùm Episcopus quantùm ad sacramentum Eucharistiæ, non habeat aliquam potestatem superiorem Sacerdote. Sed prout Ordo sumitur, prout est officium respectu quarumdam actionum sacrarum, tunc Episcopatus est ordo : cùm Episcopus respectu corporis mystici, habeat potestatem superiorem Sacerdote.

Concil. Trident. *Sess.* 23. *de Ordine cap.* 4. Sacrosancta Synodus

declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, *à Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei* (*Act.* XX. 28.) : eosque Presbyteris superiores esse ; ac sacramentum confirmationis conferre ; ministros Ecclesiæ ordinare ; atque alia pleraque peragere ipsos posse : quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.

Can. 6. Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris ; anathema sit.

Can. 7. Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi ; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem.... anathema sit.

Vide ESTIUM *in lib.* 4. *Sentent. distinct.* 24. §. 28. *Ubi fusè probat* Episcopatum esse Ordinem, seu sacramentum. *Ea de re tamen nihil definit aut sanxit Ecclesia, et contrariam opinionem sequuntur non infimi nominis Theologi, inter quos sanctus Thomas parte* 3. *supplem. Quæst.* 40. *art.* 5. Respondeo dicendum quòd Ordo potest accipi dupliciter : uno modo secundùm quod est sacramentum : Et sic ordinatur omnis ordo ad Eucharistiæ sacramentum : undè cùm Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdote, quantùm ad hoc Episcopatus non erit ordo : alio modo potest considerari *ordo*, secundùm quòd est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum : Et sic cùm Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit ordo : Et secundùm hoc loquuntur auctoritates inductæ.

Ad secundum, dicendum quòd ordo prout est sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad sacramentum Eucharistiæ, in quod ipse Christus continetur ; quia per characterem ipsi Christo configuramur : Et ideò licèt detur aliqua potestas spiritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris : Et propter hoc Episcopatus non est ordo, secundùm quòd ordo est sacramentum quoddam.

Ad tertium, dicendum quòd potestas Episcopalis non est tantùm jurisdictionis, sed etiam ordinis (ut ex dictis patet) secundùm quòd *ordo* communiter accipitur.

Opusc. 18. *de perfect. vit. spiritual. cap.* 14. Quod ergo primò proponitur quòd in consecratione tam Episcopi quàm Sacerdotis verba communia proferuntur, sicut hæc (*in form. consecr.*), *consecrentur et sanctificentur manus istæ, etc.* non facit ad propositum ; non enim nunc agimus de Sacerdote, in quantum Sacerdos est, sic enim in statu ponitur per solemnem consecrationem, non quidem in statu perfectionis activo vel passivo, sed in statu illuminativo, secundùm Dionysium, scilicet in quantum curam accipit, tunc enim ei nulla solemnis benedictio adhibetur, undè tunc nullum statum suscipit, sed fit ei quædam officii commissio : Episcopus autem ad ipsam curam pastoralem consecratur propter perpetuam obligationem, quâ se ad pastoralem curam obligat.... Quod verò secundò proponitur, dicendum quòd unctio capitis quæ Regibus exhibebatur, signum erat statûs habentis principalem curam regni : alii autem qui sunt officiales in regno tanquam non habentes perfectam regiminis rationem non ungebantur : ita etiam in regno Ecclesiæ Episcopus ungitur tanquam principaliter habens curam regiminis : Archidiaconi verò et Presbyteri curati non unguntur in susceptione curæ, quia non suscipiunt principaliter curam, sed quamdam subministrationem sub Episcopali regimine, sicut Balivi vel Præpositi sub Rege.... Quod verò quartò proponitur, quòd Episcopatus non est ordo, hoc manifestè continet falsitatem, si absolutè intelligatur. Expressè enim dicit Dionysius esse tres ordines Ecclesiasticæ hierarchiæ, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum : et 21. distinct. cap. *Cleros*, habetur, quòd ordo Episcoporum quadripartitus est. Habet enim ordinem Episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia. Super quam principalem accipit curam, et quasi regalem. Sed quantùm ad corpus Christi verum, quod in sacramento continetur, non habet ordinem

I. Episcopos esse Presbyteris superiores estne definitum?

R. Est definitum, et Ecclesia damnavit jam à quarto seculo Aërium, qui Episcopis æquabat Presbyteros. SS. Epiphanius et Augustinus hunc errorem inter cæteros errores Aërii numerant. (H)

I. Nunquid et Tonsura ordo est?

supra Presbyterum. Quòd autem habeat aliquem ordinem et non jurisdictionem solam, sicut Archidiaconus vel curatus Presbyter, patet ex hoc, quòd Episcopus potest multa facere, quæ non potest committere, sicut confirmare, ordinare, et consecrare basilicas et hujusmodi: quæ verò jurisdictionis sunt, potest aliis committere.

(H) *Vide suprà hocce §. litt.* (E) S. EPIPHAN. *hæres.* 55. *seu* 75. *quæ est Aërii: et* CONCIL. TRID. *litt.* (G)

S. AUG. *Lib. de hæres. ad Quod vult Deum, hæres.* 53. Aëriani ab Aërio quodam sunt, qui cùm esset Presbyter, doluisse fertur quòd Episcopus non potuit ordinari.... Dicebat etiam Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni.

S. IGNAT. Martyr *Epist. ad Smyrnæos, p.* 6. Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem; et Presbyterium, ut Apostolos: Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. Nullus sine Episcopo aliquid operetur eorum quæ conveniunt in Ecclesiam.

Pag. 9. Saluto Deo dignum Episcopum, et Deo decens Presbyterium, et conservos meos Diaconos.

Epist. ad Polycarp. pag. 14. Episcopo attendite, ut et Deus vobis. Unanimis ego cum subjectis Episcopo, Presbyteris, Diaconis.

Epist. ad Ephes. pag. 20. Omnem enim quem mittit Dominus domûs in propriam dispensationem, sic oportet nos ipsum recipere, ut ipsum mittentem. Episcopum igitur manifestum quoniam ut ipsum Dominum oportet respicere.

Epist. ad Magnes. pag. 31. *De Sotione Diacono ait:* Subjectus est Episcopo ut gratiæ Dei, et Presbyterio ut legi Jesu Christi.

Deindè addit; Sed et vos decet non coüti ætate Episcopi, sed secundùm virtutem Dei Patris omnem reverentiam ei tribuere, (sicut agnovi et sanctos Presbyteros) non assumentes apparentem juniorem ordinem, sed ut prudentes in Deo concedentes ipsi; non ipsi autem, sed Patri Jesu Christi omnium Episcopo.

Pag. 33. In concordia Dei studete omnia operari: præsidente Episcopo in loco Dei, et Presbyteris in loco confessionis Apostolorum, et Diaconis mihi dulcissimis habentibus creditam ministrationem.

Pag. 37. Subjicimini Episcopo ad invicem, ut Christus Patri secundùm carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui.

Epist. ad Tralles. pag. 48. Omnes revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi; et Episcopum, ut Jesum Christum, existentem filium Patris; Presbyteros autem, ut concilium Dei et conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur.

Epist. ad Heronem, falsò ipsi adscripta. Nihil sine Episcopis operare: Sacerdotes enim sunt: tu autem Diaconus Sacerdotum. Illi baptizant, sacrificant, manus imponunt: tu autem ipsis ministras.

S. IGNATIUS MARTYR, *seu* AUCTOR *Epist. ad Tarsenses, prope finem.* Presbyteri subjecti estote Episcopo: Diaconi Episcopo et Presbyteris; populus Diaconis.

Idem docent unanimi consensu omnes Ecclesiæ Doctores; idem Conciliorum ferè omnium decretis statuitur, plura adducere testimonia de re notissima supervacaneum duximus. Qui plura cupiant, legant illustrissimi DD. DE FENELON, *Archiepiscopi Cameracensis librum quem inscripsit, Ministerium Pastorum*, Le ministère des Pasteurs; *Dissertationem* R. P. NATALIS ALEXANDRI *Dominicani de Episcoporum supra Presbyteros superioritate adversùs Dallæum. Adeat etiam* DD. VALLEMBURG. BELLARMINUM *et* JUENINUM, *qui ea de re eruditè scripserunt, præsertim verò* MORINUM *in doctissimo suo opere, de Ordinationibus sacris.*

R. Non est. Sed est solùm præparatio et dispositio ad Ordines. (I)

I. Ergo sunt vel septem vel octo sacramenta Ordinum ?

R. Imò unum est Ordinis sacramentum, cujus quisque majorem minoremve plenitudinem obtinet, pro sublimiori vel inferiori gradu ad quem promovetur.

I. Omnes isti Ordinum gradus suntne Divinæ institutionis?

R. Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus sunt institutionis Divinæ : cæteri Ordines videntur esse institutionis Ecclesiasticæ.

Episcopatûs, Presbyteratûs et Diaconatûs manifesta mentio fit in Scripturis. (K) Cæterorum Ordinum nomina et offi-

(I) SYNOD. LINGON. *an.* 1404. *cap.* 6. *apud* BOCHELLUM *Decret. Eccles. Gall. lib.* 3. *art. de Ordine.* Prout Ordo est Sacramentum, et imprimit characterem, prima tonsura non est ordo : sed prout Ordo largo modo sumitur, et pro tunc non est Sacramentum, sed quædam dispositio ad divinum Officium, sic tonsura est ordo.

(K) *Sacerdotii institutionem refert* LUCAS XXII. 17. Et (Jesus) accepto pane gratias egit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem.

JOAN. XX. 22. Hæc cùm dixisset, insufflavit : et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.

PAULUS I. CORINTH. XI. 23.... Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24. et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. 25. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calis novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.

Diaconorum verò institutionem narrat LUCAS, ACT. VI. 2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. 3. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientiâ, quos constituamus super hoc opus. 4. Nos verò orationi, et ministerio verbi instantes erimus. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum : et orantes imposuerunt eis manus.

Rursùs Episcoporum mentio fit. ACT. XX. 28. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.

PHILIPPENS. I. 1. Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus.

1. TIMOTH. III. 1. Fidelis sermo : si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 2. Oportet ergo Episcopum sine crimine esse. *Et in aliquot infrà adductis sub Presbyterorum nomine.*

Presbyteri memorantur ACT. XIV. 22. Cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros.

XV. 2. Statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis, ad Apostolos et Presbyteros in Jerusalem, super hâc quæstione.

1. TIMOTH. V. 17. Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.

19. Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere.

TIT. I. 5. Constituas per civitates Presbyteros.

JACOB. V. 14. Infirmatur quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiæ et orent super eum.

Diaconorum verò meminit PAULUS, PHILIPP. I. 1. *quem locum jam laudavimus.*

1. TIMOTH. III. 8. Diaconos similiter pudicos.... 12. Diaconi sint unius uxoris viri.

cia exstant in antiquissimis priorum seculorum monumentis. (L)

(L) S. Cornel. *Epist. ad Fabium Antiochens. apud* Euseb. *hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 43. Ergo ille Evangelii vindex, ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica: in qua tamen sciebat (quomodo enim illud nescire potuisset) Presbyteros quidem esse quatuor et quadraginta: septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos: Acolythos duos et quadraginta: Exorcistas et Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos.

S. Ignatius Martyr *in Epist. ad Antiochenos, falsò illi adscripta.* Saluto sanctum Presbyterium, saluto sacros Diaconos.... saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores. Saluto custodes sanctarum portarum, existentes in Christo ministros.

S. Cyprian. *Epist.* 29. *aliàs* 24. Cyprianus Presbyteris et Diaconibus fratribus salutem.... Quoniam oportuit me per Clericos scribere: scio autem nostros plurimos absentes esse, paucos verò, qui illic sunt, vix ad ministerium quotidiani operis sufficere: necesse fuit novos aliquos constituere, qui mitterentur: fecisse me autem scialis Lectorem Saturum, et Hypodiaconum Optatum confessorem: quos jam pridem communi consilio Clero proximos feceramus, quando aut Saturo die Paschæ semel atque iterùm lectionem dedimus; aut modò cum Presbyteris doctoribus Lectores diligenter probaremus, Optatum inter Lectores doctorem Audientium constituimus.

S. Hier. Epist. 34. *aliàs* 2. *ad Nepot.* Si Lector, si Acolythus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus.

Act. S. Procop. Martyr. *an.* 303. *apud* Theodor. Ruinart *in Act. Mart. sinceris, pag.* 373. Ibi Ecclesiæ tria ministeria præbebat: unum in legendi officio, alterum in Syri interpretatione sermonis, et tertium adversùs dæmones manûs impositione consummans.

Concil. Laodicenum. I. *Can.* 24. *Sub Silvestro Papa I.* Quòd non oportet sacratos, à Presbyteris usque ad Diaconos et deinceps quemlibet Ecclesiastici ordinis usque ad Ministros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel exercitatorum ordinis, in cauponam ingredi.

Concil. Carthag. IV. *an* 398. *can.* 2. *aliàs* 90. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1199. Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput et cervicem ejus, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.

Can. 3. *aliàs* 91. Presbyter cùm ordinatur, Episcopo cum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.

Can. 4. *aliàs* 92. Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

Can. 5. *aliàs* 93. Subdiaconus cùm ordinatur, quia manûs impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, et calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi, urceolum cum aqua, et mantile et manutergium.

Can. 6. *aliàs* 94. Acolythus cùm ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accedenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat et urceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.

Can. 7. *aliàs* 95. Exorcista cùm ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, et commenda memoriæ, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.

Can. 8. *aliàs* 96. Lector cùm ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium. Post hæc, spectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus est dicens ad eum: Accipe, et esto lector verbi Dei, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverint.

Can. 9. *aliàs* 97. Ostiarius cùm ordinatur, postquam ab Archidiacono

I. Ergo Subdiaconatus cæterique Ordines inferiores non habent veri sacramenti rationem ?

R. Multi et celeberrimi Theologi ita censent. (M)

instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario, dicens: Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.

Consule Theologos qui de Sacramentis scripserunt: præcipuè ESTIUM *in 4. Sentent. dist. 24. et 25.* SYLVIUM, MALDONATUM *è Societ. Jesu,* JOAN.-BAPT. MORINUM *Cong. Orat. D. J. Sacerd. Dominum* DUHAMEL, GASPAR. JUENIN, *et alios.*

(M) JOAN-BAPT. MORINUS *Congreg. Orat. D. J. Presb. Tract. de Ordinat. sacris Disput. II. cap. 1. n. 1.* Primùm quæritur, an Ordines illi sacramenta sint characteremque imprimant.

N. 2. Hæc quæstio nondum definita est, et in utramque partem à Doctoribus scholasticis disputatur, ea tamen cum differentia, ut longè plures reperiantur qui quatuor minores Ordines asserant non esse sacramenta, quàm qui idem de Subdiaconatu prædicent.

Omnes tamen in eo conveniunt, quòd censeant hanc propositionem probabilem, *Subdiaconatus et quatuor minores Ordines sacramenta non sunt, nec characterem imprimunt,* licèt quà respicit solos minores Ordines, eam judicent probabiliorem et eorum multi affirmativam, illi contrariam hac repudiatà amplectantur. Eam propositionem integram, quà respicit Subdiaconatum, et subsequentes Ordines asserunt Sententiarum Magister lib. 4. distinct. 24. Durandus in 4. distinct. 24. quæst. 2. num. 6. Cajetanus Opuscul. tom. 1. Tractatu 2. artic. unico, Victoria Summæ de Sacram quæstio. 2. de Ordine, Martinus Aiala de traditionibus Apostolicis, part. 2. cap. de Sacram. lib. 6. cap. 9. in eam inclinat. His addi potest Alphonsus de Castro adversùs hæreses, verbo, *Ordo, sacramentum*, qui hanc contrariæ præfert.

Verùm quà solos Ordines minores respicit, longè plures ambabus, ut dicitur, manibus eam amplectuntur. : Gabriel Vasquez doctor inter Scholasticos celeberrimus, Tom. 3. in tertiam partem, disput. 237. cap. 2. qui quacunque congessit Auctores sibi consentientes, Durandum, Cajetanum, Martinum Aialam, Alphonsum ubi suprà, Medinam lib. 1. de continentia cap. 46. Dominicum Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. conclus. 7. et §. ad argumenta Durandi, ubi addit sibi persuasum habere, si S. Thomas in Summa Theologiæ ad hunc locum pervenisset, amplexurum contrariam opinionem ei quam in 4. dist. 24. tradidit : et dist. 25. quæst. 1. art. 2. post 2. conclusionem, manifestè dicit hanc sententiam cum Durando se concessisse. Navarrus in Summa cap. 22. n. 18. His addi possunt alii non pauci, Victoria relectione de simonia. Anglez in 4. eos vocat sacramentalia. Caranza in Summa Conciliorum institutionis ait esse Ecclesiasticæ, Arcudius lib. 6. cap. 9. Estius utramque sententiam ita censet esse probabilem, ut nihil in alterutram partem definire voluerit.

N. 3. Cùm ego examino et perpendo antiquorum Patrum de Subdiaconatu et minoribus Ordinibus testimonia, propositionem illam quà asseritur, et Subdiaconatum, et quatuor minores Ordines, non esse Sacramenta, judico tam esse certam et evidentem, ut qui ea consideraverit, ire contra vix possit. Scholastici qui primi ea de re disputarunt, argumenta è Pontificali Romano cum antiquorum Patrum dictis et factis comparato deprompserunt. Deindè eorum discipuli pauca quæ Magistri non viderant, edocti, ab ea quam hauserant sententia secessionem non fecerunt, existimantes iis se facilè respondere posse. Verùm si quis antiqua monumenta diligentiùs scrutetur, ut posteri fecère, contra se testantium nube obruetur, ut nisi affirmet veri sacramenti istos Ordinem rationem non habere, difficillimè de eorum verbis exitum sit expeditus. *Deindè opinionem suam variis argumentis et auctoritatibus totà hacce disputatione confirmat : quæ apud Auctorem ipsum legere operæ pretium est.*

I. Diaconatus estne verum et propriè dictum sacramentum?

R. Theologi quidem existimarunt Diaconatum non esse verè et propriè sacramentum. Sed eorum rejicienda opinio est. (*Vide suprà litt.* (B, C) Constat enim et Scripturâ et Traditione per Episcopalis manûs impositionem conferri Diaconis Spiritum sanctum ; quod sufficit ad veram sacramenti rationem.

I. Dixisti superiùs omnia Sacramenta fuisse à Christo instituta : At Diaconatus non à Christo, sed ab Apostolis institutus est ; non potest ergo habere veram sacramenti rationem ?

R. Ideò Diaconatum sacramentum esse dicimus, quia pars est Sacerdotii quod à Christo institutum esse constat.

Responsionem hanc paulò fusiùs explicare non abs re fuerit.

Cùm dicimus Diaconatum fuisse ab Apostolis institutum, nihil aliud intelligimus, nisi ab Apostolis delectos fuisse primùm septem viros, quibus hanc communicarunt ministerii portionem, quam Diaconatum dicimus, et quæ anteà soli Sacerdotio competebat. Ideoque non pauci Theologi eruditione conspicui putant cæteros omnes Ordines, etiam minores, veram habere sacramenti Ordinis rationem (N),

(N) S. THOM. *Supplement. tert. part. Quæst.* 35. *art.* 2. Sed contrà : omne sacramentum in quo non imprimitur character, est iterabile ; sed nullus Ordo est iterabilis : Ergo in quolibet Ordine imprimitur character.

2. Prætereà character est signum distinctivum : sed in quolibet Ordine est aliqua distinctio : Ergo quilibet Ordo imprimit characterem.

Conclusio. *Cùm per quemlibet Ordinem constituatur aliquis supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem, perspicuum est in singulis Ordinibus characterem imprimi.*

Respondeo dicendum, quòd circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt quòd in solo Ordine Sacerdotali character imprimitur : sed hoc non est verum : quia actum Diaconi nullus potest exercere licitè, nisi Diaconus ; et ita patet quòd habet aliquam potestatem in dispensatione Sacramentorum quam alii non habent. Et propter hoc alii dixerunt quòd in sacris Ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus. Sed hoc iterùm nihil est : Quia per quemlibet Ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem : undè, cùm character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quòd in omnibus character imprimatur : Cujus etiam signum est, quòd perpetuò manent, et nunquam iterantur. Et hæc est tertia opinio, quæ communior est.

Ad primum ergo, dicendum quòd quilibet Ordo, vel habet actum circa ipsum Sacramentum, vel ordinatum ad Sacramentorum dispensationem ; sicut Ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum Sacramentorum inspectionem, et sic de aliis : Et ideò in omnibus requiritur spiritualis potestas.

Ad secundum, dicendum quòd quantumcunque homo ad laïcatum se transferat, semper tamen manet in eo character : Quod patet ex hoc quod si ad clericatum revertatur, non iterùm ordinem, quem habuerat, suscipit.

Decretum EUGENII. PP. *ad Armen. in* CONCIL. FLORENT. *Tom.* 13. *Concil. Labb. col.* 538. *versùs finem.* Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus

licèt ab Ecclesia fuerint instituti ; quia illi sunt portio quædam Diaconatûs, qui et ipse portio est Sacerdotii à Christo instituti. Uno verbo, omnes Theologi catholici fatentur quòd de fide est unum esse sacramentum Ordinis propriè dictum, nimirum Sacerdotium. Hoc Presbyteri in ordinatione suscipiunt. Hujus plenitudinem habent soli Episcopi. Ad Episcoporum et Presbyterorum adjumentum ordinati sunt ab Apostolis primi Diaconi septem ; eaque ordinatione portionem quamdam et emanationem accepêre Sacerdotalis caracteris et officii. Ad Diaconorum adjumentum ordinati sunt Subdiaconi cæterique Ministri inferiores, et portionem quamdam Diaconalis potestatis ordinatione suâ acceperunt. Sed munia illa et officia omnia in Sacerdotio eminenter continentur. Gradusque illi varii ab eo non secùs ac rivi à fonte emanant.

§. 2. De irregularitatibus Canonicis, quæ arcent ab Ordinibus et à Clericatu.

I. Quinam ex mente Ecclesiæ ad Ordines vel ad primam tonsuram sunt promovendi?

R. Qui cùm nullâ Irregularitate teneantur, habent præterea quidquid necessarium est ad munia Ecclesiastica ritè obeunda, et à Deo vocati sunt ad statum Ecclesiasticum.

I. Quid est Irregularitas ?

R. Irregularitas est canonicum impedimentum, quo quis redditur inhabilis ad suscipiendam primam tonsuram, vel Ordines Ecclesiasticos, vel ad eorum usum, si jam susceptì sint.

Per Irregularitatem redditur quoque vir inhabilis ad Beneficia. Et si quæ jam obtineantur, vacant ipso jure, et impetrari possunt. Privatur quoque vir Irregularis exercitio jurisdictionis Ecclesiasticæ. Hæc omnia consectaria sunt illius quod diximus, irregularitate fieri virum inhabilem ad primam tonsuram, vel ad Ordines, vel ad eorum usum.

I. Quotuplex Irregularitas ?

R. Duplex irregularitatis species : alia ex defectu, alia ex delicto.

I. Quot species irregularitatis ex defectu ?

R. Octo numerantur. Irregularitas 1° ex defectu animi : 2° ex defectu corporis : 3° ex defectu natalium : 4° ex defectu ætatis : 5° ex defectu libertatis : 6° ex defectu Sacramenti : 7° ex defectu lenitatis : 8° ex defectu famæ.

I. Quinam sunt irregulares *ex defectu animi ?*

R. Amentes, furiosi, possessi vel obsessi à dæmone,

verò per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem : et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est : *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano latè continetur. Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.

comitiali seu caduco morbo laborantes, qui et Epileptici dicuntur; ignorantes qui carent omninò scientiâ secundùm Canones necessariâ, donec ea didicerint quæ scire oportet. Observandum tamen circa amentes et furiosos, ex his morbis non contrahi irregularitatem, nisi sint perpetui. Si quis enim perfectè convaluerit, nulla remanet irregularitas. Obsessi vel possessi à Dæmone et Epileptici sunt perpetuò irregulares, si morbus Ordinationem præcesserit. Quòd si quis jam Ordinibus initiatus in morbum comitialem, vel dæmonis possessionem inciderit, non potest deinceps ad gradum superiorem promoveri; nec priùs debet admitti ad exercitium Ordinis jam suscepti, quàm per annum saltem Episcopali auctoritate probatus omninò convaluerit. (A)

I. Quinam sunt irregulares ex *defectu corporis?*

R. Qui vitia corporis habent, ex quibus vel reddantur inhabiles ad exercenda munia Ecclesiastica, vel ita deformes ut non possint illa decenter exercere: verbi gratiâ, quibus vel pollex vel index digitus abcissus est, qui carent oculo sinistro, qui mutilati sunt, qui insigniter claudicant, vel laborant insigni aliquâ corporis deformitate, ex qua nimius adspectantium horror, vel contemptus suboriri facilè possit.

Qui tamen post Ordinationem in aliquem ex hujusmodi defectibus fortè inciderunt, possunt deinceps exercere munia ad quæ non redditi sunt inhabiles: verbi gratiâ, si manus sinistra fuerit à Sacerdote amputata, inhabilis erit ad Mis-

(A) CAN. APOST. *can.* 78. *Tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 43. Si quis dæmonem habeat, ne fiat Clericus, sed neque cum fidelibus precetur. Purgatus autem recipiatur, et si sit dignus, fiat.

CONCIL. ARAUSIC. I. *an.* 441. *can.* 16. *Tom.* 3. *Concil. Labb. col.* 1450. Qui palàm aliquando arrepti sunt, non solùm non assumendi ad ullum Ordinem Clericatûs, sed et si jam aliqui ordinati sunt, ab imposito officio repellendi.

CONCIL. AURELIAN. II. *an.* 533. *can.* 16. *Tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1782. Presbyter, vel Diaconus, sine litteris, vel si baptizandi ordinem nesciat, nullatenùs ordinetur.

DECRETI *part.* 1. *Distinct.* 33. *cap.* 3. Communiter diffinimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant altaribus ministrare, vel indiscussè se ingerant Sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporis incommoditatibus dediti, sine hujusmodi passionibus in terram probantur elisi; qui tamen et ipsi tandiù erunt ab officii sui Ordine, et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu dæmonum liberati.

SYNOD. SENON. *an.* 1524. *cap.* 8. *apud.* BOCHELLUM. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 3. *tit.* 2. Si aliqui ex nostra Diœcesi velint esse de sorte Domini, et statu Clericali, et voluerint à nobis primam tonsuram Clericalem habere, tales sint de legitimo toro procreati, non servi, nec servilis conditionis, nec usurarii, nec infames, nec membris corporis truncati, et valdè deformes, non furiosi, nec diabolicà afflictione vexati, non bigami, aut simoniaci, non uxorati. Non sint minoris ætatis quàm septem annorum. Si verò sint illegitimi, non accedant nisi cum summi Pontificis, aut nostra dispensatione super hoc obtenta: et si de aliena Diœcesi, cum suis litteris dimissoriis.

sam celebrandam, non ad confessiones audiendas, nec ad prædicandum verbum Dei : si quis oculis orbetur post Ordinationem, idem dicendum. Si surdus efficiatur non poterit confessiones audire, poterit celebrare, etc. (B)

I. Quinam sunt irregulares *ex defectu natalium?*

R. Qui spurii et illegitimi. (C)

(B) LEVIT. XXI. 17. Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, 18. nec accedet ad ministerium ejus : si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, 19. si fracto pede, si manu, 20. si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculosi, jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.

Decretal. GREG. IX. *lib.* 1. *tit.* 20. *cap.* 2. Cùm de tua electione quæstio mota fuisset,... tibi, quòd in oculo maculam habeas,... est objectum... De macula verò Archiepiscopo prædicto mandavimus, ut cum consilio suffragancorum suorum quod exindè visum fuerit exsequatur, in quo tibi ex maxima dispensatione curavimus providere.

Cap. 6. Exposuisti nobis, quòd prædecessor tuus H. in Abbatem promovit, nesciens quòd ipse esset manu alterâ mutilatus : nos igitur Fraternitati tuæ respondens, quòd cùm pro tam enormi defectu ad sacros non possit Ordines promoveri, et in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab Abbatiæ officio est non immeritò amovendus.

DECRETI *part.* 1. *distinct.* 55. *cap.* 3. Pœnitentes, vel inscii litterarum, aut aliqua membrorum damna perpessi, ad sacros Ordines aspirare non audeant. Quisquis autem talium consecrator exstiterit, factum suum ipse dissolvet.

VAN ESPEN *Jur. Eccles. Part.* 2. *Tom.* 1. *Tit.* 10. *de irregul. cap.* 5. *n.* 11. Exstat sub nomine Eugenii Papæ Decretalis in *cap. de Clerico ægrotante*, et habetur in appendice ad Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. *parte* 26. *cap* 15. sub hoc titulo : *Eugenius Papa primus Sarensi Episcopo.* Quidquid sit de veritate tituli, ac auctore Decretalis, in ea interim refertur : Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmæ à prædone abscissos significasti, Missam non permittimus celebrare. Rationem subjungit : Quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri fieri posse confidimus... Non igitur in ipsum simpliciter corporis defectum irregularitatem sive suspensionem à celebratione Missæ refundit ; sed in *deformitatem* quæ *sine scandalo*, *et debilitatem* quæ *sine periculo* celebrationem permittere non videntur : Undè et addit : Ipsum autem cæteris officiis Sacerdotalibus fungi minimè prohibemus, Cur ita? Quia hæc officia securè sine periculo non obstante debilitate manûs, *et sine scandalo* non refragante deformitate obire poterat.

(C) VAN-ESPEN *Jur. Eccles. part.* 2. *tit.* 10. *de irregularit. cap.* 3. *n.* 1. In pristinis Conciliorum canonibus, aut Pontificum Decretis non legitur illegitimos ab Ordinibus aut Ecclesiasticis functionibus seu ministeriis ob solum defectum natalium fuisse exclusos ; modo cæteræ dotes in Sacerdote requisitæ non deessent. Nec enim parentum vitia aut merita, sed propria merita aut demerita in assumendis ad Ecclesiæ munia attendenda esse credebant ; quemadmodum multis veterum Patrum testimoniis adstruit Gratianus *Dist.* 56. ubi postquam Canoni primo præmiserat hoc quasi summarium : *Presbyterorum etiam filii ad sacra officia non sunt admittendi*, immediatè post recitatum hunc canonem Concilii Claromontani sub Urbano II. *Presbyterorum filios à sacris altaris ministeriis removemus*, subjungit : Sed hoc intelligendum est de illis, qui paternæ *incontinentiæ imitatores* fuerint. Verùm si morum eos commendabiles fecerit, exemplis et auctoritatibus non solùm Sacerdotes, sed summi Sacerdotes fieri possunt.

N. 2. Videtur ergo Gratianus supponere, quòd filii illegitimi à sacris ministeriis non essent excludendi, si Paternæ incontinentiæ imitatores non fuerint : et consequenter, quòd solus *natalium defectus* neminem sacris altaris ministeriis excluderet, aut irregularem faceret.

N. 4. Innocentius III. primos hujus irregularitatis auctores videtur supposuisse Urbanum II. et Synodum Pictaviensem : Andreæ enim Lon-

I. Quinam sunt irregulares *ex defectu ætatis?*

R. 1. Qui nondum attigerunt annos ætatis à Canonibus præscriptos ad suscipiendum eum Ordinem ad quem promoventur. Et si fortè spretà Ecclesiæ lege promoti sint ante legitimam ætatem, manent semper irregulares : quin et novam irregularitatem contrahunt, si majores Ordines susceperint.

2. Ad hanc classem revocari commodè potest irregularitas Neophytorum, id est, eorum qui recèns sunt baptizati, adeoque censentur infantes modò geniti, in vita spirituali parùm versati. Verendum enim esset, ne si citiùs Patres et Magistri fierent, *in superbiam elati inciderent in laqueos diaboli*, inquit Apostolus. (1. *Tim.* III. 6.) (D)

densi Episcopo ac Danorum Metropolitæ et suo per Septemtrionem Legato, interroganti : Si Presbyterorum filii sint indifferenter ad sacros Ordines promovendi, respondit : De Presbyterorum filiis, tam ex Decreto *Urbani secundi*, quàm ex Concilio colligitur *Pictaviensi* quòd ad sacros non sunt Ordines promovendi, nisi aut in cœnobiis, aut in canonica regulari Religione fuerint conversati. *Lib.* 4. *Epist.* 118. Tam canon Urbani II. (relatus à Gratiano *Dist.* 56. *can.* 1.) quàm canon Concilii Pictaviensis (relatus in *cap.* 1. *tit.* 17. *de filiis Presbyterorum*) editi sunt circa finem seculi undecimi ; atque ita ad illud tempus hujus irregularitatis initia retulisse videtur Innocentius III.

Decretal. GREG. IX. *lib.* 1. *Tit.* 17. *cap* 18. Nimis in tua provincia Ecclesiæ deformatur honestas, ex eo, quòd filii Sacerdotum et alii non legitimè nati ad dignitates et personatus et alia beneficia curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis Apost. promoventur. Quocirca mandamus, quatenùs prædictis personis à personatibus, et dignitatibus, et hujusmodi beneficiis prorsùs amotis, ea personis idoneis conferri facias per illos, ad quos collationem ipsorum de jure noveris pertinere. Et ne id de cætero præsumatur, districtiùs inhibemus.

Ibid. Lib. 4. *tit.* 19. *cap.* 13. *Ex* INNOCENT. III. *Epist. ad Gu. Montis-pessul. circa finem.* Tam lex Mosaïca, quàm Canonica sobolem suscepiam ex adulterio detestatur, testante Domino, quòd *mamzeres et spurii usque ad decimam generationem in Ecclesiam non intrabunt* (*Deut.* XXIII. 2.) : Canone verò vetante tales ad sacros Ordines promoveri.

SEXT. *Lib.* 1. *tit.* 11. *cap.* 1. Is, qui defectum patitur natalium, ex dispensatione Episcopi licite potest (si ei aliud canonicum non obsistat) ad Ordines promoveri minores, et obtinere Beneficium, cui cura non imminet animarum : dummodò sit tale super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari ad Ordines quoque majores, vel Beneficia curam animarum habentia : super quibus nequit Episcopus dispensare, sine dispensatione Sedis apostolicæ promoveri non potest.

(D) CONC. NICÆN. I. *T.* 2. *Conc. Labb. col.* 30. *can.* 2. Quoniam multa, vel necessitate, vel urgentibus alioqui hominibus præter canonem Ecclesiasticum facta sunt, ut homines, qui è vita Gentili ad fidem nuper accesserunt, et exiguo tempore Catechumeni, id est, initiati fuère, statim ad lavacrum spirituale deducant ; et simul ac baptizati fuerint, ad Episcopatum vel Presbyteratum provehant, rectè habere visum est, ut deinceps nihil tale fiat. Nam et Catechumeno tempore opus est, et post baptismum probatione majore. Apertum enim est scriptum Apostolicum, quod dicit, *non Neophytum*, id est, recèns plantatum : *ne inflatus in judicium incidat et diaboli laqueum.* (1. *Tim.* III. 6.)

CONCIL. NICÆN. I. *Can. Arab.* 3. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 292. Qui recenter baptizatus est, et veritatem suæ fidei nescit, non erit Episcopus, neque Presbyter, neque Diaconus, donec possit scire et intelligere libros sacros, et perfectum habitum, ac fructum spiritualem in corde suo producat ; qui si ad maturam ætatem non pervenit, non potest ad gradus jam dictos admitti. Quòd si Episcopus aliquem citò ordinaverit,

I. Quinam sunt irregulares *defectu libertatis?*

R. 1. Servi, donec libertate donati et manumissi sint.

2. Publicis ratiociniis obligati, donec rationes omnes confecerint: oppressi ære alieno, donec eo sese exemerint et liberaverint.

Hæc autem irregularitas fundamentum habet in eo quod ait Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* (1. *Tim.* II. 6.) (E)

in quo aliquod peccatum gravius posteà reperiatur, et duo, aut tres testimonium dicant, uterque deponendus est, et ordinator, et ordinatus; quamvis ordinatus sit Presbyter, aut Episcopus: qui etiam à Synodo excommunicatur, ut meritus est.

ZOSIMI PP. *Epist.* 9. *ad Patroclum Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1571. Si enim Apostolus neophytum Sacerdotio non statim cumulari jubet, et hoc idem Canonum statuta sanxerunt; hoc addimus nostrâ sententiâ, ut quisquis de cætero vel Presbyterii gradu, vel Diaconatûs crediderit cumulandum, sciat et se gradûs sui subire jacturam, nec in illum valitura esse quæ contulit: ut saltem ab ordinatione præcipiti metus iste summoveat, quos examinata discussio coërcere debuisset.

CONCIL. ARELAT. II. *ann.* 452. *tom.* 4. *Labb. col.* 1011. *can.* 1. Ordinari ad Diaconatûs ac Sacerdotii officium Neophytum non debere.

(E) CAN. APOST. *tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 43. *can.* 81. Servos in clerum provehi sine voluntate dominorum, non permittimus, ad eorum qui possident molestiam. Domorum enim eversionem talia efficiunt. Si quando autem etiam dignus servus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, et domini concesserint ac liberaverint, et ædibus emiserint, fiat.

CONCIL. AUREL. V. *et* ARVERN. II. *Can.* 6. *tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 392. Ut servum, qui libertatem à Dominis propriis non acceperit, aut etiam jam libertum, nullus Episcoporum absque ejus tantum voluntate, cujus aut servus est, aut eum absolvisse dignoscitur, clericum audeat ordinare. Quòd si quisquam fecerit, is qui ordinatus est à domino revocetur, et ille qui est collator Ordinis, si sciens fecisse probatur, sex mensibus Missas tantùm facere non præsumat. Si verò secularium servus esse convincitur, ei qui ordinatus est benedictione servatâ, honestum ordini domino suo impendat obsequium. Quòd si secularis Dominus ampliùs eum voluerit inclinare, ut sacro ordini inferre videatur injuriam, duos servos, sicut antiqui canones habent, Episcopus qui eum ordinavit domino seculari restituat; et Episcopus eum quem ordinavit ad Ecclesiam suam revocandi habeat potestatem.

Decret. GREG. IX. *lib.* 1. *tit.* 18. *cap.* 5. Consuluit: *et infrà.* Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd neque spurios, neque servos ordinare debes: et si memores, in consecratione tibi dictum fuit, Vide ne quemlibet servilis conditionis ad Ordines promovere præsumas.

Alia adducere testimonia supersedeo, quòd in Galliis à multis retro seculis servis concessâ libertate, omnes jam cujuscunque conditionis viri, liberi et ingenui censeantur.

CONCIL. CARTHAG. I. *ann.* 348. *Can.* 6. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1824. Nicasius Episcopus Culusitanus dixit: Credo placere suggestionem meam Sanctitati vestræ, et displicere vobis, ut qui serviunt Deo, et annexi sunt clero, non accedant ad actus et administrationem vel procurationem domorum. Gratus Episcopus dixit: Et Apostolorum statuta sunt, quæ dicunt: *nemo militans Deo ingerat se negotiis secularibus.* (2. *Tim.* II. 4.) Proindè aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum. Universi dixerunt: Hoc observemus.

Can. 8. Magnus Episcopus Aptungensis dixit: Quid dilectioni vestræ videtur, procuratores et actores, tutores etiam seu curatores pupillorum, si debeant ordinari? Gratus Episcopus dixit: Si post deposita universa, et reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent et cum laude, cleri si postulati fuerint, honore muneri. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione

I. Quinam sunt irregulares *ex defectu Sacramenti?*

R. 1. Nondum baptizati vel confirmati.

2. Bigami quacunque Bigamiæ specie. (F)

fuerint ordinati, Ecclesia infamatur. Universi dixerunt : Rectè omnia statuit Sanctitas tua : ideoque tua, nostra est quoque sententia.

DECRETI *part.* 1. *dist.* 54. *cap.* 7. *Ex* MARTINI Episc. Bracarens. *cap.* 46. Si quis obligatus est tributo servili, vel aliquâ conditione, vel patrocinio cujuslibet domûs, non est ordinandus clericus : nisi probatæ vitæ fuerit, et patroni consensus accesserit.

(F) 1. TIMOTH. III. 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.

12. Diaconi sint unius uxoris viri.

S. JOAN. CHRYST. *in Epist. ad Tit. Homil.* 2. *Si quis*, inquit, *est*, *sine crimine*, *unius uxoris vir*, *filios habens fideles*, *non in accusatione luxuriæ*, *aut non subditos.* (1. *Tim.* III. 2. *et* 4.) Cujus rei gratiâ etiam hujusmodi homines in medium adducit? Obstruere prorsùs intendit hærelicorum ora, qui nuptias damnant, ostendens eam rem culpâ carere, imò ita esse pretiosam, ut cùm ipsa etiam possit quispiam ad sanctum Episcopatûs solium subvehi. Castigat hoc ipso etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen dignitatemque Pastoris assumi. Nam qui defunctæ uxori benevolentiam nullam servasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ præceptor esse optimus poterit? Imò quibus criminibus non subjicietur in dies? Nostis enim profectò omnes, quòd et si per leges secundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet : nullam ergo occasionem præbere subjectis præsulem vult.

S. INNOCENT. PP. I. *Epist.* 2. *ad Victric. Episc. Rothom. tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1251. *cap.* 5. Ut si quis mulierem, licèt laicus, duxit uxorem, sive ante baptismum, sive post baptismum non admittatur ad clerum; quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur.

Cap. 6. Ne is qui secundam duxit uxorem clericus fiat, quia scriptum est : *unius uxoris virum :* et iterùm : *Sacerdotes mei semel nubant :* et alibi : *Sacerdotes mei non nubent amplius.* (Fortè alludit ad *Levit.* XXI. 7.) Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si fortè quis accepit uxorem, et eâ de seculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat à regula : quia in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur. *Eadem ferè repetit Epist.* 23. *ad Episc. Synod. Tolos. cap.* 6.

S. AUG. *de Bono conjug. cap.* 18. *n.* 21. Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum virum et unam uxorem redactum est, ut Ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. (1. *Tim.* III. 2.) Quod acutiùs intellexerunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit, *Si acceperis uxorem*, *non peccasti ; et si nupserit virgo*, *non peccat* (1. *Cor.* VII. 28.) : et, (*Ibid.* 36.) *Quod vult faciat non peccat*, *si nubat* : satis declaravit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut fœmina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurdè visum est eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad Ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam. Ac per hoc sicut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni viro subditas Christo : ita noster Antistes unius uxoris vir significat omnibus gentibus unitatem uni viro subditam Christo.

S. LEO *Epist.* 1. *alias* 87. *ad Episc. Afric. cap.* 3. Dicente enim Apostolo, ut inter alias electionis regulas, is Episcopus ordinetur, quem *unius uxoris virum* (1. *Tim.* III. 2.) fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, ut etiam de muliere Sacerdotis eligendi

eadem intelligeretur servanda conditio ; ne fortè illa, priusquam in matrimonium ejus veniret, qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta conjugium. Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur injuriam : cùm huic magno venerandoque mysterio ne divinæ quidem legis statuta defuerint, quibus evidenter est definitum, ut virginem Sacerdos accipiat, et alterius torum nesciat conjugis, quæ uxor est futura Pontificis (*Levit.* XXI. 13. *et* 14.) ? Jam tunc enim Sacerdotibus figurabatur Christi et Ecclesiæ spirituale conjugium : ut quoniam *vir caput est mulieris* (1. *Cor.* XI. 3.), discat sponsa Christi non alium virum nosse quàm Christum, qui meritò unam elegit, unam diligit, et aliam præter ipsam suo consortio non adjungit. Si ergo etiam in veteri Testamento hæc Sacerdotalium conjugiorum forma servata est : quantò magis sub revelata jam gratia constituti, Apostolicis debemus inservire præceptis, ut quamlibet quis bonis moribus præditus, et sanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad Diaconi gradum, vel ad Presbyterii honorem, vel ad Episcopatûs culmen ascendat, si aut ipsum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuisse constiterit ?

GENNAD. *lib. de Eccles. Dogmat. cap.* 39. *aliàs* 72. Maritum duarum post baptismum matronarum clericum non ordinandum. Neque eum qui unam quidem, sed concubinam, non matronam habuit. Nec illum qui viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonio sumpsit. Neque eum qui semetipsum quolibet corporis sui membro indignatione aliquâ vel justo injustove timore superatus truncaverit. Neque illum qui usuras accepisse convincitur, aut in scena lusisse dignoscitur. Neque eum qui publicâ pœnitentiâ mortalia crimina deflet. Neque illum qui aliquando in furiam versus insanivit, vel afflatione diaboli vexatus est. Neque eum qui per ambitionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam offert.

Decret. GREG. IX. *lib.* 1. *tit.* 21. *cap.* 1. *Ex* CONCIL. AUREL. III. *cap.* 6. Ut Bigami, pœnitentes, vel repudiatarum mariti, ad Sacerdotium non (ascendant.)

Ibid. cap. 7. Ille autem, qui in Subdiaconatûs ordine constitutus facto tantùm (quia de jure non potuit) duxit viduam in uxorem, profectò bigamus non existit : sed nec viduæ potest in veritate dici maritus, cùm inter ipsum et illam non fuerit vinculum maritale contractum : cum eo tamen contra doctrinam Apostoli tanquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter sacramenti defectum, sed affectum intentionis cum opere subsecuto.

SEXT. *lib.* 1. *tit.* 11. *De Bigamis cap. unic.* GREGORIUS X. *in Concilio generali Lugd.* Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes, Bigamos omni privilegio clericali declaramus esse nudatos : Et coërcitioni fori secularis addictos : consuetudine contrariâ non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram vel habitum clericalem.

DECRET. *part.* 1. *distinct.* 34. *cap.* 8. Si quis de laïcis post uxorem, aliam cujuscunque conditionis cognoverit mulierem, in clericum nullatenùs admittatur.

Cap. 9. Curandum ergo in primis est, ne ad sacros Ordines (sicut gestis prioribus antè præscriptum est) quisquam, qui uxorem non virginem duxit, adspiret.

Item GREGOR. urb. Roman. Præs. *Squilat. Episc.* Præcipimus, ne unquam illicitas Ordinationes facias : nec bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, aut ignorantem litteras, vel in qualibet parte corporis vitiatum, vel pœnitentiæ, vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros Ordines permittas accedere, sed si quos hujusmodi repereris, non audeas promovere.

VAN-ESPEN *Jur. Eccles. part.* 2. *tit.* 10. *de irregular. cap.* 2. *n.* 28. Canonem commentans Theodorus Balsamon ait : Eos, qui suam Deo professionem votumque de virginitate servanda irritum reddunt, Patres, bigamorum definitioni, hoc est *pœnæ*, subjiciunt. Balsamoni consentiunt Zonaras et Aristenus.

CONCIL. VALENT. *an.* 374. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 905. *can.* 1. Sedit igitur, neminem post hanc Synodum, quâ ejusmodi illicitis vel serò

I. Quot sunt ergo species Bigamiæ ?

R. Triplex Bigamia censetur.

1. *Bigamia vera*, cùm quis secundum matrimonium legitimum contraxit, priore uxore mortuâ.

2. *Bigamia interpretativa*, cùm quis matrimonium contraxit cum vidua, vel cum corrupta ab alio, si res palàm nota sit, vel cum repudiata, vel si debitum quis propriæ uxori reddiderit, postquam certò novit eam esse adulteram.

3. *Bigamia* quam *similitudinariam* vocant, si quis post emissum votum solemne castitatis, vel post susceptum Ordinem sacrum, matrimonio conjungatur.

I. Quinam sunt irregulares *defectu lenitatis ?*

R. Qui justè aliquem occidit, vel mutilavit, vel ex officio et munere publico particeps fuit occisionis aut mutilationis : verbi gratiâ, milites qui in bello dimicarunt, et congressi sunt vel ad pugnam, vel ad obsidionem, vel defensionem urbis, etc. Judices, accusatores, scribæ in causa sanguinis, advocati in causa sanguinis, agentes partes accusatoris, carnifices, chirurgi, etc. (G)

succurritur, de digamis, aut internuptarum maritis, ordinari clericum posse. Nec requirendum, utrumne initiati sacramentis divinis, anne gentiles, hac se infelicis sortis necessitate maculârint, cùm divini præcepti casta sit forma.

S. Basil. *Epist. can. ad Amph. Can.* 12. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1727. Bigamos canon omninò à ministerio exclusit.

Concil. Epaonense *an.* 517. *Can.* 2. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1576. Ne secundæ uxoris aut renuptæ maritus Presbyter aut Diaconus ordinetur, abundè sufficeret ab Apostolo constitutum. Sed quia præceptum hujusmodi excedi quorumdam fratrum simplicitate cognovimus, speciali observantiâ renovamus, sciente eo qui contra interdictum ordinaverit, reum fratribus se futurum : illo autem qui contra fas honorem prohibitæ benedictionis ambierit, nihil se clericalis ministerii præsumpturum.

Idem ab omnibus ferè Conciliis statutum fuit.

(G) Van-Espen *Jur. Eccles. part.* 2. *tit.* 10. *de irregul. cap.* 4. *n.* 1. Inter qualitates quas in Episcopis et Diaconis requirit Apostolus, hæc una est, *non percussorem.*

Concil. Toletan. I. *an.* 400. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1224. *can.* 8. Si quis post baptismum militaverit, et chlamydem sumpserit, aut cingulum ; etiamsi graviora non admiserit, si ad clerum admissus fuit, Diaconii non accipiat dignitatem.

S. Innoc. PP. I. *Epist.* 16. *ad Felicem Nucerian. Episc. tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1261. *cap.* 3. Designata sunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt : id est, si quis fidelis militaverit, si quis fidelis causas egerit, hoc est, postulaverit, si quis fidelis administraverit. De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam etsi inveniantur hujusmodi viri, qui debeant clerici fieri, tamen quoniam sæpiùs ad curiam repetuntur, cavendum ab his est, propter tribulationem, quæ sæpè de his Ecclesiæ provenit.

Eadem fortiùs inculcat Epist. 23. *ad Episc. Synod. Tolos. cap.* 4. Nam de ordinationibus, quas pravæ consuetudinis vitio Hispanienses Episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundùm Majorum traditionem statuendum, nisi perpenderemus ne perturbationes quàm plurimis Ecclesiis moveremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum, ea quæ quoquo modo facta sunt in dubium non vocemus, sed Dei potiùs judicio dimittamus. Quantos enim ex his qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, et obtinendi pertinaciam susceperunt, adscitos ad Sacerdotium esse comperimus, è quorum numero Rufinus et Gregorius perhibentur ?

Quantos ex aliqua militia, qui cùm Potestatibus obedirent, severa necessariò præcepta sunt exsecuti? Quantos ex curialibus, qui dum potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt? Quantos qui voluptates et editiones populo celebrarunt, ad honorem summi Sacerdotii pervenisse: quorum omnium neminem ne ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat pervenire? Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcircò remittenda potiùs hæc putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestræ maturitas providere debebit, ut tantæ usurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur: eo videlicet constituto, ut si qui post hæc adversùs formas Canonum, vel ad Ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum Sacerdotium venire tentaverint, unà cum creatoribus suis ipso, in quo inventi fuerint, ordine et honore priventur.

Cap. 6. Et quamvis dilectioni vestræ, Fratres charissimi, regulæ Nicænæ sint cognitæ, secundùm quas Ordinationes faciendas esse per sententiam decernitis: tamen aliquam partem, quæ de Ordinationibus est provisa, inserendam putavi, ut secundùm hanc Ordinationes in posterum celebrandas (*supp.* ordinetis,) ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primùm quæ sunt prohibita digeruntur. Ne quispiam qui post baptismum militaverit, ad ordinem debeat Clericatûs admitti: neque qui causas post acceptum baptismum egerint; aut qui post acceptam Dei gratiam administraverint: neque de curialibus aliquem venire ad Ecclesiasticum ordinem posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel Sacerdotium quod dicitur sustinuerint, et editiones publicas celebraverint. Nam et hoc de curialibus est cavendum, ne iidem qui ex curialibus fuerint, aliquando à suis curiis quod frequenter videmus accidere, reposcantur. Quæ omnia rationabiliter prohibita oportet modis omnibus custodiri.

Concil. Tolet. IV. *an.* 633. *can.* 31. *tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 1714. Sæpè Principes contra quoslibet majestatis obnoxios, Sacerdotibus negotia sua committunt. Et quia Sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant Regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittatur, non ubi discriminis sententia præparetur. Si quis ergo Sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alicnis periculis exstiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum: et apud Ecclesiam perdat proprium gradum.

Concil. Tolet. XI. *ann.* 675. *Can.* 6. His à quibus Domini sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet: et ideò magnoperè talium excessibus prohibendum est; ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est sententiâ propriâ judicare præsumant, aut truncationes quaslibet membrorum quibuslibet personis aut per se inferant, aut inferendas præcipiant. Quòd si quisquam horum immemor præceptorum, aut Ecclesiæ suæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, et concessi ordinis honore privatus, et loco suo, perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo: cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est; propter Domini misericordiam, *qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur, et vivat.* (*Ezech.* XVIII. 23. XXXIII. 11.)

Concil. Lateran. *ann.* 1215. *Can.* 18. *tom.* 11. *Concil. Labb. col.* 169. Sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat: sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur intersit.... nec quisquam clericus litteras scribat aut dictet pro vindicta sanguinis destinandas.... Nullus quoque clericus rottariis, aut balistariis, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur, nec illam chirurgiæ partem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceant, quæ ad ustionem vel incisionem inducit. Nec quisquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, seu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impendat.

Concil. Londin. *ann.* 1268. *Can.* 6. *tom.* 11. *Concil. Labb. col.* 873. Juxta sacrorum Ordinum censuram, præsenti Constitutione districtiùs inhibemus: ne quis in clericali militia constitutus, advocationis officium in foro seculari, pro causa sanguinis, vel alia quacunque, nisi in casibus à jure permissis, exercere præsumat. Si quis autem contrà fecerit, si

quid in causa sanguinis, pro actoris parte certaverit, ipso facto ab officio sint suspensi.... In eisdem quoque sanguinis causis, in quibus mortis aut mutilationis membrorum judicium agitur, similiter inhibemus : ne quis in clero constitutus, judex seu assessor esse præsumat.

DECRETI *part.* 1. *dist.* 50. *cap.* 8. *Ex* MARTINI BRACAR. *cap.* 26. Si quis viduam, aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad clericatum. Quòd si irrepserit, dejiciatur. Similiter, si homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione post baptismum conscius fuerit, et per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, dejiciatur, et in fine vitæ suæ laïcam communionem tantummodò recipiat.

Decret. GREG. IX. *lib.* 5. *tit.* 31. *de excess. Prælat. cap.* 10. *Ex litteris vestris*, quia idem Episcopus non solùm in judicio cadentis ferri, verùm etiam in furis suspendio graviter noscitur delinquisse, cùm his non tantùm auctoritatem præstiterit, verùm etiam præsentiam exhibuerit corporalem, ipsum indignum altaris ministerio reputamus. Cùm igitur pontificale officium sine altaris ministerio non valeat adimpleri : mandamus, quatenùs Episcopatui cedat moneatis eumdem, alioquin ipsum ab Albiganeus. Ecclesia amoventes, facialis eidem per electionem canonicam de persona idonea provideri.

SEXTI *Decret. lib.* 5. *tit.* 4. *de Homicid. cap.* 2. Prælatis vel Clericis quibuscunque qui de laïcis suis malefactoribus querelam penès secularem Judicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, et provideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur, protestando expressè quòd ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet : quamvis aliàs in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari, si Judex mortem illis inferat justitiâ exigente.

Alioquin si Prælati aut Clerici propter metum hujusmodi (quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere de suis malefactoribus) taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona liberè deprædandi.

Decret. GREG. IX. *lib.* 5. *tit.* 12. *de Homicid. cap.* 19. *Tua nos....* §. Ad ultimum fuit ex parte tua propositum, quòd quidam scholaris metuens, nè latrones in hospitio suo essent, de strato consurgens, reperit ibi furem : qui non solùm ipsum scholarem prostravit ad terram, sed penè ad mortem vulneravit eumdem : manè itaque scholares latronem quæsierunt eumdem, quem vulneratum inventum, Potestati Vincentiæ tradiderunt : coram quo constanter negavit quòd præmissum minimè perpetravit : undè præfatus Potestas ad eumdem scholarem nuntios destinavit, ut exponeret, si qua sciret de fure prædicto, vel traderet intersignia : qui cultrum, quem ipsi latroni abstulerat, et solulares ab eodem in ipsius domo dimissos, quos abstraxerat, nè pedum strepitus audiretur, nunc iis tradidit memoratis, super eodem facto se nihil ampliùs intromittens. Potestas igitur receptis talibus intersigniis, latronem ipsum apparitoribus suis tradidit puniendum : qui sibi amputaverunt virilia, et oculos eruerunt : latro verò irâ et dolore commotus, nec potum sumpsit, nec cibum : et sic de medio est sublatus. Undè per nostrum oraculum postulas edoceri, utrum præfatus scholaris, ad sacros valeat Ordines promoveri ? Nos igitur inquisitioni tuæ respondemus, quòd si præfatus scholaris, dignis meritis adjuvatur, propter præscriptum eventum à susceptione sacrorum Ordinum nullatenùs est arcendus.

Cap. 21. Postulasti : *et infrà* : Quæsivisti prætereà, utrum contra quosdam contemptâ excommunicationis sententiâ debitas Ecclesiis decimas subtrahentes, tibi regiam implorare liceat potestatem, cùm ad solutionem ipsarum vix absque sanguinis effusione valeant coarctari ? Ad quod resp. quòd si te hujusmodi querimoniam simpliciter deponente, Rex (cui ad bonorum laudem, vindictam verò malorum, gladius est commissus) in eosdem rebelles traditam sibi exercuerit potestatem, eorum erit duritiæ (aut malitiæ) imputandum.

VAN-ESPEN. *Jur. Eccles. part.* 2. *tit.* 10. *de irregul. cap.* 4. *n.* 24. Nec tantùm clericos hæc irregularitas spectat, sed etiam laïcos ; eatenùs saltem quod si in causa sanguinis sententiam tulerint : aut ad eam concurrerint eo modo quo nunc expositum fuit, fiant irregulares ad Ordines, quin et Tonsuram Clericalem suscipiendam citra dispensationem.

I. Quinam sunt irregulares *ex defectu famæ ?*

R. Qui solemnem et publicam pœnitentiam egerunt, etiamsi nullo crimine vel delicto tenerentur. Nam si crimine aliquo tenerentur, horum irregularitas pertinet ad infamiam, quæ est una ex irregularitatibus ex delicto. (H)

I. Quænam sunt irregularitates ex delicto ?

R. Octo vulgò numerantur, nimirùm irregularitas ;

1. Ex delicto homicidii voluntarii.
2. Ex homicidio casuali.
3. Ex homicidio necessario.
4. Ex delicto hæresis.
5. Ex delicto circa Baptismum.

N. 25. Hoc tamen notandum, neque clericos, neque laïcos irregularitatem incurrere ob concurrentiam in causa sanguinis, nisi reipsâ sententia sanguinis executioni mandata fuerit ; id est mors aut mutilatio ipsius criminosi fuerit secuta : neque refert, quo eventu, aut etiam fraude vel maleficio executio sententiæ fuerit impedita.

N. 26. Ulteriùs quia hæc irregularitas à jure positivo humano dependet, quid mirum si non ubique eodem cum rigore observetur. Et quidem testes à Judice compulsi ferre testimonium in causa criminali, non censentur irregulares secundùm jurisprudentiam Gallicanam, moresque et usum hujus Regni Gallicani : quia causa proxima mortis reorum non habentur, sed remota duntaxat, ait R. P. Natalis Alexander in Theologia dogmatica et morali, tractatu de sacramento Ordinis.

Cap. 4. art. 9. n. 1. Additque : Idem esto de Notariis judicium ; sed aliarum Ecclesiarum disciplinæ ac moribus (ait) Gallicani mores non præjudicant.

N. 27. Refert quoque Julianus Brodeau in notis ad Loüetium (*litt. B. n. 1.*) judicatum in senatu Regio *consultis classibus* ann. 1623. Scribam seu Graphiarium criminalem, qui per plures annos signaverat, et pronuntiaverat plurimas sententias sanguinis, earumque executioni interfuerat, non incurrisse irregularitatem ; ac potuisse sine ulla dispensatione Beneficium Ecclesiasticum obtinere. Rationem subdit Brodæus : Graphiarius non fundit sanguinem, neque effusionis causa est ; nihil confert de suo, non est nisi simplex Judicis minister.

(H) Concil. Gerundens. *an.* 517. *can.* 9. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1569. Is verò qui ægritudinis languore depressus pœnitentiæ benedictionem (quam Viaticum deputamus) per communionem acceperit, et postmodum reconvalescens caput pœnitentiæ in Ecclesia publicè non subdiderit, si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

Concil. Toletan. IV. *an.* 633. *Can.* 54. *tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 1718. Hi qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantùm peccatores se prædicantes ; hujusmodi, si revaluerint, possunt etiam, pro morum probitate, ad gradus Ecclesiasticos pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetrasse publicè fateantur, ad Clerum, vel ad honores Ecclesiasticos pervenire nullatenùs poterunt, quia se confessione propriâ notaverunt.

Concil. Carthag. III. *an.* 397. *Can.* 9. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1168. Item placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum seu Clericorum, cùm in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali judicio : in civili verò perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit.

Decret. Greg. IX. *lib.* 2. *tit.* 20. *de Testibus cap.* 56. Non debet quis in criminibus (nisi forsitan in exceptis) ad testificandum admitti pendente accusatione de crimine contra ipsum : cùm etiam accusati (nisi priùs se probaverint innocentes) ab accusatione ac susceptione ordinum repellantur.

6. Ex delicto circa Ordinem.
7. Ex delicto circa censuram.
8. Ex infamia ob delictum.

I. Quinam sunt irregulares *ex homicidio voluntario?*

R. Qui voluntariè occidunt vel mutilant alios, qui seipsos mutilant in quacunque corporis parte : qui participes sunt homicidii voluntarii, vel voluntariæ mutilationis, jussione, consilio, consensu, vel aliis modis hujusmodi : si occisio vel mutilatio sequatur ex participantis jussione, vel consilio, vel consensu, etc. (1)

(1) *Decret.* GREG. IX. *lib.* 5. *tit.* 12. *de Homicid. cap.* 2. Interfecisti furem aut latronem, ubi comprehendi poterat absque occisione..... Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur : tamen quandiù vivit, pœnitentiam agat.

Cap. 7. Presbyterum qui quemdam puerum intuitu disciplinæ percussit in capite, cùm post paucos dies expirasset, tam ab omni altaris ministerio debet perpetuò removere, quàm ab officio Sacerdotali deponere, si ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse.

Cap. 8. Continebatur in litteris tuis, quòd cùm Diaconus præsentium later, et quidam alii Clerici à vineis Ecclesiæ opere consummato rediirent, levandi laboris gratiâ quemdam ludum imitati viatorum, baculos suos studebant jacere in directum, et alter alterius fustem ferire, cujus ludi solet esse conditio, ut qui alterius baculum percuteret, quasi victor pro equo alio uteretur. Sed prælati clerici equitandi licentiâ non utentes, solà erant jactatione contenti. Quidam autem laïcus, cùm baculum ejusdem Diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus insiliit : et sic à falce illius Diaconi, quâ erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo exspiravit. Ideoque mandamus, quatenùs eumdem Diaconum sine licentia Romani Pontificis ad superiorem gradum non ascendere, vel Diaconatûs officio nullo unquam tempore ministrare permittas, sed eum dispensativè ministrare in Subdiaconatûs officio patiaris.

Cap. 9. Lator præsentium P. clericus nobis proposuit, quòd cùm quadam die casu cum quodam clerico luderet, contingit, quòd ille projecit istum ad terram : cujus cultellus, quem ad latus suum habebat, in alterum incidit, et fortuitò occubuit vulneratus. Ideoque mandamus, quatenùs si ita res se habuit, et alia justa causa non impedit, prædictum P. liberè permittas ad sacros Ordines promoveri.

Cap. 11. De cætero noveris quòd Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad Sacerdotium promovendus.

Cap. 12. Ad audientiam Apostolatûs nostri pervenit, quòd cùm quidam Presbyter volens corrigere quemdam de familia sua cingulo quo cingi solebat ipsum verberare tentaret : contigit quòd cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat elapsus, eum in dorso aliquantulùm vulneravit. Postmodum verò cùm ille vulneratus aliquandiù vixisset et convaluisset à vulnere, aliâ graviori (ut dicitur) infirmitate percussus, viam est universæ carnis ingressus. Quia verò utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur : tuæ discretioni duximus respondendum, quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret, et eidem injunctâ pœnitentiâ congruenti, sibi poteris concedere, ut minoribus Ordinibus sit contentus.. Si verò ille ex alia infirmitate obierit, poterit (sicut erat solitus) divina officia ministrare.

Cap. 13. Dilectus filius A. Capellanus proposuit, quòd cùm quadam corporis molestiâ gravaretur, ut comedendi appetitum aliquantulùm excitaret, equum, quem nutriebat, ascendit : qui cùm benè non pareret habenis, sed præter sessoris arbitrium saltibus lasciviret, ipse (ut ejus refrenaret impetum) freno vim intulit, equumque calcaribus stimulavit : cumque fracto freno equus proprio arbitrio relictus curreret festinanter, quædam mulier veniens ex obliquo infantulum bajulans obviavit :

in quam equus irruens (procul abjecto sessore) puerum prædictum oppressit. Ideoque mandamus, quatenùs, si est ita, cùm idem Capellanus nec voluntate nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei, non impedias, quominùs divina possit officia celebrare.

Cap. 18. Significasti nobis, quòd cum quidam maleficus ingressus Ecclesiam, Eucharistiam cum altarium ornamentis et libris Ecclesiasticis extra Ecclesiam asportasset: L. Presbyter Ecclesiæ canonicus regularis prædictum iniquitatis filium, fossorio arrepto percussit; sed si ad mortem fuit ictus hujusmodi, tu et ipse penitùs ignoratis, quem parœciani Ecclesiæ videntes ornamenta Ecclesiæ asportantem, arreptis gladiis et fustibus in eodem loco protinùs occiderunt: (1. *et infrà*) Nos in præmisso casu credimus distinguendum, utrum constare possit quòd præfatus Sacerdos non inflixit percussionem lethalem, de qua si aliorum non fuissent vulnera subsecuta, percussus minimè interiisset, et si percussor voluntatem non habuerit occidendi, neque ipsius studio, consilio vel mandato processerint alii contra illum. Et quidem si hoc ita se habet (quod forsan ex eo posset ostendi, si certò apparuisset percussio, ab eodem inflicta tam modica et tam levis, in ea parte corporis, in qua quis de levi percuti non solet ad mortem, ut peritorum judicio medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis) cùm de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur vel denuntiatur ab aliquo, sed per se ipsum consilium appetit salutare, post pœnitentiam ad cautelam injunctam, in Sacerdotali poterit officio ministrare, maximè religionis accedente favore, cùm sit canonicus regularis, et sine omni scandalo possit Sacerdotale officium celebrare. Quòd si discerni non possit ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos: et si fortè homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet: cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur: (2. *et infrà*) Si verò (quemadmodum perhibetur) Sacerdos iste priùs ab illo percussus sacrilego, mox eum cum ligone in capite repercussit; quamvis vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittant: quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendum vindictam, sed ad injuriam propulsandam: non videtur idem Sacerdos à pœna homicidii penitùs excusari: tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit: quod cùm grave sit, non solet levem plagam inferre: tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis lethaliter solet lædi.

Ibid. tit. 14. *cap.* 2. Henricus Presbyter nobis humiliter intimavit, quòd cùm laïcum quemdam super furto in seculari placito convenisset, quia testes sui defecerunt, pugilem secundùm pravam terræ consuetudinem introduxit, qui reum usque adeò ictibus vulneravit, quòd coactus est exspirare. Quia igitur super hoc nos consulere voluisti, ambiguitatem tuam responsione hujusmodi removemus, quòd tales pugiles homicidæ veri existunt: nec prædictus Sacerdos, licèt non ipse, sed alius pro eo in duello pugnavit, debet in sacris Ordinibus ministrare, sicut tradunt sacrorum Canonum instituta. Homicidium autem, tam facto quàm præcepto, sive consilio, aut defensione, non est dubium perpetrari: poterit tamen cum eo circa habendum beneficium misericorditer dispensari.

Sexti *Decretal. lib.* 5. *tit.* 4. *cap.* 3. Is, qui mandat aliquem verberari (licèt expressè inhibeat ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat: cùm mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse debuerit cogitare.

Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.* Cùm etiam qui per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari avelli debeat: qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit: nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni Ordine, ac Beneficio et officio Ecclesiastico perpetuò careat; si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam in sacrorum Ordinum, et altaris ministerium, et bene-

I. Quinam incurrunt irregularitatem *ex homicidio casuali*?

R. 1. Qui vacantes rei illicitæ occidunt vel mutilant casu aliquem.

2. Qui mandarunt vel consuluerunt fieri rem illicitam, ex qua secuta est occisio vel mutilatio casualis quæ prævideri debuit.

3. Qui vacantes rei licitæ occidunt vel mutilant casu aliquem, non adhibitâ diligentiâ quam adhibere tenebantur ne casus accideret.

I. Quinam incurrunt irregularitatem *ex homicidio necessario*?

R. Qui alium occidit non habens occidendi animum, sed tantùm se ab aggressore defendendi, si non adhibuerit omnem inculpatæ tutelæ cautionem; si enim aggressor occisus fuerit adhibitâ ex parte occidentis omni legitimæ defensionis cautione, qui occidit non est irregularis.

I. Quinam sunt irregulares *ex hæresis delicto*?

R. 1. Qui hæresim ab Ecclesia proscriptam exteriùs profitentur; verbi gratiâ, Calvinistæ, Lutherani, Ariani, etc.

2. Qui à fide Catholica exteriùs defecerunt, ut se reciperent ad partes Infidelium, Judæorum, Mahumetanorum, etc.

3. Filii hæreticorum, qui nati sunt parentibus jam hæreticis. (K) Hi tamen ordinantur in Gallia sine dispensatione.

ficia quæcunque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causâ cognitâ, et probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

Sess. 24. *cap.* 6. *de Reformat.* Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.

CLEMENT. *lib.* 5. *tit.* 4. *Clement. unic. de Homicid.* Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.

DECRET. *part.* 1. *distinct.* 50. *cap.* 4. *Ex Epist.* JOANNIS VIII. *ad Episc. Uticens. aut Venetiens.* Miror minùs doctam scientiam tuam Sacerdotem putare post perpetratum homicidium posse in Sacerdotio ministrare; immò (quod est ineptius) nobis suadere velle, ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens, tamque perversi sensûs, tale quid æstimaret, vel post quantamcunque pœnitentiam concedendum, cùm omninò sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet ergo Sacerdotio privatus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere, ut talibus saltem remediis curatus, salutis possit invenire suffragium.

BOCHELLUS *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 3. *tit.* 2. *Ex* SYNODAL. ECCLES. TREGENS. *cap.* 47. Debent autem cavere Clerici ne ad Ordines accedant indigni: scientes quòd de vita et honestate ordinandorum, et de scientia diligenter inquirendum est, ne si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam mortis cadant. (*Matth.* XV. 14.) Prævidere etiam debent ordinandi, ne impedimentum aliquod patiantur, quominùs possint canonicè ordinari, sicut est excommunicatio major, et etiam minor, defectus libertatis ac natalium, morbus caducus, lepra, simonia, bigamia, homicidium, et cætera alia.

(K) S. CYPRIAN. *de Unit. Eccles. pag.* 83. *de schismaticis et hæreticis loquens hæc habet:* Fratres ab ejusmodi caveant, quia et hæc antè prædicta sunt; instruente Domino et dicente: *vos autem cavete, ecce prædixi vobis omnia.* (*Marc.* XIII. 23.) Vitate quæso vos ejusmodi homines, et à latere atque auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis

arcete, sicut scriptum est : *sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* XVIII. 28.) ; et iterùm : *corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ.* (1. *Cor.* XV. 33.) Docet Dominus et admonet à talibus recedendum. *Cæci sunt*, inquit (*Matth.* XV. 14.), *duces cæcorum : cæcus autem cæcum ducens, simul in foveam cadent.* Aversandus est talis atque fugiendus quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Perversus est hujusmodi et peccat, et est à semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur, qui adversùs Sacerdotes Christi facit ? Qui se à cleri ejus et plebis societate secernit ? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat : hostis altaris, adversùs sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis et Dei Sacerdotibus derelictis constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare ; nec dignatur scire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam divinà animadversione punitur.

Epist. 69. *aliàs* 76. *ad Magnum*, *init.* Dicimus omnes omninò hæreticos et schismaticos nihil habere potestatis ac juris. Propter quod Novatianus nec debet, nec potest excipi, quominùs ipse quoque extra Ecclesiam consistens, et contra pacem ac dilectionem Christi faciens, inter adversarios et antichristos computetur. Neque enim Dominus noster Jesus Christus, cùm in Evangelio suo testaretur adversarios suos esse eos, qui secum non essent, aliquam speciem hæreseos designavit, sed omnes omninò hæreticos qui secum non essent, et secum non colligentes gregem suum spargerent, adversarios suos esse ostendit, dicens : *Qui non est mecum, adversùm me est : et qui mecum non colligit, spargit.* (*Luc.* XI. 23.) Item beatus Joannes Apostolus nec ipse ullam hæresim, aut schisma discrevit, aut aliquos specialim separatos posuit, sed universos qui de Ecclesia exissent, quique contra Ecclesiam facerent, antichristos appellavit, dicens : (1. *Joan.* II. 18. *et* 19.) « Audistis quia antichristus » venit, nunc autem antichristi multi facti sunt : undè cognoscimus quia » novissima hora est. Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis : si » enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. » Undè apparet adversarios Domini et antichristos omnes esse, quos constet à charitate atque ab unitate Ecclesiæ recessisse. Adhuc quoque Dominus in Evangelio suo ponit et dicit ; *Si verò et Ecclesiam contempserit, sit tibi tanquam Ethnicus et Publicanus.* (*Matth.* XVIII. 17.) Si autem qui Ecclesiam contemnunt ethnici et publicani habentur ; multò magis utique rebelles et hostes, falsa altaria, et illicita sacerdotia, et sacrificia sacrilega, et nomina adulterata fingentes, inter ethnicos et publicanos necesse est computentur ; quando minora peccantes, et tantùm Ecclesiæ contemptores, ethnici et publicani sententiâ Domini judicentur... *Paulò post.* Novatianus in Ecclesia non est ; nec Episcopus computari potest, qui Evangelicâ et Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens, à seipso ortus est : habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo possel, qui ordinatus in Ecclesia non est. Foris enim non esse Ecclesiam, nec scindi adversùm se, aut dividi posse, sed inseparabilis atque inviduæ domûs unitatem tenere, manifestat Scripturæ divinæ fides, cùm de sacramento Paschæ et agni, qui agnus Christum designabat, scriptum sit : *in domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foràs.* (*Exod.* XII. 46.) Quod item circa Rahab, quæ ipsa quoque typum portabat Ecclesiæ, expressum videmus : cui mandatur et dicitur : *Patrem tuum, et matrem tuam, et fratres tuos, et totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, et omnis qui exierit ostium domûs tuæ foràs, reus sibi erit.* (*Josue* II. 18. *et* 19.) Quo sacramento declaratur in unam domum solam, id est, in Ecclesiam victuros et ab interitu mundi evasuros, colligi oportere. Quisquis autem de collectis foràs exierit, id est, si quis quamvis in Ecclesia gratiam consecutus, recesserit, et ab Ecclesia exierit, reum sibi futurum, id est, ipsum sibi quòd pereat, imputaturum. Quod Apostolus Paulus explanat, docens et præcipiens hæreticum vitandum esse, ut perversum et peccatorem, et à semetipso damnatum. (*Tit.* III. 10.) Hic enim reus sibi erit, qui non ab Episcopo ejectus, sed sponte de Ecclesia profugus, et hæreticâ præsumptione à semetipso damnatus, etc.

Concil. Eliberit. *an.* 305. *tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 976. *can.* 51. Ex omni hæresi fidelis si venerit, minimè est ad clerum promovendus: vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponantur.

Concil. Antiochen. I. *an.* 341. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 563. *can.* 5. Si quis Presbyter vel Diaconus proprio contempto Episcopo, ab Ecclesia seipsum segregaverit, et privatim congregationem effecerit, et altare erexerit, et Episcopo accersente non obedierit, nec velit ei parere nec morem gerere primo et secundò vocanti, is omninò deponatur, et non ampliùs curationem assequi, nec suum possit honorem capere. Sin autem perseverat perturbare et Ecclesiam evertere, is per externam potentiam ut seditiosus castigetur.

Decret. **Greg. IX.** *lib.* 5. *tit.* 7. *cap.* 9. *Ex supposititia* **Lucii III. PP.** *Epist.* Præsenti nihilominùs ordinatione sancimus, ut quicunque manifestè fuerit in hæresi deprehensus, si clericus est, vel cujuslibet religionis obumbratione fuscatus, totius Ecclesiastici ordinis prærogativâ nudetur, et sic omni officio et beneficio spoliatus Ecclesiastico, secularis relinquatur arbitrio Potestatis, animadversione debitâ puniendus: nisi continuò post deprehensionem erroris ad fidei Catholicæ unitatem sponte currere, et errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis publicè consenserit abjurare, et satisfactionem congruam exhibere.

Ibid. 13. §. 2. **Innocent. III. PP.** *in Concil. general. Lateran.* Damnati verò (hæretici) præsentibus secularibus Potestatibus, aut eorum Ballivis relinquantur animadversione debitâ puniendi, Clericis priùs à suis Ordinibus degradatis, ita quòd bona hujusmodi damnatorum, si laïci fuerint, confiscentur: si verò clerici, applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt.

Sexti *Decret. lib.* 5. *tit.* 2. *de hæret. cap.* 1. *ex Ep.* **Gregor. IX. PP.** Quoniam Episcoporum numerus ad degradationem Clericorum à Canonibus constitutus non potest de facili convenire: concedimus, ut Sacerdotem vel alium Clericum in sacris Ordinibus constitutum (cùm pro hæresi fuerit curiæ seculari relinquendus, aut perpetuò immutandus) convocatis Abbatibus, aliisque Prælatis et religiosis personis ac litteratis suæ Diœcesis, de quibus expedire videbitur, suus solus possit Episcopus degradare.

Et **Alexander IV.** *cap.* 2. §. 3. Hæretici autem, credentes, receptatores, defensores, et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur. Quòd si secùs actum fuerit, decernimus irritum et inane.

Ib. Ad hæc quoscunque viros Ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum dignitates, personatus, et quæcunque alia Ecclesiastica Beneficia sunt adepti: ex nunc privamus taliter acquisitis; volentes, quòd tales et habitis careant perpetuò: et si receperunt illa scienter, ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur.

Bonifacius VIII. *Ibid. cap.* 15. Statutum felicis recordationis Innocent. et Alex. præd. nost. ne videlicet hæretici, credentes, receptatores, defensores, et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum, seu publicum officium admittantur, quòd si secùs actum fuerit, sit irritum et inane. Primum et secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus: per maternam verò ad primum duntaxat volumus hoc extendi. Hoc sanè de filiis et nepotibus hæreticorum, credentium, et aliorum hujusmodi, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur: non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, et reincorporatos Ecclesiæ unitati, et pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse, quam ipsi vel jam perfecerunt, humiliter prosecutioni ejus insistunt, vel parati fuerint ad recipiendam eamdem.

Bochell. *Decret Ecclesiast. Gallican. lib.* 3. *ex* **Concil. Burdig.** 1582. *cap.* 68. *pag.* 398. In eorum examinatione qui ordinandi sunt, hæc præcipuè attendi et observari debent. Primùm, ne quis ex aliena Diœcesi, nisi litteras facultatis à suo Episcopo acceptæ proferat, in album ordinandorum proferatur. Deindè, ne quis non legitimè procreatus, vel ali-

I. Quinam sunt irregulares *ex delicto circa baptismum ?*

R. 1. Qui rebaptizat vel rebaptizatur sciens et volens.

2. Qui extra casum necessitatis extremæ baptizatur sciens et volens ab hæretico, quem novit esse publicè hæreticum. (L)

I. Quinam sunt irregulares *ex delicto circa Ordinem ?*

R. 1. Qui ordines recipit non admissus, sed furtivè sese ingerens, sive suppositâ aliâ personâ pro examine, sive locum occupans alterius cujus nomen usurpavit.

2. Qui per saltum promotus est; verbi gratiâ, ad Sacerdotium qui priùs Diaconus non fuerat ordinatus.

3. Qui ministrat in Ordine quem non habet; verbi gratiâ, Subdiaconus qui Diaconi fungitur officio. (M)

quo membrorum defectu, sive insigni deformitate notabilis, vel qui ætatem à S. Tridentina Synodo præstitutam non attigerit, admittatur. Ideoque nec Subdiaconus ante XXII. annum, nec Diaconus ante XXIII. nec Presbyter ante XXV. promoveri debebit. Suspecti etiam de hæresi, homicidæ voluntarii, apostatæ, simoniaci, confidentiarii, excommunicati, energumeni, morbo caduco laborantes, bigami, ac alii jure interdicti, à sacris Ordinibus omninò arceantur.

(L) *Olim Clinici ad sacros Ordines non admittebantur.* CONCIL. NEOCÆSAR. *an.* 314. *can.* 12. *tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 1488. Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est: nisi fortè posteà ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.

CONCIL. PARIS. *an.* 829. *lib.* 1. *cap.* 8. *tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 1603. Sicut in plerisque ita et in eo auctoritas à nonnullis sæpè violatur canonica, quando scilicet hi qui in ægritudine baptismatis suscipiunt sacramenta, ad gradus Ecclesiasticos contra fas provehentur. Is usus, quia auctoritati canonicæ resultat, oportet ut corrigatur, quoniam hujusmodi baptizatos, quos vulgaris sermo grabatarios vocat, canonica auctoritas à gradibus Ecclesiasticis patenter repellit.

CANON. APOST. *can.* 46. *tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 35. Episcopus, vel Presbyter eum qui verè habet baptismum, si de integro baptizaverit.... deponatur.

SYNOD. CARTHAG. *an.* 525. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1637. Ut rebaptizati non ordinentur.

Decret. GREG. IX. *lib.* 5. *tit.* 9. *cap.* 2. *ex* ALEX. III. *Epist. ad Abbat. S. Genovef.* Ex litterarum tuarum tenore perpendimus, quòd quidam ægritudine longâ confectus, insano sortilegarum mulierum credens consilio, ut sanaretur, per iterationem fecit injuriam baptismatis sacramento (1. *et infrà,*) Quia ergo tua nos duxit prudentia consulendos, qualiter punire debeat Acolythus, quem minor ætas et intentio fraternæ salutis excusare videtur: Discr. tuæ præsentibus litteris resp. quòd ad superiores Ordines promoveri (si publicum est, quod proponitur) non valebit, nisi ad religionem transire voluerit, ut favore religionis ipsius circa eum valeat dispensari. Si verò occultum est, promoveri poterit, et excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.

DECRET. 2. *p. caus.* 1. *q.* 7. *c.* 10. Qui in qualibet ætate, alibi quàm in Ecclesia Catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsùs non permittantur accedere. Quibus satis esse debet, quòd in Catholicorum numero sunt recepti. Quoniam de suo ordine, et communione videbitur ferre judicium, quisquis hoc violaverit institutum vel qui non removerit eum, quem ex ejus cœtu ad ministerium clericale obrepsisse cognoverit.

S. INNOCENT. PP. I. *Epist.* 22. *cap.* 4. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1274. Nostræ lex est Ecclesiæ, venientibus ab Hæreticis, qui tamen illic baptizati sint, per manûs impositionem laïcam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatûs honorem vel exiguum subrogare.

(M) CONCIL. QUINISEXT. IN TRULLO, *an.* 692. *can.* 14. *tom.* 6. *Concil.*

Labb. col. 1149. Sanctorum divinorumque Patrum nostrorum Canon in his quoque valeat, ut Presbyter ante triginta annos non ordinetur, etiam si sit homo valdè dignus, sed reservetur. Dominus enim Jesus Christus tricesimo anno baptizatus est, et cœpit docere. Similiter nec Diaconus ante viginti quinque annos, nec Diaconissa ante quadraginta annos ordinetur.

Can. 15. Subdiaconus ne minor viginti annis ordinetur. Si quis autem in quovis Sacerdotii gradu præter præfinita tempora ordinatus fuerit, deponatur.

Decret. GREG. IX. *lib.* 5. *tit.* 30. *cap.* 1. *ex Epist.* ALEXAND. III. *ad Lingon. Episc.* Veniens ad nos P. nobis exposuit se furtivè ordinem Diacon. suscepisse. Undè Frat. t. resp. quòd si non fuit à te vel ab aliquo Archidiaconorum, vel prælatorum tuorum sub anathematis interminatione prohibitus, tu ipse in promotione ipsius ad Sacerdotale officium condignâ satisfactione imposità (nisi alia impediant) pro arbitrio tuo dispenses. Si verò interminatio anathematis super hoc facta est, moneas eum, ut in aliquo monasterio seu canonia habitum suscipiat regularem: cui ex quo in habitu illo aliquanto tempore fuerit laudabiliter conversatus, poteris misericorditer providere: alioquin nullà ratione concedimus eum ad Sacerdotalem ordinem promoveri.

Idem quoque statuit CÆLESTINUS III. *quem legere potes ibid. cap.* 2. *et* 3.

Ibid. tit. 28. *cap.* 1. Si quis baptizaverit aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, et nunquam ordinetur.

Cap. 2. Ex litteris tuæ fraternitatis innotuit nobis, quòd I. Diaconus cùm non imposuisses ei manum, Missarum celebrationem usurpare præsumpsit: (1. *et infrà*) Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd ad Sacerdotis officium non poterit promoveri, à Diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua maneat provisione suspensus. De beneficio autem misericorditer agatur cum eo: ne sustentatione privatus, ad seculi negotia revertatur. Ut autem securiùs ei possis hanc misericordiam facere, de agenda pœnitentia diligentem circa eum curam non desinas exhibere: salubriùs autem sibi absque dubio providebit, si ad regularem vitam se duxerit transferendum.

Ibid. lib. 1. *tit.* 22. *cap.* 1. *Ex Epist.* ALEXAND. III. *ad Cœnoman. Episc.* Tua nos duxit fraternitas consulendos, quid sit agendum de Clericis, qui in remotis regionibus ordinati, litteras eorum ostendunt, à quibus sibi proponunt manus impositas: et utrum Episcoporum sigilla sint, quæ repræsentant, incertum existit. Tuæ igitur consultationi respondemus, tutius esse ut in his statuta Patrum veterum observentur, quàm novum aliquid statuatur. Statutum autem est de transmarinis, ut ad minus quinque Episcoporum super Ordinatione sua testimonio muniantur: quod in aliis (si similiter sunt incogniti) credimus observandum, ita tamen ut in suspensione aliquanto tempore habeantur, in quo plenius de actibus instruantur ipsorum, sed et de inferioribus Ordinibus inquiri oportet, quia posset contingere, ut aliquibus prætermissis saltum fecissent. His autem peractis, si digni inventi fuerint, circa eos poterit dispensari.

Cap. 2. INNOCENT. III. *Constantinop. Patriarchæ.* In quatuor: (*et infrà*) Utrum Clericos ad te sine suorum ordinatorum litteris venientes et offerentes juramentum, quòd sint in quovis Ecclesiasticorum ordinum constituti, debes ad superiores Ordines promovere. Inquisitioni tuæ respond. quòd nisi de ipsorum ordinatione canonica, per idonea tibi constiterit argumenta: eos nec in illis suscipere, nec ad majores debes Ordines promovere, præsertim antequam conversatio eorum fuerit approbata.

Ibid. tit. 11. *cap.* 2. ALEXAND. PP. III. *Episc. Herfordiens.* Sanè super eo, quòd moris esse dixisti in Ecclesiis quibusdam Scotiæ, verùm et Walliæ in dedicationibus Ecclesiarum vel altarium extra jejunia quatuor temporum Clericos ad sacros Ordines promovere. Significamus, quòd consuetudo illa (utpote institutioni Ecclesiasticæ inimica) est penitùs improbanda: et nisi multitudo et antiqua consuetudo terræ esset, taliter ordinati non deberent permitti in susceptis Ordinibus ministrare: nam apud nos sic ordinati deponerentur, et ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.

I. Quinam sunt irregulares *ex delicto circa censuram* ?

R. Qui violavit censuram quam incurrerat : verbi gratiâ, qui suspensus violat suspensionem, qui interdictus violat interdictum, qui excommunicatus spernit excommunicationem et gerit se pro non excommunicato. (N)

Cap. 8. URBANUS III. *Archiepisc. Pisano.* Cùm quidam : (*et infra*) Episcopum, qui die, quo non debuit, Ordines celebravit, canonicâ disciplinâ corrigere, et ordinatos à susceptis ordinibus tandiù reddere debes expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur.

BOCHEL. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 3. *Ex* SYNOD. SENON. 1524. *c.* 76. Ad quatuor minores Ordines, scilicet, Ostiariatûs, Lectoratûs, Exorcistatûs, et Acolytatûs, nulli veniant per saltum, aut furtivè nisi fuerint tonsurati, competentis ætatis, scilicet, XIV. annorum, litterati, et de legitimo matrimonio procreati, vel sine nostra, aut sanctæ Sedis Apostolicæ licentia et dispensatione. Statuimus etiam ut ad præfatos tres majores Ordines sacros nullus accedat furtivè, et per saltum, clam, latenter, et occultè, nullus ebriosus, tabernarius, vinolentus, lubricus, infamis, uxoratus, excommunicatus, aut alio vinculo ligatus, et nisi castè, justè, sobriè, ac honestè paratus sit vivere.

Ibid. Ex SYNOD. CARNOT. *an.* 1526. *cap.* 77. Nullus tonsuram recipiat nisi confirmatus. Nullus ad tres sacros Ordines majores furtivè, aut per saltum accedat : nullus suscipiat Presbyteratûs ordinem, nisi sit Diaconus : nullus veniat ad Diaconatum, Subdiaconatûs ordine prætermisso : nullus ordini sacro suscipiendo se ingerat, nisi priùs fuerit examinatus, aut probatus per nos, aut à nobis commissos. Aliàs promoti sciant seipso jure ab exsecutione suorum Ordinum esse suspensos : nec in hujusmodi susceptis Ordinibus posse ministrare, nisi priùs habitâ super hoc legitimâ dispensatione.

Ibid. Ex SYNOD. AQUENS. *an* 1585. *cap.* 80. Constitutione Pii secundi Pontificis maximi, quicunque clerici sine canonica dispensatione, extra stata tempora, vel ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis ordinarii sui litteris, se ad aliquem sacrum Ordinem promoveri fecerint à suorum Ordinum, quos susceperint, exsecutione, ipso jure suspensi sunt; sique suspensione durante, illorum Ordinum ministerium functionesve obierint, statim irregularitatem subeunt; ob quam præter alias pœnas, contra eos Canonum jure sancitas, Beneficiis etiam Ecclesiasticis privari possunt. Iis igitur pœnis ne quis facilè illigetur, illam Constitutionem quotannis, tum in diœcesana Synodo promulgari, tum pridiè illius diei, quo sacræ ordinationes habebuntur, edici clericis jubemus qui initiabuntur.

Ab omni sacræ ordinationis limine, et ingressu, arceantur omnes et singuli, canonicis impedimentis irretiti. Si quis verò aliquo impedimento etiam occulto illigatus teneatur, illud planè saltem Episcopo palefaciat, antequam se sacris istis clericalis militiæ mysteriis obtrudere audeat.

(N) *Decret.* GREG. IX. *lib.* 5. *tit.* 27. *cap.* 3. ALEXAND. III. *Londonen. Episc.* Clerici autem, si quis à suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis ab alienis Episcopis interdicti vel excommunicati ante absolutionem divina officia celebraverint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiam, pro ausu tantæ temeritatis incurrant.

Cap. 6. INNOCENT. III. *Bisunti. Archiepisc.* Fraternitati tuæ : *et infrà.* Presbyteros autem et alios Clericos, qui pro suis excessibus, à te nexibus anathematis canonicè innodati præsumpserunt vel præsumunt Officia celebrare Divina, rationabiliter poterit omnibus Beneficiis Ecclesiasticis spoliare.

Cap. 7. Idem *Decano et Priori Colonien.* §. 2. Quæsivistis præterea qualiter puniri debeant Clerici, Monachi, vel Moniales Ecclesiarum conventualium, qui post latam interdicti sententiam in locis suppositis interdicto præsumpserunt hactenùs, et adhuc etiam non verentur Divina Officia celebrare, quamvis propter hoc sint excommunicationis vinculo innodati. Ad hoc breviter respondemus, quòd Clerici, qui talia præsumpserunt, sunt Ecclesiasticis Beneficiis spoliandi : Monachi verò vel Mo-

I. Quinam sunt irregulares *ex infamia?*

R. 1. Qui exercent artem vel professionem cui infamia jure annexa est : verbi gratiâ, actores scenici, thymelici, mimi cæterique qui ludos agunt scenicos, et spectaculum sui faciunt in theatris, ad oblectationem vulgi.

2. Qui scelus aliquod admittunt cui infamia jure annexa est; verbi gratiâ, usurarii publici, impudici, sacrilegi, perjuri, blasphemi, simoniaci, confidentiarii, ebriosi, qui singulari certamine decertarunt. Non incurritur tamen ex hujusmodi delictis irregularitas ante sententiam Judicis in foro externo.

3. Qui ob grave scelus aliquod Pœnitentiam publicam egerunt, vel à Judicis sententia notati sunt. Etiam si sententia foret injusta, stat irregularitas, donec sententia hæc in irritum missa fuerit, vel ab eodem vel à superiore Judice.

Fundamentum autem irregularitatum omnium ex delicto provenientium illud est quod ait Apostolus, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* (1. *Tim.* III. 2. *Tit.* I. 7.) (O)

niales in arctioribus monasteriis ad peragendam pœnitentiam detrudendi.

JOANN. PP. VIII. *Epist. ad Unifred. Episc. Vinciens. Qui cum excommunicatis communicarat, Missarum celebratione prohibet.* Auctoritate Domini nostri J. C. et sancti Apostolorum Principis nostrique Apostolatûs, quia cum excommunicatis communicasti, ut litteræ tuæ manifestant, omni te Missarum celebratione privamus, donec in nostram cum eisdem hominibus occurras præsentiam : et si (quod non optamus) ampliùs præsumptor exstiteris, denuntiamus te omni Sacerdotio fore nudatum.

CANON. APOST. *Can.* 27. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus depositus justè super criminibus, ausus fuerit attractare ministerium dudùm sibi commissum, hic ab Ecclesia penitùs abscindatur.

CONCIL. ANTIOCH. I. *ann.* 341. *Concil. Labb. tom.* 2. *col.* 563. *can.* 4. Si quis Episcopus à Synodo depositus, vel Presbyter, vel Diaconus à proprio Episcopo, Sacrum celebrare ausus fuerit; sive Episcopus secundùm præcedentem consuetudinem, sive Presbyter, sive Diaconus, nullam ampliùs spem restitutionis in alia Synodo, neque defensionis locum ei habere liceat. Sed et omnes qui ei communicant, ex Ecclesia ejiciantur, et maximè si cùm sententiam adversùs prædictos prolatam didicerint, eis communicare ausi fuerint.

(O) DIGEST. *lib.* 3. *tit.* 2. *de his qui notantur infamiâ, leg.* 1. Prætoris verba dicunt : Infamiâ notatur... qui artis ludicræ pronuntiandive causâ in scenam prodierit : Qui lenocinium fecerit : Qui in judicio publico calumniæ prævaricationisve causâ quid fecisse judicatus erit : Qui furti vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo et fraude suo nomine damnatus, pactusve erit : Qui pro socio, tutelæ, mandati, depositi, suo nomine non contrario judicio damnatus erit.

Leg. 2. §. 4. Ait prætor : Qui in scenam prodierit (infamis est.) Scena est, ut Labeo definit, quæ ludorum faciendorum causâ, quolibet loco, ubi quis consistat, moveaturque spectaculum sui præbiturus, posita sit : in publico, privatove vel in vico : quo tamen loco passim homines spectaculi causâ admittantur.

COD. *Lib.* 2. *Tit.* 12. *Ex quibus causis infamia irrogatur, leg.* 20. Improbum fenus exercentibus et usuras usurarum illicitè exigentibus, infamiæ macula irroganda est.

DECRET. *part.* 2. *causa* 3. *quæst.* 7. *cap.* 2. *ex Digestis, Tit. de postulando, part.* 2. §. 12. Porrò infamia multipliciter irrogatur. Aliquando enim contrahitur genere delicti declarati per sententiam, veluti cum Judex pronuntiat : Injuriam fecisti, hæreditatem expilasti, calumniatus es.... Aliquando genere pœnæ, et delicti declarati per sententiam, veluti dum fustibus cæso per Præconem dicitur ἐσυκοφάντησας, id est, calum-

niatus es. Aliquando ipso genere facti, ut exercentes improbum fenus, et illicitè exigentes usuras usurarum.

Caus. 6. *quæst.* 1. *cap.* 2. HADRIANUS Papa, *in capitulis*, *cap.* 21. Omnes verò infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant, et omnes, qui culpis exigentibus ad Sacerdotium non possunt provehi.

Ibid. cap. 17. *allegatur adulterina* STEPHANI PP. I. *Epist. ad Hilar. cap.* 1. *quam exscribimus ex Tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 130. Quòd verò consuluisti Sedem Apostolicam, qui sunt infames, aut qui ad gradus Ecclesiasticos non sunt admittendi, et nosse te credimus, et pro auctoritate Sedis Apostolicæ te informare non denegamus. Infames autem esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamiâ, id est, omnes qui Christianæ legis normam abjiciunt, et statuta Ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos, et omnes capitalibus criminibus irretitos, sepulcrorum quoque violatores, et Apostolorum, atque successorum eorum, reliquorumque Patrum statuta libenter violantes, et omnes qui adversùs patres armantur, qui omni mundo infamiâ notantur. Similiter et incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, venefícos, adulteros, de bellis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injustè, et qui fratres calumniantur, aut accusant et non probant: vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam provocant: et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, et omnes quos Ecclesiasticæ vel seculi leges infames pronuntiant: hos verò non ad sacros Ordines licet promovere, nec servos ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec bigamos, nec eos qui curiæ deserviunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem vel intellectum, aut inobedientes Sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur: hi omnes nec ad sacros gradus debent provehi.

BOCHELLUS *Decret. Eccles. Gallic. Lib.* 3. *Ex* SYNOD. LINGON. *an* 1404. *cap.* 78. Criminosi non debent se ingerere ad Ordines recipiendos, neque debent ordinari si crimina fuerint manifesta.

Ibidem ex CONCIL. AURELIAN. III. *an.* 540. *cap.* 35. De clericorum præmittenda conversione, id omnimodis observetur, ne unus ex laïcis ante annualem conversionem, vel ætatem legitimam, id est, 25. annorum Diaconus, et triginta Presbyter, ordinetur: ita ut de ipsis quoque, qui ordinandi sunt, Clericis regulari custodiatur studio, ne aut duarum uxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professus, aut senius corpore, aut qui publicè aliquando correptus sit ad suprà scriptos Ordines promoveatur. Quòd si sciens Episcopus contra hæc Statuta agendum esse crediderit, is quidem qui ordinatur, suscepto juxta anteriores Canones privatur officio, sed ille pro ordinationis temeritate sex mensibus à celebrandis officiis sequestretur. Quòd si Missas intra statutum tempus facere præsumpserit, anno integro omnium fratrum charitate privetur.

Ibid. Ex SYNOD. CARNOT. *an.* 1526. *cap.* 77. Caveant Curati, ne transmittant ad nos ad suscipiendam primam Tonsuram aut Ordines quoscunque servum servilis conditionis, usurarium, infamem, membris corporis truncatum, valdè deformem, furiosum, diabolicâ afflictione vexatum, bigamum, simoniacum, uxoratum, homicidam, ebriosum, coucubinarium, excommunicatum, hæreticum, schismaticum. Nam etsi hujusmodi homines ad Ordines fortè recipiantur, Ordinis quidem sacramentum, sed non ejus exsecutionem recipient.

CAN. APOST. *Can.* 41. *Tom. Concil. Labb. col.* 35. Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, aleis et ebrietatibus vacans, vel cesset, vel deponatur.

Can. 43. Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, pecunias mutuò datas cum fenore exigens, vel cesset, vel deponatur.

S. GREG. MAGN. *Epist. lib.* 8. *Epist.* 40. *Clero et civib. Neapolit.* Petrus item Diaconus quem à vobis electum asseritis, omninò quantùm dicitur, simplex est.... De eo insuper ad nos pervenisse cognoscite quòd solidos dederit ad usuras: quod vos oportet cum omni subtilitate perquirere, et si ita constiterit, alium eligite, et ab hujusmodi vos persona sine mora suspendite. Nam nos amatoribus usurarum nullâ ratione manus imponimus.

CONCIL. NICÆN. General. I. *an.* 325. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 41. *can.* 9.

Si qui presbyteri sine examine sunt provecti, vel cùm discuterentur, peccata sua confessi sunt, et homines contra Canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt; tales regula non admittit: quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.

Can. 10. Quicunque de lapsis ad ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per Ordinantium dissimulationem; hoc Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ: cogniti namque deponuntur.

CONCIL. AGATH. *an.* 506. *Tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 390. *can.* 43. De pœnitentibus id placuit observare, quòd sancti Patres nostri Synodali sententiâ censuerunt, ut nullus de his Clericus ordinetur; et qui jam sunt per ignorantiam ordinati, ut sicut bigami, aut internuptarum mariti, locum teneant, ministrare Diaconus, aut consecrare ad altare hujusmodi Presbyter non præsumat.

Can. 50. Si Episcopus, Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterio retrudatur, et ibi quandiù vixerit Laïcam tantummodò communionem accipiat.

CONCIL. CARTHAG. IV. *ann.* 398. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1205. *can.* 67. Seditionarios nunquam ordinandos Clericos, sicut nec usurarios, nec injuriarum suarum ultores.

Can. 68. Ex pœnitentibus (quamvis sit bonus) Clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur à Clerico, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinaverit talem, etiam ab Episcopatûs sui, ordinandi duntaxat potestate, privetur.

CONCIL. EPAONENSE, *ann.* 517. *Tom.* 4. *Concil. Labb. Col.* 1576. *can.* 3. Pœnitentiam professi ad Clericatum penitùs non vocentur.

CONCIL. TOLET. I. *ann.* 400. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1223. *can.* 2. Item placuit, ut de pœnitente non admittatur ad clerum, nisi tantùm si necessitas aut usus exegerit, inter Ostiarios deputetur, vel inter Lectores: ita ut Evangelia et Apostolum non legat. Si qui autem antè ordinati sunt Diacones, inter Subdiacones habeantur: ita ut manum non imponant, aut sacra non contingant. Pœnitente verò dicimus de eo, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.

S. AUG. *Epist.* 185. *aliàs* 10. *ad Bonifac. cap.* 10. *n.* 45. Ut enim constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ: alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo.* (*Matth.* XVI. 19. *et* XVIII. 18.) Sed ne forsitan etiam detectis criminibus, spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbè ageret pœnitentiam, severissimè placuit, ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major et verior esset humilitatis.

S. INNOCENT. PP. I. *Epist.* 6. *Agapito, etc. tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1262. In nunc dato nobis libello monstratum est, Modestum quemdam, multis criminibus involutum, propter quæ etiam pœnitentiam egisse dicitur, non solùm clericum effectum, quod non licet; verùm etiam ad Episcopatûs apicem eum tendere: cùm canones apud Nicæam constituti, pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludant. Et ideò, fratres charissimi, perspecto tenore libelli, eum jubete præsentari: ac si verè constiterit talem, qualem libellus affirmat, non solùm ab Episcopatûs ambitione, sed etiam à clericatûs removeatur officio.

CONCIL. NICÆN. General. I. *ann.* 325. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 43. *can.* 17. Quoniam multi sub regula constituti, avaritiam et turpia lucra sectantur, oblitique divinæ Scripturæ dicentis: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram;* mutuum dantes centesimas exigunt: justè censuit sancta et magna Synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex adinventione aliqua, vel quolibet modo, negotium transigens, aut hemiolia, id est, sescupla exigens, vel aliquid tale prorsùs

excogitans turpis lucri gratiâ; dejiciatur à clero, et alienus existat à regula.

CONCIL. ARELAT. II. *ann.* 452. *can.* 14. *Tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1013. Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratiâ aliquod negotiationis exercuerit, depositus à communione alienus fiat.

CANON. APOST. *can.* 27. *Tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 30. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, justè ob manifesta crimina depositus, sibi aliquando creditum ministerium attingere audeat, ab Ecclesia omninò abscindatur.

CONCIL. CHALCED. General. IV. *ann.* 451. *can.* 2. *Tom.* 4. *Concil. col.* 756. Si quis Episcopus, propter pecunias ordinationem fecerit, et non venalem gratiam in venditionem deduxerit, et propter pecunias ordinaverit Episcopum, vel Chorepiscopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in clero annumerantur.... Qui hoc tentasse convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat: et qui est ordinatus, ex ordinatione vel promotione quæ instar mercatorum venundatur, nihil juvetur: sed sit à dignitate vel curatione alienus, quam pecuniis adeptus est. Si quis autem sequester et intercessor adeò turpibus et nefariis lucris apparuit, hic quoque si sit quidem Clericus proprio gradu excidat: si sit autem laïcus, vel Monachus, anathematizetur.

NOVELLA 6. *cap.* 1. §. 9. Et hanc (*dignit. Eccles.*) non pecuniis emere, neque per rerum aliquarum dationem suscipere, sed puram percipere, et sine mercede et tanquam à Deo datam. Nam si etiam alia omnia habeat utilia quæ priùs à nobis dicta sunt, pecuniis autem vel rebus videatur Episcopatum etiam emisse, sciat se, et ab Episcopatu casurum, et hoc munus retributurum Ordinanti: et ut ille Episcopatum amittat, et à clero cadat: et utrique causâ talem præstet retributionem, ut et hic quidem non adipiscatur quæ sperabat, ille autem etiam quæ habebat, amittat: verumtamen pecuniis ac rebus datis occasione ordinationis, sanctissimæ assignandis Ecclesiæ, sive Episcopus sit accipiens, et propterea à Sacerdotio cadens: sive etiam quilibet alius in clero constitutorum: nam et illi æquam imponimus pœnam, ut ab Ordine quem inter Sacerdotes habuerit, cadat, et reddat aurum aut res quæ ordinationis occasione datæ sunt, injuriam passæ quantùm ad ipsum Ecclesiæ. Si quis autem extraneorum sit, et non in clero constitutus, qui aurum aut rem aliquam propter patrocinium Ordinationis accepit: et maximè si administrationem aliquam gerat, habebit quidem ipse à Deo pœnam et succedent ei de cœlo supplicia: verumtamen etiam illud quod datum est, totum ablatum ab eo, sanctissimæ Ecclesiæ omnibus reddatur modis in duplum. Insuper etiam si quam administrationem habet eà cadat, et perpetuo exilio condemnetur. Illud quoque sciat apertè qui pecuniis aut rebus aliis emerit præsulatum: quia si priùs Diaconus aut Presbyter sit, deindè per suffragium ad Sacerdotium veniat, non solùm cadat Episcopatu, sed nec prior ei relinquetur Ordo, Presbyterii forsitan aut Diaconatûs. Amittit etenim etiam illud, utpote decentiam indignè concupiscens: et omni Sacerdotali excludetur Ordine.

S. AMBROS. *seu* AUCTOR *Lib. de dignit. Sacerd. Ambrosio suppar*, *cap.* 5. Cùm dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam Episcopalem accepi. Ergo interrogo te: Hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Respondet: Cur inquis? Ut reor, pro eo quòd gratis datur, ideò gratia vocitatur. Ergo si gratia, gratis datur, et auro non æstimatur: à te cur gratia pecuniis comparatur? Respondet: Non, inquit, mihi daretur, si pecuniis non emeretur: nec Episcopus fuissem ordinatus, si pecunias non dedissem. Ergo, ut apparet ex responsionibus tuis, gratiam cùm ordinaveris, non suscepisti; quia gratuitò eam non meruisti. Et ideò, frater, si gratiam non accepisti, quomodo Episcopus effici potuisti?

Ex TARASII Patriarchæ Constantinop. *ad Hadrianum, PP. Epist. Tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 630. Mundi sumus à sanguine prævaricantium canonicas dispositiones, et multò magis eorum qui per pecunias manus imposuerunt vel imponunt; Petro divino Apostolo, cujus cathedram sortita est fraterna Sanctitas vestra, hos tanquam Simonem manum deponente.... Ita et qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiri-

tui sancto, æqualiter peccantes hi qui blasphemant, dicentes, in Beelzebub ejicere dæmonia Christum. (*Matth.* XII. 24.) Atque ut verius dicamus, Judæ comparantur traditori, qui Dei occisoribus Judæis pretio argenti Christum venumdedit.... (*Matth.* XXVI. 14. *etc.*) Si verò non venditur, (perspicuum enim est, quòd nullo modo) non est procul dubio in eis gratia Spiritûs sancti, id est, Sacerdotii sanctitas. Nam quod non acceperunt, non habent.

Ibid. col. 638. *Ex Synodica Epistola* GENNADII *sanctissimi Archiepiscopi Constantinopoleos, et Synodi quæ cum eo erat.* Sit igitur et est abjectus, et ab omni Sacerdotali dignitate atque officio alienus, et maledictioni anathematis subditus, tam qui possidere hoc Sacerdotium per pecunias opinatur, quàm is qui præbere id propter pecunias pollicetur, sive clericus, sive laïcus sit: sive convictus, sive non fuerit convictus hoc facere.

Ex canonibus sanctæ sextæ SYNODI *regula vigesima secunda.* Eos qui per pecunias ordinati sunt, sive Episcopi, sive quicunque Clerici, et non secundùm probationem et vitæ optionem, deponi præcipimus: sed et illos qui hos ordinasse noscuntur.

ADRIANUS III. *in* CONCIL. ROM. III. *Tom.* 10. *Concil. Labb. col.* 615. *can.* 1. Ea quæ à sanctis Patribus de simoniacis statuta sunt, nos quoque Spiritûs sancti judicio et Apostolicâ auctoritate firmamus.

Can. 2. Quidquid igitur vel in sanctis Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datâ, vel promissâ pecuniâ acquisitum est, nos irritum esse, et nullas unquam vires obtinere censemus.

Can. 5. Quicunque sanè cupiditate parentum cùm adhuc essent parvuli, Ecclesias vel Ecclesiarum beneficia per pecunias adepti sunt: postquam eas omninò dimiserunt, si canonicè in iis vivere voluerint, pro magna misericordia ibidem eos esse concedimus; neque pro hoc facto à sanctis Ordinibus removemus, si aliàs digni inveniantur.

Can. 6. Illi verò qui per seipsos, cùm jam majoris essent ætatis, nefandâ cupiditate ducti eas emerunt, si in aliis Ecclesiis canonicè vivere voluerint, servatis propriis Ordinibus pro magna misericordia ibi ministrare permittimus. Quòd si ad alias fortasse transferri non potuerint et in eisdem canonicè vivere promiserint: minoribus ordinibus contenti ad sacros Ordines non accedant.

DIGEST. *Lib.* 48. *De publicis judiciis, lege* 7. Infamem non ex omni crimine sententia facit, sed ex eo quòd judicii publici causam habuit. Itaque ex eo crimine, quod judicii publici non fuit damnatum infamia non sequetur, nisi id crimen ex ea actione fuit, quæ etiam in privato judicio infamiam condemnato importat: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum.

S. GREG. MAGN. *Epist.* 26. *Januar. Episc. Caralit.* Archidiaconorum verò tuum, ut audio, cum mulieribus habitare prohibuisti, et nunc usque in ea prohibitione despiceris. Qui nisi jussioni tuæ paruerit, eum sacro Ordine volumus esse privatum.... Pervenit etiam ad nos quosdam de sacris Ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante ad ministerii sui officium revocari: quod omninò prohibuimus, et in hac re sacratissimi quoque Canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulteriùs non accedat. Sed ne unquam ii qui ordinati sunt pereant, provideri debet quales ordinentur, ut priùs aspiciatur si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studium orationis, si eleemosynæ amorem habuerunt. Quærendum quoque est, ne fortè fuerit bigamus. Videndum etiam ne sine litteris, aut obnoxius curiæ, compellatur post sacrum Ordinem ad exactionem publicam redire. Hæc itaque omnia diligenter fraternitas vestra inquirat, ut dum diligenter quilibet exquisitus ordinatur, non celeriter post Ordinationem deponatur.

TIT. I. 6. Si quis sine crimine est.... 7. Oportet enim Episcopum sine crimine esse.

Omnium irregularitatum simul meminit CONCILIUM TOLETANUM IV. *ann.* 633. *can.* 19. *Tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 1711. *his verbis:* Perniciosa consuetudo nequaquam est reticenda, quæ Majorum statuta præteriens, omnem Ecclesiæ ordinem perturbavit; dum alii per ambitum Sacerdotium appetunt, alii oblatis muneribus Pontificatum assumunt, nonnulli

I. Possuntne tolli irregularitates ?

R. Possunt. 1° Omnes irregularitates ex delictis provenientes tolluntur per Baptismum, exceptâ bigamiâ. (P)

2° Irregularitas ex defectu natalium tollitur per solemnem professionem, in religione approbata (Q); et ex subsequente parentum matrimonio.

3° Quæcunque veniunt ex morbo vel vitio, cessante morbo vel vitio non exstant. (R)

4° Potest summus Pontifex in omnibus irregularitatibus dispensare.

5° Possunt Episcopi in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. (S)

I. Quid facto opus illi qui aliquâ irregularitate tenetur ?

R. Si laïcus, debet in statu laïcali permanere : si clericus, debet abstinere ab omni Ecclesiastico munere.

I. Quinam illi sunt cum quibus ex mente Ecclesiæ dispensari expedit ab irregularitatibus ?

R. Faciendum hac in parte quod magis è re Ecclesiæ fuerit; ita ut illis solùm concedi dispensationem oporteat, quorum ministerium tantæ utilitatis Ecclesiæ futurum sit, ut omnibus maturè perpensis, magis expedire Ecclesiæ

etiam sceleribus implicati, vel seculari militiæ dediti, indigni ad honorem summum, ac sacri Ordinis pervenerunt. De quorum scilicet casu atque remotione oportuerat quidem statuendum; sed ne perturbatio quàm plurima Ecclesiæ oriretur, præteritis omissis, deinceps qui non promoveantur ad Sacerdotium ex regulis Canonum necessariò credimus inserendum, id est, qui in aliquo crimine detecti sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam admisisse confessi sunt, qui in hæresim lapsi sunt, qui in hæresi baptizati aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habere noscuntur, qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt, qui viduam vel marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas ad fornicationes habuerunt, qui servili conditioni obnoxii sunt, qui ignoti sunt, qui neophyti sunt, vel laïci sunt, qui seculari militiæ dediti sunt, qui curiæ nexibus obligati sunt, qui inscii litterarum sunt, qui nondum ad triginta annos pervenerunt, qui per gradus Ecclesiasticos non accesserunt, qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui à decessoribus in Sacerdotium eliguntur.... Si quis autem deinceps contra prædicta vetita Canonum ad gradum Sacerdotii indignus adspirare contenderit, cum Ordinatoribus suis adepti honoris periculo subjacebit.

(P) *Vide suprà hocce §. litt.* (C)

(Q) DECRET. *Part.* 1. *Dist.* 56. *cap.* 1. Presbyterorum filios à sacris altaris ministeriis removemus : nisi aut in cœnobiis, aut in canoniis religiosè probati fuerint conversati.

Decret. GREG. IX. *Lib.* 1. *Tit.* 17. *cap.* 1. *Ex* CONCIL. PICTAV. Ut filii Presbyterorum, et cæteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoveantur : nisi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes.

(R) *Vide suprà hocce §. litt.* (A) APOST. CAN. 78. *et* GRATIAN. *distinct.* 33. *cap.* 3.

(S) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 24. *cap.* 6. *De reformat. Vide suprà hocce §. litt.* (I)

videatur, si cum illis dispensetur, quàm si illi in irregularitate permanerent. (T)

§. 3. De dotibus et dispositionibus requisitis ad statum Clericalem. Item de vocatione ad hunc statum.

I. Si quis immunis ab omni irregularitate sit, debetne continuò in Clerum cooptari, vel ad Ordines promoveri?

R. Jam diximus requiri præterea dispositiones et dotes ad sacra munia obeunda, et legitimam vocationem.

I. Quænam sunt dispositiones et dotes necessariæ ad Clericatum?

R. 1. Animus à mundo alienus : id est, à concupiscentia carnis, à concupiscentia oculorum, et à superbia vitæ.

2. Charitas Dei et proximi. Atque adeò zelus domùs Dei ; hoc est, ardens studium gloriæ Dei et salutis proximi.

3. Scientia cuilibet gradui competens ex sacrorum Canonum sanctione.

4. Habilitas ad munia Ecclesiastica ritè et decenter obeunda.

5. Virtus et fortitudo animi.

6. Prudentia.

7. Patientia in adversis.

8. Castitas.

9. Animus laboris patiens et studiis deditus.

10. Animus solitudinis patiens et alienus à frequentiori hominum consortio.

11. Humilitas et docilitas.

12. Studium orationis. (A)

(T) Concil. Trident. *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 18. Sicuti publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat : sic frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs certo personarum rerumque delectu peculiaribus indulgere, nil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire : quapropter sciant universi sacratissimos Canones exactè ab omnibus, et, quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quòd si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum esse, id, causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum ; aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

De his omnibus fusè scripserunt Canonistæ, quos adire licet, cùm omnium manibus terantur : Suaresius *imprimis*, Sayrus, Marius Asterius, Covarruvias, Toletus, Van-Espen, *aliique magni nominis non pauci.*

(A) S. Hieronymus. *Epist.* 34. *aliàs* 2. *ad Nepot. de vita Clericorum, nov. Edit. Tom.* 4. *part.* 2. *col.* 259. Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, et nominis definitione prolatâ, nitatur esse quod dicitur. Si enim *Cleros* Græcè, *sors* Latinè appellatur : propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, et cum Propheta dicit : *Pars mea Dominus*, (*Ps.* xv. 5. *et* lxxii. 26.) nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratiâ : si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem : cum istis partibus, Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hæreditatis ejus : nec accipio partem inter

cæteras Tribus, sed quasi Levita et Sacerdoti vivo de decimis; et altari serviens, altaris oblatione sustentor, habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem, nudus sequar. Obsecro itaque te et repetens, iterùm iterumque monebo, ne Officium Clericatûs genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra seculi in Christi quæras militia: ne plus habeas quàm quando Clericus esse cœpisti: et dicatur tibi, *Cleri eorum non proderunt eis.* (*Jer.* XII. 13. *juxta* LXX.) Mensulam tuam pauperes et peregrini, et cum illis Christus convivia noverit. Negotiatorem clericum, ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge: *corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ.* (1. *Cor.* XV. 33.) Tu autem contemnis, alius diligit: tu calcas opes, ille sectatur: tibi cordi est silentium, mansuetudo, secretum; illi verbositas, attrita frons, fora placent et plateæ, ac medicorum tabernæ. In tanta morum discordia, quæ potest esse concordia? Hospitiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terunt. Omnes puellas et virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites: nec in præterita castitate confidas. Nec Davide sanctior: nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd paradisi colonum, de possessione sua mulier ejecerit. (*Gene.* III.) Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, et germana, vel aut mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quòd si hujuscemodi non fuerint consanguinitatis castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ et officium præbeant, et beneficium accipiant ministrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam convaluisse corpore, et animo ægrotare cœpisse. Periculosè tibi ministrat cujus vultum frequenter attendis. Si propter officium Clericatûs, aut vidua à te visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introëas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, si Acolythus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus; nec calamistro crispent comas; sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum sola, secretò et absque arbitro, vel teste, non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum: habet nutricem majorem domus, virginem, viduam vel maritatam: non est tam inhumana, ut nullum præter te habeat, qui se audeat credere. Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè devita. Crebra munuscula, et sudariola, et fasciolas, et vestes ori applicitas, ac degustatos cibos, blandasque et dulces litterulas, sanctus amor non habet. Mel meum, Lumen meum, meum Desiderium: omnes delicias, lepores, et risu dignas urbanitates, et cæteras ineptias amatorum, in comœdiis erubescimus, in seculi hominibus detestamur: quantò magis in Monachis et in Clericis, quorum et Sacerdotium proposito, et propositum ornatur Sacerdotio?..... Divinas Scripturas sæpiùs lege, imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod docças: *obtine eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere.* (*Tit.* I. 9.) *Permane in his quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.* (2. *Tim.* III. 14.) *Paratus semper ad satisfactionem omni poscenti te rationem, de ea quæ in te est spe et fide.* (1. *Petr.* III. 15.) Non confundant opera tua sermonem tuum: ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. Esto subjectus Pontifici tuo, et quasi animæ parentem suscipe... Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. Sermo Presbyteri. Scripturarum lectione conditus sit: nolo te declamatorem esse et rabulam garrulumque sine ratione, sed Mysteriorum peritum, et Sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba volvere, et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Attrita frons interpretatur sæpè quod nescit: et cùm aliis persuaserit, sibi quoque usurpat scientiam... Vestes pullas æquè devita, ut candidas. Ornatus ut sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non absque amictu lineo incedere, sed pretium vestium lincarum non habere, laudabile est. Alioquin ridiculam et plenum dedecoris est, referto marsupio, quòd

sudarium orariumque non habeas, gloriari. Sunt qui pauperibus paulùm tribuunt, ut ampliùs acciptant ; et sub prætextu eleemosynæ quærunt divitias, quæ magis venatio appellanda est, quàm eleemosynæ genus... Melius est non habere quod tribuam, quàm impudenter petere quod recondam... Non omnia possumus omnes. Alius in Ecclesia oculus est, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, venter, et cætera. Lege Pauli Epistolam ad Corinthios : (1. *Cor.* XII. 4. *et seq.*) quomodo diversa membra unum corpus efficiunt. Nec rusticus tamen et simplex frater ideò se sanctum putet, si nihil noverit : nec peritus et eloquens, linguâ æstimet sanctitatem : multòque melius est è duobus imperfectis, rusticitatem habere sanctam, quàm eloquentiam peccatricem... Convivia tibi vitanda sunt secularium, et maximè eorum, qui honoribus tument. Turpe est ante fores Sacerdotis Christi crucifixi et pauperis, et qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum, et milites excubare, Judicemque provinciæ meliùs apud te prandere, quàm in palatio. Quòd si ostenderis te facere hæc, ut roges pro miseris atque subjectis. Judex seculi plus deferet clerico continenti, quàm diviti : et magis sanctitatem tuam venerabitur, quàm opes. Aut si talis est, qui non audiat Clericos pro quibuslibet tribulatis, nisi inter phialas, libenter carebo hujuscemodi beneficio, et Christum rogabo pro Judice, qui magis et citiùs subvenire potest, quàm Judex.... Nunquam vinum redoleas, ne audias illud Philosophi : Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. Vinolentos Sacerdotes et Apostolus damnat, et vetus lex prohibet : Qui altario deserviunt, vinum et siceram non bibant.. (1. *Tim.* III. 3. *Levit.* X. 9.) Quidquid inebriat, et statum mentis evertit, fuge similiter ut vinum. Nec hoc dico, quòd Dei à nobis creatura damnetur..... Sed modum pro ætatis, et valetudinis et corporum qualitate exigimus in potando... Cave ne hominum rumusculos aucuperis : ne in offensam Dei, populorum laudem commutes. *Si adhuc*, inquit Apostolus, *hominibus placerem, Christi servus non essem.* (*Galat.* II. 10.) Desiit placere hominibus, et servus factus est Christi. Per bonam famam et malam, à dextris et à sinistris Christi miles graditur (2. *Cor.* VI. 7. *et* 8.) : nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur. Non divitiis tumet, non contrahitur paupertate, et læta contemnit et tristia. *Per diem sol non urit eum, neque luna per noctem.* (*Ps.* CXX. 6.) Nolo te orare in angulis plateorum (*Matth.* VI. 5.), ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbrias, et ostentui habere phylacteria (*Matth.* XXIII. 5.) : et conscientiâ repugnante, pharisaica ambitione circumdari. Quantò melius erat hæc non in corpore, sed in corde gestare ; et Deum habere fautorem, non aspectus hominum ?... Vis scire quales Dominus quærat ornatus ? Habeto prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudinem..... nihil hac gemmarum varietate distinctius. Ex omni parte decoraris, cingeris, atque protegeris ; et ornamenta tibi sunt et tutamini, gemmæ vertuntur in scuta. Cave quoque ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes... Officii tui est visitare languentes, nosse domos matronarum, ac liberos earum, et nobilium virorum custodire secreta. Officii tui sit, non solùm oculos castos servare, sed et linguam. Nunquam de formis mulierum disputes ; nec quid agatur in alia, domus alia per te noverit... Consolatores potiùs nos in mœroribus suis, (homines seculi) quàm convivas in prosperis noverint. Facilè contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat. Nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. *Beatius enim est magis dare quàm accipere.* (*Act.* XX. 35.) Nescio quo enim modo etiam ipse qui deprecatur ut tribuat : cùm acceperis, viliorem te judicat : et mirum in modum si eum roganlem contempseris, plus te posteriùs veneratur. Prædicator continentiæ, nuptias ne conciliet. Qui Apostolum legit, *superest, ut qui habent uxores, sic sint, quasi non habeant :* (1. *Cor.* VII. 29.) cur virginem cogit ut nubat ?... Procuratores et dispensatores domorum alienarum atque villarum, quomodo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates ? Amico quippiam rapere, furtum est. Ecclesiam fraudare, sacrilegium est. Accepisse quod pauperibus erogandum est, et esurientibus plurimis ; vel cautum esse velle, vel timidum ; aut quod apertissimi sceleris est, ali-

quid indè subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Ego fame torqueor, et tu judicas quantùm ventri meo satis sit? Aut divide statim quod acceperis: aut si timidus dispensator es, dimitte largitorem, ut sua ipse distribuat. Nolo sub occasione mea sacculus tuus plenus sit. Nemo me meliùs mea servare potest. Optimus dispensator est, qui sibi nihil reservat.

S. AUGUST. *Serm.* 355. *de moribus Cleric.* 1. *cap.* 4. *n.* 6. Clericus duas res professus est, et sanctitatem, et clericatum: interiùs sanctitatem; nam propter populum suum Deus imposuit cervicibus ipsius, cui magis onus est quàm honor.

S. ISIDOR. HISPAL. *de Offic. Eccles. lib.* 2. *cap.* 1. Itaque omnes qui in Ecclesiastici ministerii gradibus ordinati sunt, generaliter nominantur. Cleros enim vel clericos hinc appellatos Doctores nostri dicunt, quia Mathias sorte electus est (*Act.* I. 26.), quem primum per Apostolos legimus ordinatum, et sic omnes, quos illis temporibus Ecclesiarum principes ordinabant, sorte eligebant. Nam Cleros sors interpretatur, undè et hæreditas græcè cleronomia appellatur, et hæres cleronomos. Proindè ergo clericos vocari aiunt, eò quod in sortem hæreditatis Domini deutur, vel pro eo quòd ipse Dominus sors illorum est, sicut de eis scriptum est, loquente Domino, *ego hæreditas eorum.* (*Num.* XVIII. 20.) Undè oportet ut qui Deum hæreditate possident, absque ullo impedimento seculi, Deo servire studeant, et pauperes spiritu esse contendant, ut congruè illud Psalmistæ dicere possint, *Dominus pars hæreditatis meæ.* (*Psal.* XV. 5.)

Cap. 2. His igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus sese abstineant, nec spectaculis, nec pompis intersint, convivia publica fugiant, privata non tantùm pudica, sed et sobria colant. Usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cujusquam studium appetant, amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum malorum fugiant, secularia officia negotiaque abjiciant, honores per ambitiones non subeant. Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant: dolos et conjurationes caveant: odium, æmulationem atque invidiam fugiant, non vagis oculis, non infreni linguâ, aut petulanti tumidoque gressu incedant, sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu incessuque ostendant. Obcenitatem, sicut operum penitùs execrentur. Viduarum ac virginum visitationes frequentissimas fugiant, contubernia extranearum fœminarum nullatenùs appetant, castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Senioribus quoque debitam obedientiam præbeant, neque ullo jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò in doctrina, in lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio jugi incumbant. Tales enim esse debent, qui divinis cultibus se mancipando student, scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populo administrent.

S. GREGOR. NAZIANZ. *Orat. Apolog.* 1. *pag.* 2. Quemadmodum in corpore, aliud membrum principatum tenet, ac velut præsidet, aliud subest et regitur: ad eumdem quoque modum Deus, vel æquitatis lege, quæ meritum cujusque perpendit, vel etiam providentiæ, per quam omnia inter se velut devinxit, hoc in Ecclesiis constituit, ut alii pascantur et pareant (quibus videlicet id utilius est) ac tum sermone, tum opere, ad officium dirigantur: alii autem ad Ecclesiæ perfectionem Pastores ac Magistri sint, nimirùm qui virtute, conjunctioneque et familiaritate apud Deum, vulgò sublimiores sunt, rationem animæ ad corpus, aut mentis ad animam obtinentes.

Pag. 6. Homini cùm difficile sit scire parere, tùm multò difficilius esse videtur, scire hominibus imperare, ac præsertim in hoc nostro imperio, quod in lege divina situm est, et ad Deum ducit: cujus quò majus est fastigium, majorque dignitas, eò etiam majus periculum est, prudenti utique homini et cordato.... Nam alioqui tantò gravius malum fuerit, quantò pluribus imperarit. Siquidem major est ea improbitas, quæ ad multos serpit, quàm ea quæ in uno defixa hæret.... Subditi, Antistitis improbitate celerrimè impleri solent, et quidem multò faciliùs quàm virtute.

Pag. 7. Ut etiam sese aliquis ab omni peccati labe purum conservet, aut quàm maximè, haud tamen scio id ne ei sufficiat, qui alios ad virtutem erudire parat. Neque enim ab eo qui hanc curam suscepit, hoc solùm requiritur, ut malus non sit, (malum enim esse, plerique etiam è vulgo turpissimum censent:) verùm etiam ut virtutes præstet, juxta illud Scripturæ præceptum, (*Ps.* XXXVI. 27.) quo declinare à malo, et bonum facere jubemur. Nec ut vitiosas animæ notas duntaxat expungat, verùm ut meliores etiam inscribat: ita ut magis virtute antecellat, quàm honore ac dignitate superet: nec modum sibi nullum honestè vivendi, atque altiùs ascendendi constituat, nec lucro potiùs, id quod arripuit, quàm damno, id quod effugit, deputet: verùm quod præ pedibus est, gradum ad id quod deinceps sequitur, esse arbitretur: nec virtute vulgus anteire, magnoperè amplum atque illustre judicet: verùm detrimento ducat, si à susceptis muneris dignitate absit.

Pag. 8. Verùm privati quidem hominis vitium esse existimet, turpia supplicioque digna et quorum lex dura et gravis domina est, perpetrare: Præfecti autem vel Antistitis non quàm optimum esse, nec novas subindè virtutum accessiones facere: si quidem virtutis suæ præstantiâ multitudinem ad mediocritatem tracturus sit, ac non per vim cohibiturus, sed persuasione allecturus.... Ac proindè vel maximè id lex nostra et Legislator noster sanxit, (1. *Petr.* v. 2.) ut grex non coactè, sed spontè ac libenti animo pascatur. Sed sit sanè aliquis, non modò à vitiorum contagione purus, verùm ad summum etiam virtutis fastigium evectus; haud equidem video quânam scientiâ instructus, aut quibus viribus fretus, hujusmodi præfecturam intrepide suscipere queat. Nam profectò ars quædam artium, et scientia scientiarum, mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium maximè varium et multiplex.

Pag. 14. Quemadmodum non eadem medicamenta, nec eadem alimenta, corporibus quibusvis adhibentur, sed alia aliis, habitâ videlicet vel sanitatis eorum vel adversæ valetudinis ratione: eodem quoque modo animæ diversâ ratione, ac disciplinâ curantur. Ii porrò curationis testes sunt, qui morbis hujusmodi vexantur. Alios sermo ducit: alii exemplo componuntur. Alii calcaribus opus habent, alii freno. Nam qui segnes sunt, atque ad bonum ægrè impelluntur, hi verborum stimulis excitandi sunt: qui verò spiritu, quàm par sit, ferventiores sunt, atque effrenato quodam animorum impetu feruntur, velut equi generosi procul à meta currentes, hos utique orationis freno coërcere ac cohibere præstiterit. Aliis laudatio utilitati fuit, aliis reprehensio, utràque videlicet tempestivè adhibitâ: aut contrà detrimento, non tempestivè et cum ratione adhibitâ. Alios cohortatio ad officium dirigit: alios objurgatio: atque hæc rursùs alios, si palàm arguantur; alios, si remotis arbitris admoneantur. Sunt enim qui privatas admoniones contemnant, publicâ autem reprehensione ad officium revocentur: sunt rursùs, qui liberiùs reprehensi, pudorem omnem abstergant; contràque occultâ objurgatione meliores reddantur: iisque, quos vicem suam dolere perspiciunt, hoc muneris vicissim rependant, ut eorum admonitionibus parcant. Quidam etiam ad minima usque ac levissima observandi sunt; nimirùm qui eo quòd peccata sua obscura et incognita esse putant, (quando quidem id moliuntur tanquam sapientiores) animis instantur; in quibusdam rursùm ad nonnulla connivere satius fuerit, (ita ut videntes non videamus, et audientes non audiamus, quemadmodum dici solet) ne alioqui eos nimis crebris objurgationibus tanquam fluctibus obruentes, ad desperationem incitemus, ac dissoluto tandem pudore, quod persuasionis pharmacum est, ad quodvis facinus audaciores reddamus. Quin etiam cum nonnullis ita agendum est, ut non irascentes irascamur, non contemnentes contemnamus, non desperantes desperemus: quatenùs videlicet eorum natura id requirit. Alii rursùs lenitate et humilitate curandi sunt, atque alacri animo unà cum illis meliorem spem induendo. Alios vincere, ab aliis vinci plerumque utilius fuerit: atque aliorum opes et potentiam, aliorum inopiam et calamitatem, vel laudare, vel deprecari. Neque enim, quemadmodum in virtute ac vitio res se habet, ut illa quidem semper pulcherrima et omnibus utilissima sit, hoc autem turpissimum et perniciosissimum sit; eodem modo medicinæ quoque nostræ ratio ea est, ut unum idemque

medicamentum iisdem semper vel saluberrimum sit, vel periculosissimum : verbi gratiâ, acerbitas aut clementia, aut unum quodque aliorum, quæ modò à nobis enumerata sunt. Verùm aliis hoc medicinæ genus bonum atque utile fuerit : aliis autem rursùm contrarium medendi genus : prout, opinor, vel res, vel occasio tulerit, vel ægrotantium degique mores admiserint. Quæ quidem omnia sermone distinguere, atque ita exactè perspicere, ut tota medendi ratio in summam colligatur, impossibile est, quantàcunque curâ et diligentiâ ingeniique sagacitate quisquam polleat : in rebus tamen ipsis et experimentis curatrici rationi et medico perspicua fiunt.

Pag. 36. Priùs autem quàm eam (concupiscentiam) pro virili sua quispiam superarit, mentemque, quantùm sat sit, repurgarit, longèque supra alios ad Deum appropinquarit, animarum curam et imperium suscipere, ac mediatorem inter Deum et homines agere (hoc enim fortassè Sacerdos est) minimè tutum esse censeo.

Pag. 37. Illud insuper scio, ne corporum quidem labes in Sacerdotibus, aut sacrificiis, à censura immunes exstitisse (*Levit.* XXI. 2. *Hebr.* IX. 7.) : tantùm aberat, ut ad Sancta Sanctorum audacter accederet, quæ uni duntaxat, ac semel quotannis adire licebat : tantùm aberat, ut cuivis jus esset, Velum, aut Propitiatorium, aut Arcam, aut Cherubim, vel prospicere, vel attingere. Hæc igitur cùm ego nossem, illudque insuper, neminem, magno, et Deo, et Sacrificio, et Pontifice, dignum esse, nisi qui priùs se ipsum Deo *hostiam viventem*, *sanctam* exhibuerit (*Rom.* XII. 1.), ac *rationabile obsequium* gratum atque acceptum ostenderit (*Psalm.* L. 19.), Deoque sacrificium laudis, ac spiritum contritum obtulerit, (quod solum sacrificium is qui omnia dedit, à nobis exposcit,) quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem, aut quomodo Sacerdotis habitum et nomen subire, priusquam sanctis operibus manus purificassem ? Priusquam rebus creatis, sanè atque ad Creatoris solùm admirationem, non autem ad figmenti damnum aspiciendis, oculos assuefecissem : priusquam per Domini disciplinam aures meæ satis apertæ fuissent, ac mihi adjuncta esset auricula, quæ non graviter audire posset, atque aurea inauris pretioso sardio alligata, hoc est, sapientis sermo, auri rectè audienti : priusquam os, labia, et lingua, illud quidem apertum fuisset, ac spiritum attraxissem (*Psalm.* CXVIII. 131.), aut dilatatum et impletum spiritu exponendis mysteriis et dogmatibus : hæc autem divino sensu, ut Sapientiæ verbis utar (*Job.* XL. 20.), ligata fuissent, addam etiam tempestivè soluta : ac denique lingua exsultatione impleta fuisset, (*Psalm.* CXXV. 2.) divinæque melodiæ plectrum effecta, à gloria excitata, diluculò exsurgens (*Psalm.* CVII. 3.), atque eousque laborans, ut faucibus ipsis adhæreret (*Ps.* XXI. 16.) : priusquam statuti essent ad petram pedes mei (*Psalm.* XXXIX. 3.), perfecti tanquam cervorum (*Ps.* XVII. 34.), meique secundùm Deum gressus directi essent (*Ps.* XXXIX. 3.), ita ut nec penè, nec ullo omninò modo effunderentur (*Ps.* LXXII. 2.) : priùs denique quàm omnia membra justitiæ arma effecta fuissent (*Rom.* VI. 13.), omnemque mortalitatem abjecissent, à vita scilicet absorptam (2. *Cor.* V. 4.), ac spiritui credentem ? Ecquis porrò, cùm nondum castis et igne examinatis Dei eloquiis corde incensus sit (*Psalm.* XI. 7.), dum Scripturæ ipsi aperiuntur (*Luc.* XXIV. 32.), nec ea super latitudinem cordis tripliciter descripserit (*Prov.* III. 3. XXII. 20.), ut Christi mentem habeat (1. *Cor.* VII. 40.) : nec in thesauros, multitudini absconditos (*Isaï.* XLV. 3.), et invisibiles ac tenebrosos ingressus sit, ut opus in ipsis conditas spectet, aliosque ditare queat, spiritualia spiritualibus comparans ? Ecquis cùm Domini voluptatem, nondum, ut videre dignum est, viderit, templumque ipsius visitaverit, vel potiùs vivum Dei vivi templum factus sit, Christique in spiritu habitaculum (*Ephes.* II. 21. *et* 22.) ? Ecquis, cùm figurarum et veritatis cognitionem et discrimen nondum agnoverit, atque ab illis quidem secesserit, huic autem sese adjunxerit, ut litteræ

vetustatem fugiens spiritûs novitatis serviat (*Rom.* VII. 6.), purèque ad gratiam à lege transeat, spiritualiter impletà in corporis evacuatione? Ecquis, cùm nondum et opere et contemplatione, per omnes Christi appellationes et virtutes perrexerit, tam sublimiores illas ac primas, quàm humiliores propter nos et ultimas.

Pag. 39. Ecquis, cùm nondum vacaverit, ac Dei sapientiam, in mysterio absconditam (1. *Cor.* II. 7.), loqui didicerit, sed parvulus adhuc sit (1. *Cor.* III. 1. 2.), adhuc lacte alatur, adhuc ex iis sit qui inter Israëlitas non numerantur (*Num.* I. 3.), nec in Dei castris recensentur, nondum denique Christi crucem tanquam vir ferre queat, ac ne aliud quoddam fortasse præstantius membrum sit, læto tamen alacrique animo se christiano cœtui caput constitui patietur?

S. GREGOR. MAGN. *Reg. Pastor. part.* I. *in proœmio.* Pensandum valdè est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat, atque ad hoc ritè perveniens qualiter vivat, et benè vivens qualiter doceat, et rectè docens infirmitatem suam quotidie quantâ consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat, aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. Priùs ergo appelitum timor temperet: post autem magisterium quod à non quærente suscipitur, vita commendet: ac deindè necesse est, ut Pastoris bonum quod vivendo ostenditur, etiam loquendo propagetur. Ad extremum verò superest, ut perfecta quæque opera consideratio propriæ infirmitatis deprimat: ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor elationis exstinguat.

Cap. 10. Ille igitur, ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritaliter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni benè congruens, nec omninò per imbecillitatem corpus, nec valdè per contumaciam repugnat spiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera ciliùs ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plus quàm deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ut propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis profectibus lætatur. Qui ita se imitabilem cæteris in cunctis quæ agit insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis erubescat. Qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis usu et experimento jam didicit, quòd obtinere à Domino quæ poposcerit, possit.

Cap. 11. Solerter ergo se quisque metiatur, ne locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat: nec is quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. Hinc etenim supernâ voce ad Moysen dicitur (*Levit.* XXI. 17. et 18.): *Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* Ubi et repentè subjungitur (*Ibid.* 18. *et seq.*): *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo, vel grandi et torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impeliginem in corpore, vel ponderosus.* Cæcus quippè est, qui supernæ contemplationis lumen nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat nescit.... Claudus verò est qui quidem quo pergere debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfectè non valet tenere quam videt.... Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est.... Sed sunt nonnulli, qui dum æstimari hebetes nolunt, sæpè se in quibusdam inquisitionibus plus quàm necesse est exercentes, ex nimia subtilitate falluntur. Undè hic quoque subditur, *vel grandi et torto naso.* Nasus enim grandis et tortus, est discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plus quàm decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est, qui viam Dei pergere omninò non valet, atque à bonis actibus funditùs exors vacat: quatenùs hæc non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omninodo alienus existat. Gibbus verò est, quem terrenæ sollicitudinis pondus deprimit, ne unquam ad superna respiciat: sed solis his quæ in infimis cal-

cantur, intendat. Qui etsi quando aliquid ex bono patriæ cœlestis audierit, ad hoc nimirùm perversæ consuetudinis pondere prægravatus, cordis faciem non attollit: quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ usus sollicitudinis curvum tenet.... Lippus verò est, cujus quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant.... Jugem verò habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur.... Impetiginem quoque habet in corpore, quisquis avaritiâ vastatur in mente: quæ si in parvis non compescitur, nimirùm sine mensura dilatatur. Impetigo quippè sine dolore corpus occupat, et absque occupati tædio excrescens membrorum decorem fœdat: quia et avaritia captivum animum dum quasi delectat, exulcerat: dum adipiscenda quæque cogitationi objicit, ad inimicitias accendit, et dolorem in vulnere non facit, quia æstuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo depravatur; et quasi totum corpus exasperat, quia per universa vitia animum supplantat, Paulo attestante qui ait: *Radix omnium malorum est cupiditas....* (1. *Tim.* VI. 10.) Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes Domino offerre prohibetur: ne profectò diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria devastant.

Regul. Pastor. part. 2. *de vita Pastoris.* Tantùm debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantùm distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque ut metiri sollicitè studeat, quantà tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.

Cap. 1. *al.* 13. Rector semper cogitatione sit mundus, quatenùs nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officii, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat: quia necesse est ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat.... Sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat; nec indiscretum quid vel inutile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus, ex gravitate vitæ semper debet ostendere quantam in pectore rationem portet... (*Exod.* XXVIII. 29.) Tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cùm exempla Patrum præcedentium indesinenter intuetur, cùm Sanctorum vestigia sine cessatione considerat, et cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat. Quod benè etiam rationale judicii vocatur: (*Ibid.*) quia debet Rector subtili semper examine bona malaque discernere, et quæ vel quibus, quando vel qualiter congruant, studiosè cogitare: nihilque proprium quærere, sed sua commoda propinquorum bona depurare... Subjectorum causas pro sola interni judicis intentione discutere, ut nil se ei humanitatis admisceat in hoc quod divinà positus vice dispensat, ne correptionis studia privatus dolor exasperet. Cumque contra aliena vitia æmulator ostenditur, quæ sua sunt exsequatur: ne tranquillitatem judicii aut latens invidia maculet, aut præceps ira perturbet. Sed dum consideratur terror ejus qui super omnia præsidet, videlicet judicis intimi, non sine magno regantur timore subjecti. Qui nimirùm timor dum mentem Rectoris humiliat, purgat: ne hanc aut præsumptio spiritùs levet, aut carnis delectatio inquinet, aut per terrenarum rerum cupidinem importunitas pulvereæ cogitationis obscuret.

Cap. 2. *al.* 14. Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet, et grex qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla meliùs quam per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentiùs auditorum cor penetrat, quam dicentis commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat ut fiat... Nulla præsentis vitæ appetat, nulla pertimescat: blandimenta mundi respecto intimo terrore despiciat, terrores autem considerato internæ dulcedinis blandimento contemnat.... Non hunc prospera elevent, non adversa perturbent, non blanda usque ad voluptatem demulceant, non

aspera ad desperationem premant... Ante interni judicis oculos omnia virtutum bona ex charitate decorentur; et cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat... Sed cùm mens ad præcepta charitatis tenditur, restat procul dubio ut per abstinentiam caro maceretur... Quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cùm per abstinentiam caro fatigatur.

Cap. 3. *al.* 15. Sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit: Per Malachiam dicitur: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* (*Malach.* II. 7.) Hinc per Isaïam Dominus admonet, dicens: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* (*Isai.* LVIII. 1.) Præconis quippè officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit: ut ante adventum Judicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? (*Act.* II. 3.) Hinc est enim quòd super Pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit: quia nimirùm quos repleverit, de se protinùs loquentes facit.

Cap. 5. *al.* 16. Sit Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus: ut et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat: ne aut alta petens, proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat.. Hinc ipsa veritas per susceptionem nostræ humanitatis nobis ostensa, in monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet: imitationis videlicet viam bonis Rectoribus sternens, ut etsi jam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur: quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cùm ad ima proximorum se misericorditer attrahit: et cùm benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. Tales autem sese qui præsunt exhibeant, quibus subjecti occulta quoque sua prodere non erubescant: ut cùm tentationum fluctus parvuli tolerant, ad Pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant: et hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus prævident, exhortationis ejus solatio ac lacrymis orationis lavent.

Cap. 6. *al.* 17. Sit Rector benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus; ut et bonis in nullo se præferat, et cùm pravorum culpa exigit, potestatem protinùs sui prioratûs agnoscat: quatenùs et honore suppresso æqualem se subditis benè viventibus deputet, et erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet... Qui præsunt non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis: nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse... Et tamen necesse est, ut Rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt: ut humanâ saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam namque Præpositi ex hoc quæsito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum justitiam quærunt.... Summus itaque locus benè regitur, cùm is qui præest, vitiis potiùs quàm fratribus dominatur. Sed cùm delinquentes subditos Præpositi corrigunt, restat necesse est, ut sollicitè attendant quatenùs per disciplinæ debitum culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus qui corriguntur, agnoscant: quamvis plerumque etiam dignum est, ut eosdem quos corrigimus, tacitâ nobis cogitatione præferamus. Illorum namque per nos vitia disciplinæ vigore feriuntur, in his verò quæ ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo invectione laceramur. Tantò ergo apud Dominum obligatiores sumus, quantò apud homines inultè peccamus. Disciplina autem nostra subditos divino judicio tantò liberiores reddit, quantò hic eorum culpas sine vindicta non deserit. Servanda itaque est et in corde humilitas, et in opere disciplina: atque inter hæc solerter intuendum est, ne dum immoderatiùs custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis: et dum Prælatus quisque plus se quàm decet dejicit, subditorum vitam stringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneant ergo Rectores exteriùs quod pro aliorum utilitate

suscipiunt : servent interiùs quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles etiam subjecti deprehendant : quatenùs et in auctoritate eorum quod formident videant, et de humilitate quod imitentur agnoscant. Studeant igitur sine intermissione qui præsunt, ut eorum potentia quantò magna exteriùs cernitur, tantò apud eos interiùs deprimatur : ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit... Inter hypocritas enim jure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis : et tamen nonnunquam gravius delinquitur, si inter perversos plus æqualitas, quàm disciplina custoditur... Hinc Pastores increpat per Prophetam, dicens : *Quod fractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis.* (*Ezech.* XXXIV. 4.) Abjectus enim reducitur cùm quisque in culpa lapsus, ad statum justitiæ ex pastoralis sollicitudinis vigore revocatur. Fracturam verò ligamen adstringit, cùm culpam disciplina deprimit : ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctat. Sed sæpè deteriùs frangitur, cùm fractura incautè colligatur, ita ut gravius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Undè necesse est, ut cùm peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magnâ sollicitudine etiam districtor ipse moderetur : quatenùs sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippè est, ut Rectorem subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina.

Cap. 7. *al.* 18. Sit Rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum occupatione non derelinquens : ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet proximis non impendat... Secularia itaque negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam verò ex amore requirenda.... At contrà, nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritualia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenùs occupentur. Qui cùm curare corporalia funditùs negligunt, subditorum necessitatibus minimè concurrunt. Quorum nimirùm prædicatio plerumque despicitur ; quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facilè germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Undè Rectorem necesse est, ut interiora possit infundere, cogitatione innoxiâ etiam exteriora providere. Sic itaque Pastores erga interiora studia subditorum suorum ferveant, quatenùs in eis exterioris quoque vitæ providentiam non relinquant.

Cap. 8. *al.* 19. Rector solerter invigilet, ne hunc cupido placendi hominibus pulset : ne cùm studiosè interiora penetrat, cum providè exteriora subministrat, se magis à subditis diligi quàm veritatem quærat : ne cùm bonis actibus fultus, à mundo videtur alienus, hunc auctori reddat extraneum amor suus... *Væ his qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* (*Ezech.* XIII. 18.) Pulvillos quippè sub omni cubito manûs ponere, est cadentes à sua rectitudine animas, atque in hujus mundi se delectatione reclinantes, blandâ adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitus vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cùm correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. Sed hæc Rectores qui semetipsos diligunt, his procul dubio exhibent, à quibus se noceri posse in studio gloriæ temporalis timent. Nam quos nil contra se valere conspicuunt, hos nimirùm asperitate rigidæ semper invectionis premunt, nunquam clementer admonent, sed pastoralis mansuetudinis obliti, jure dominationis terrent. Quos rectè per Prophetam divina vox increpat, dicens : *vos autem cum austeritate imperabatis eis et cum potentia.* (*Ezech.* XXXIV. 4.) Plus enim se suo auctore diligentes, jactanter erga subditos se erigunt, nec quid agere debeant, sed quid valeant attendunt : nil de subsequenti judicio metuunt, improbè de temporali potestate gloriantur... Sed inter

hæc necesse est, ut cura regiminis tantâ moderationis arte temperetur, quatenùs subditorum mens cùm quædam rectè sentire potuerit, sic in vobis libertatem prodeat, ut tamen libertas in superbiam non erumpat: nec dum fortassè immoderatiùs linguæ eis libertas conceditur, vitæ ab his humilitas amittatur. Sciendum quoque est quod oporteat, ut Rectores boni placere hominibus appetant, sed ut suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant, non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant. Difficile quippè est, ut quamlibet recta denuntians Prædicator qui non diligitur, libenter audiatur. Debet ergo qui præest, et studere se diligi, quatenùs possit audiri; et tamen amorem suum pro semetipso non quærere, ne inveniatur ei cui servire per officium cernitur, occultâ cogitationis tyrannide resultare.

Cap. 9. *al.* 20. Necesse est ut Rector animarum, virtutes ac vitia vigilanti curâ discernat, ne aut cor tenacia occupet, et parcum se videri in dispensationibus exsultet: aut cùm effusè quid impenditur, largum se quasi miserando glorietur: aut remittendo quod ferire debuit, ad æterna supplicia subditos pertrahat: aut immaniter feriendo quod delinquitur, ipse graviùs delinquat: aut hoc quod agi rectè ac graviter potuit, immaturè præveniens leviget; aut bonæ actionis meritum differendo ad deteriora permutet.

Cap. 10. *al.* 21. Sciendum quoque est quòd aliquando subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda... Ut cùm delinquens et deprehendi se cognoscit et perpeti, has quas in se tacitè tolerari considerat, augere culpas erubescat, seque se judice puniat, quem sibi apud se Rectoris patientia clementer excusat... Nonnulla autem vel apertè cognita, maturè toleranda sunt, cùm videlicet rerum minimè opportunitas congruit, ut apertè corrigantur. Nam secta immaturè vulnera deteriùs infervescunt, et nisi cum tempore medicamenta conveniant, constat proculdubio quòd medendi officium amittant. Sed cùm tempus subditi ad correptionem quæritur, sub ipso culparum pondere patientia Præsulis exercetur.. Nonnulla autem sunt leniter arguenda: nam cùm non malitiâ, sed solâ ignorantiâ vel infirmitate delinquitur, profectò necesse est, ut magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur.... Nonnulla autem sunt vehementer increpanda, ut cùm culpa ab auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis ab increpantis ore sentiatur. Et cùm sibi quis malum quod perpetravit levigat, hoc contra sed graviter ex corripientis asperitate pertimescat. Debitum quippè Rectoris est supernæ patriæ gloriam per vocem prædicationis ostendere, quanta in hujus vitæ itinere tentamenta antiqui hostis lateant aperire, et subditorum mala quæ tolerari leniter non debent, cum magna zeli asperitate corrigere: ne si minùs contra culpas accenditur, culparum omnium reus ipse teneatur... Sed inter hæc sciendum est, quia dum ad increpationem se mens Doctoris exasperat, difficilè valdè est, ut non aliquando et ad aliquid quod dicere non debet, erumpat. Et plerumque contingit, ut dum culpa subditorum cum magna invectione corripitur, Magistri lingua usque ad excessûs verba pertrahatur: cumque increpatio immoderatè accenditur, corda delinquentium in desperatione deprimuntur. Undè necesse est, ut exasperatus Rector cùm subditorum mentem plus se quàm debuit percussisse consideret, apud se semper ad pœnitentiam recurrat: et per lamenta veniam in conspectu veritatis obtineat, ex eo etiam quòd per zeli ejus studium peccat.

Cap. 11. *al.* 22. Sed omne hoc ritè à Rectore agitur, si supernæ formidinis et dilectionis spiritu afflatus, studiosè quotidiè sacri eloquii præcepta meditetur: ut in eo vim sollicitudinis, et erga cœlestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent: et qui ad vetustatem vitæ per socielatem secularium ducitur, ad morem semper spiritalis patriæ compunctionis adspiratione renovetur. Valdè namque inter humana verba cor defluit: cumque indubitanter constet quòd externis occupationum tumultibus impulsum à semetipso corruat, studere incessabiliter debet, ut per eruditionis studium resurgat..... Quia nimirùm necesse est, ut qui ad officium prædicationis excubant, à sacræ lectionis

studio non recedant... Quia videlicet cùm spiritale aliquid à subditis Pastor inquiritur, iguominiosum valdè est si tunc quærat discere, cùm quæstionem debet enodare.

S. PROSPER. *lib.* 1. *de vita contemplat. cap.* 2. Ipsis enim (Clericis) propriè animarum curandarum sollicitudo commissa est : qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, velut pro suis infatigabiliter supplicant Deo : ac velut quidam Aaron incensum contriti cordis, et humiliati spiritûs offerentes, (*Num.* XVI. 46.) quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadversionis à populo : qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, et malè sibi consciis etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorum, patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium, primæ phalanges invisibilium præliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, et forma fidelium. Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus ampliùs fulget Ecclesia. Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis, innititur omnis multitudo credentium. Ipsi januæ civitatis æternæ, per quos omnes qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum. Ipsi janitores, quibus claves datæ sunt Regni cœlorum. Ipsi etiam dispensatores regiæ domûs, quorum arbitrio in aula Regis æterni dividuntur gradus, et officia singulorum. Hi sunt qui non ambiendo, sed spiritualiter vivendo Sacerdotium meruerunt : quique non favoris humani suffragio, sed divino munere sublimati, nihil sibi de præstantia sibi principatûs adplaudunt. Quos non inflammat honor acceptus, sed exercet labor impositus. Qui non excellentiam suam cogitant provecti, sed sarcinam : nec gloriantur de officii dignitate, sed sudant potiùs constituti sub onere. Tales divina Scriptura speculatores appellat, qui speculantur actus omnium, et qualiter unusquisque cum suis in domo, qualiter in civitate cum civibus vivat, intentione religiosæ curiositatis explorant : Quos bonos probaverint, honorando confirmant : quos deprehenderint vitiosos, arguentes emendant ; aut si emendari noluerint, æquanimiter portant, habituri uberrimum fructum aut de sua districtione, si corrupti profecerint : aut de sua patientia, etiamsi illi quos sustinent, emendari noluerint.

S. BERNARD. *De considerat. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 2. (*Clerici*) ita ordinati, ita sint informati, quatenùs totius honestatis et ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma. Inveniantur præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad sacramenta, ad plebes erudiendas solliciti, circumspecti ad sese custodiendos in omni castitate.

Cap. 4. *n.* 12. *Clericis apprimè conveniunt quæ de Cardinalibus et Legatis Apostolicis ait S. Doctor, his verbis :* In talibus, ut opinor, requiescet spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati : qui præter Deum tantùm timeant nihil, nihil sperent nisi à Deo. Qui adventantium non manus attendant, sed necessitates. Qui stent viriliter pro afflictis, et *judicent in æquitate pro mansuetis terræ.* (*Isaï.* XI. 4.) Qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, Catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in judicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti, in zelo sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, ubique et in omnibus circumspecti. Qui *legatione pro Christo* fungi quoties opus erit, nec jussi renuant, nec non jussi affectent. (2. *Cor.* V. 20. *Ephes.* VI. 20.) Qui quod verecundè excusant, obstinatiùs non recusent. Qui missi, post aurum non eant, sed Christum sequantur (*Philip.* IV. 17.) : qui quæstum legationum non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui regibus Joannem exhibeant, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phinees, Eliam idololatris, Eliseum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed deceant : divites non palpent, sed terreant : pauperes non gravent, sed

foveant : minas Principum non paveant, sed contemnant. (*Matth.* XIV. 4. *Exod.* VII. 1. *Num.* XXV. 7. 3. *Reg.* XVIII. 40. 4. *Reg.* V. 27. *Act.* V. 1. *et seq.* 1. *Tim.* I. 20. *Joan.* II. 15.) Qui non cum tuba intrent, nec cum ira exeant : qui Ecclesias non spolient, sed emendant. Qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, et crimina corrigant ; famæ provideant suæ, nec invideant alienæ. Qui orandi studium gerant, et usum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quàm suæ industriæ vel labori. Quorum ingressus pacificus, molestus exitus sit. Quorum sermo ædificatio, quorum vita justitia, quorum præsentia grata, quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant, non verbo, sed opere : reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles cum humilibus, et cum innocentibus innocentes ; duros durè redarguant, malignantes coërceant, reddant retributionem superbis. (*Ps.* XCIII. 2.) Qui non de dote viduæ, et patrimonio crucifici se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod gratis acceperunt. (*Matth.* X. 8.) *Cætera vide infrà* §. 11. *versùs fidem et litt. seq.* (B)

S. JOAN. CHRYSOST. *lib. de Sacerdot. Vide ibid.*

S. BERN. *lib. de Convers. ad Clericos. Vide infrà hocce* §. *litt.* (B)

Lege CONCIL. AQUISGRANENSIS *ann.* 816. *librum primum tom* 7. *Concil. Labb. col.* 1313. *in quo fusè agitur de officio et virtutibus Episcoporum, Canonicorum, Sacerdotum, et Clericorum : potissimùm verò ea capita evolvenda sunt quæ ad Clericos spectant à cap.* 94. *ad* 114. *in quibus adductis in medium* SS. Hieronymi, Gregorii, Prosperi et Augustini *testimoniis, quæ Clericos deceant, quæ non deceant docet sancta Synodus. Legenda quoque lib.* 1. CONCIL. PARIS. IV. *an.* 829. *tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 1599. *cap.* 4. *et* 5. *insuper capita* 11. *et* 12. *et seq. usque ad* 32.

CONCIL. TRID. *Sess.* 14. *de Reformat. in Proœmio.* Cùm propriè Episcoporum munus sit, subditorum omnium vitia redarguere ; hoc illis præcipuè cavendum erit, ne Clerici, præsertim ad animarum curam constituti criminosi sint, neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus ducant. Nam si eos pravis et corruptis moribus esse permittant ; quo pacto laïcos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis sermone convinci possent, quòd clericos ipsis patiantur esse deteriores ? Quà etiam libertate laïcos corripere poterunt Sacerdotes ; cum tacitè sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse quæ corripiunt ? Monebunt propterea Episcopi suos Clericos, in quocunque Ordine fuerint, ut conversatione, sermone et scientiâ commisso sibi Dei populo præeant ; memores ejus quod scriptum est : *Sancti estote, quia et ego sanctus sum :* (*Levit.* XX. 7. *et* 26. XXI. 8.) et juxta Apostoli vocem : *Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum ; sed in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei ;* (1. *Petr.* I. 16. 2. *Cor.* IV. 3. *et* 4.) ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis : *Sacerdotes Dei contaminant sancta, et reprobant legem.* (*Ezech.* XXII. 26. *Soph.* III. 4.)

Sess. 22. *de reformat. cap.* 1. Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt ; cùm enim à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur ; in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omninò Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant ; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cùm igitur pro majore in Ecclesia Dei et utilitate, et ornamento hæc sint, ita etiam diligentiùs sint observanda ; statuit Sancta Synodus, ut, quæ aliàs à summis Pontificibus et à sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu doctrinâque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, iusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non secularibus negotiis fugiendis copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis observentur.

CONCIL. PROVINC. MEDIOL. I. *sub* S. CAROLO *part.* 2. §. *de vita et honestate Episc. et Cleric. p.* 15. Diligentissimè providendum est, ne (Clerici) à recta vivendi via et ab officii sui ratione deflectant ; neve quidquam

præ se ferant, quod non simplex, castum integrumque sit: ut modestiæ, frugalitatis, benignitatis, et quæ nos Deo tantoperè commendat, sanctæ humilitatis, ac virtutum omnium cæteris exempla præbeant, est enim uberrima docendi ac pascendi ratio eorum, qui pietatem quam profitentur, vitæ integritate et innocentiâ comprobant; et quæcunque verbis alios docent, ea factis exprimunt suis: non jam quæ sua sunt quærentes, sed quæ Jesu Christi.

Concil. Provinc. Mediol. IV. *part.* 3. *eod. tit. pag.* 139. In omni item incessu, statu, gestu, vultu, ordinem suum Sacerdos et Clericus profiteatur: omni clericalis vitæ actione religiosi animi mores exprimens, qui in Ecclesiastici ordinis hominibus elucere debent.... Omnis etiam Sacerdos Clericusve publica convivia, et comessationes ejusmodi vitet, quibus sæpe fit, ut contemptui sit Ecclesiastici ministerii dignitas. Illud autem unusquisque clericus sæpè repetat, se non ad inertiam atque ignaviam sed ad spiritualis, et Ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse. Sciat prætereà id in officio suo positum esse, ut cùm vel in officiis divinis obeundis vel in frequentandis Ecclesiis, quod debet tempus consumpserit; si quid sibi reliquum est, id omne non in rerum secularium colloquiis, profanisque actionibus: sed in divinarum litterarum studiis, et in cœlestium rerum contemplationibus, et sanctis piisque officiis traducat.

Et in monitionibus ad Clericos in Synodo Diœcesana pag. 148. Primò fratres, et filii in Christo charissimi, memores perpetuò estote vocationis, quâ vos dignatus est Dominus noster. Quâ assiduâ recordatione memoriâque excitati, eam vos virtutem induite, ut videant alii quasi lumen aliquod, vestram sanctitatem elucere. Quæ si magna in aliis vitæ Christianæ institutis requiritur; certè in vobis qui mysteriorum Dei ministri, divinæque gratiæ dispensatores estis, major inesse debet. Et sicut sacro ordine à reliquis hominibus sejuncti estis, ita à communis fidelium vitæ usu sejuncti, præcipuum quoddam, atque hoc præstantius vivendi genus sequimini, quo ordinis dignitate præcellitis. Cœlestem in terris vitam tanquam Angeli Dei, moribus vestris exprimere usque adeò studete, ut à vobis divinarum virtutum exempla ad cæteros emanent. Unà animi consensione, unoque spiritu in iis elaborate, ut et divino cultui, et cœlestium rerum meditationibus et orationi, et sacrarum, Ecclesiasticarumque litterarum studiis vacetis; tùm depositis secularibus vanisque sollicitudinibus, ab omni vitio alieni, in via Domini rectè ambuletis. Charitatem in primis, quæ seminarium est omnium virtutum omni studio amplectimini. Humilitatem, mansuetudinem, patientiam, justitiam, temperantiam, officiaque Christianæ pietatis reliqua colite. Quæcunque deniquè sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque sancta ac religiosa, ea cogitate: eaque agite. (*Philip.* iv. 8.) Virtutes sanctorum Patrum, quas præcipuas, et quasi hæreditarias nobis ad imitationem reliquerunt, non adumbrare solùm, sed omninò exprimere certatim contendite. Utque illi, sic vos abstinentiæ et jejuniis dediti, clericalis disciplinæ, ac vitæ castissimæ studiosi, tum patriæ cœlestis sitientes, Deo servite assiduis divinarum laudum officiis; et in Ecclesia, quasi in perpetua vestra Sacerdotali clericalique statione continenter versamini.... Ecclesiasticæ militiæ omnes vos adscripti estis; ad pietatis religionisque exercitationes vos vocatos esse cognoscite. In omni in primis sanctâ oratione vos assiduè exercete; tùm in meditationis, tacitæque piæ orationis studio singulis diebus, certo temporis spatio toto castissimi animi sensu incumbite. Hæc sanctis precibus præter cætera supplices, præsertim afflictis rei Christianæ temporibus orate *patrem misericordiarum et Deum totius consolationis* (2. *Cor.* i. 3.), ut misereatur populi sui; ut fidelium animas ad vitia fugienda, ad virtutes amplectendas sancti Spiritûs sui ardore inflammet.... Quidquid verò temporis à divinis officiis, ab orationis contemplationisque exercitatione, ab Ecclesiasticis functionibus, et ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, nec verò in rerum novarum curiositatibus illud conterite: sed cùm in sortem Domini vocati sitis, in ejus lege die ac nocte meditemini. Sacrarum igitur litterarum studia diligentius colite, quæ usque adeò complecti debetis, ut qui aspernetur, contra eum dicat Dominus, *Quia*

tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. (*Osee.* IV. 6.) Quotidiè aliquid ex sacris Bibliis legite : ac si per Ecclesiasticas occupationes licet, qui apti estis, aliquid item ex Sanctorum Patrum opusculis, Gregorii Magni Pontificis, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Bernardi, et aliorum qui sanctitatis, et doctrinæ laude in Ecclesia celebrantur.... Estis divinâ misericordiâ in Ecclesiastico ordine constituti, ad gloriam Dei conservandam, propagandamque : ideò tùm ordinis vestri ministerium, quod explere debetis, videte : tùm illius dignitatem ac decorem servate. In incessu, statu, gestu ita vos præbete, ut ordinis quem suscepistis nomine et ratione nullo sanè modo discrepetis, proposito vobis beati patris Ambrosii judicio, qui clero adscribi hominem recusavit, propterea quòd ejus gestus et incessus dedeceret.... Habitu non exquisito, non delicato nimis, non serico, ne ornamento quidem ; rursùs non sordido, non neglecto, sed gravi et talari, atque ejusmodi tum domi, tum foris, pro uniuscujusque vestrûm ordinis gradusque ratione utimini, ut à decretis eo de genere editis nulla in re vel minimâ discedatis. Coronam, quod insigne est ordinis clericalis, pro ratione ordinis quo vos singuli initiati estis latam, et conspicuam deferte. Parcâ et frugali mensâ contenti sitis, et supellectili etiam modestâ ac tenui potiùs. Ab omni splendido apparatu, pompaque seculari abstinete. Quæcunque acu picta, variè intexta, aulæa, item peristromata rejicite. Imagines Domi non profanas, sed eas habete, quæ pietatis, et religionis argumentum præbeant. In omni vita à fastu, luxu, ambitu, ambitioneve, et à vanitate longè refugite. Nec verbis quidem præscriptum vitæ modum pervertite, nihil scurriliter, nihil jocosè, nihil indecorè, nihil turpiter loquamini. Absint à vobis maledicta, obtrectationes, curiositas, levitas, assentationes, ac nugæ. Temperantiæ clericalis disciplinam vobis præscriptam in reliquis etiam omninò tenete. Comessationes, compotationes, convivia publica, laïcaliave, tum maximè in quibus mulieres intersunt, evitate. Hospites excipite : at illis excipiendis intra parcimoniæ fines vos continete ; ita ut clericalis frugalitatis, non sumptuosi convivii testes illos habeatis. A ludis, spectaculis, circulatorumque atque id genus vilium hominum prægtigiis procul estote. Arma abjicite. Sic denique cor vestrum roborate, ut inania spectacula non appetet, à mundi ludis atque ineptiis abhorreat. Sensus autem vestros ita dirigite, ut cùm à Deo utiliter dati sint tanquam rationis ministri, ne eos perperàm adhibeatis, sicut satellites cupiditatum. Sit igitur vester oculorum aspectus simplex, et pudicus : aurium sensus castus, et prudens : casta mens, casti omnes sensus : vitæ et morum consuetudo casta, et spiritualis. Ad eorum Sacerdotum, qui in ejusmodi vitæ studiis ac disciplina exercitati sunt, familiaritatem vos adjungite : ex qua nobis vestræ ad sanctè agendum progressiones constent. Ad castitatem autem conservandam munite omnem viam.... suspectarum autem mulierum consortium omninò vitate. Cum aliis verò quibusvis mulieribus, quamvis vel arctissimo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo vobis illæ conjunctæ sint, ne eisdem domiciliis, ædibusve simul habitate, nisi cùm ex causa alicui vestrûm aliquando Episcopalibus litteris permissum sit.... *Secularibus* verò *negotiis*, ut est sancti Pauli Apostoli documentum, *ne vos implicate.* (2. *Tim.* II. 4.) A cujusvis generis mercatura quæstuosa, omni negotiatione, prædiorum conductione, tum aliis, ut provinciali Decreto vobis interdictum est, prorsùs cavete. Nec pecuniæ lucrive avidi sitis : *nemo potest servire Deo, et mammonæ : aut enim unum odio habebit et alterum contemnet*, inquit Christus Dominus. (*Matth.* VI. 24. *Luc.* XVI. 13.) Si qui pauperes estis, ne cupiatis divites fieri, *ut ne incidatis in tentationes multas, et in laqueum Diaboli.* (1. *Tim.* VI. 9.) Paupertatem vestram ne molestè ferte : paupertatem dilexit, et docuit cœlestis magister Christus, qui nascens in præsepio ponitur, et nudus in cruce moritur. Scitote paupertati socias adjungi, sobrietatem, abstinentiam et reliquas virtutes, quibus prælucere oportet ministros Dei. Proponite vobis sanctorum veterum Patrum vitam, qui lucrum non spectabant, temporalia non quærebant, et nihil iis tamen decrat ; immò in paupertate illis aliquando abundabant, quòd aliis erogarent. Ne igitur quia tenuem redditum habetis, lucrum quærite : ne quæstum

vos appetendo, injuriam vestro ordini facite, avaritiæ sordibus volutati. Non seculi vos mercatores, non mammonæ ministri estis, sed Christi mercatores : *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* (*Matth.* VI. 19.), sed bonorum operum abundantiâ, cùm charitate conjunctâ, facite thesauros in cœlis. Studete vos lucrari animas Deo, et cœleste horreum augere. Exemplo Sanctorum, vos paupertate, sobrietate, ac parcimoniâ ita agite, ut non modò à supervacaneârum rerum usibus abstinentes, sed vestro etiam defraudantes victu, Ecclesias vestras, et altaria exornetis, sarta tecta habeatis, sacrâ supellectili instruatis. Alienis item necessitatibus subveniatis, et pauperibus opitulemini. Qui verò uberiores Ecclesiasticos redditus habetis, Ecclesias è quarum prædiis fructus percipitis eò magnificentiùs et augustiùs, quo amplioribus donis, bonisve, augustiorique liberalitate illæ dotatæ sunt; illustri structurâ, præclaro opere reficite, egregiisque muneribus exornate, tum omni Ecclesiasticæ supellectilis apparatu instruite. Christi visceribus substantiam Ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet, peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula conjectis, captivis : quibus egentibus, et esurientibus cùm subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatæ charitatis rei estis in conspectu Domini. Memores estote ejus quod à sanctissimo patre Ambrosio scriptum est; sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ ministris, ut per eorum manus, quorum fidei atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent. Vos item alii quicunque estis, quorum fidei Christi patrimonium propriè ad divini cultûs, pauperumque usum commissum est; cavete ne ambitione, aut cupiditate prolapsi, in alium quàm cui addictum est, convertatis; idque propterea sacrilegii rei, damnationem æternam subeatis. Universi autem et vos et singuli Ecclesiastici ordinis homines (ut summatim complectamur) quæ muneris vestri sunt, vobiscum frequenter recolite, ministerium vestrum explere studete, sanctissima studia religionis et officii vestri rebus aliis poliora ducite. In rerum divinarum sacrarumque cognitionem omni curâ incumbite : quæ divina, quæ sempiterna sunt, divitiarum, et honorum, et terrenarum rerum cogitationibus abjectis amplectamini : restincto cupiditatum ardore, integros castosque vos servate; mundi voluptates, quæ à divinis præceptis detorquent, declinate : prædiorum Ecclesiasticorum, quæ non avaritiæ præda, sed instrumenta charitati relicta sunt, redditu et fructibus non abutamini; humilitati studete; charitatis opera præstate; induimini Dominum Jesum Christum (*Rom.* XIII. 14.), sanctorumque ejus facta imitamini; ut et horum imitatione, et illius in primis divinis præceptis institutisque conformati, *in vocatione, quâ vocatis estis, dignè Deo ambuletis* (*Ephes.* IV. 1.); tum vitæ vestræ splendore laïcis hominibus lumen præferatis ad vitam sanctè instituendam; tum vos repositam vobis justitiæ coronam demùm percipiatis.... Attentè, studiosè, ritè, piè, religiosè divinas laudes concelebrate : et psallite Deo in conspectu Angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino..... (*Ps.* CXXXVII. 1. *Ephes.* V. 19. *Coloss.* III. 16.) In psalmorum autem, canticorum, et hymnorum intelligentiam studiosè incumbite : ut dum psallitis pro sensuum sanctissimorum quos mente concepistis ratione, vos ad omnem pietatis, devotionisque affectum excitetis.

In SYNOD. DIOECES. IV. *Decret.* 19. Qui in sortem Domini vocati sunt, divinarumque rerum ministerio addicti : illorum in Ecclesia Dei status is est, ut si morum gravitate, vitæque exemplo suam ipsi dignitatem retineant, magnam afferant auctoritatem ad piè Christianèque vivendum. Rursùs si quidquam in ullo cujusvis rei vel minimæ genere offendunt : eorum ordo ita graviter lædítur, ut illum decoris splendorem retinere nequeant; qui ad continendos in officio laïcos homines, non solùm utilis, sed maximè etiam necessarius esse videtur.... Ne rerum novarum curiositates consectetur. Ne quæ jocularia sunt, quæ ridicula, undè cachinni risusque solutiores excitantur, loquatur. In omni item incessu, statu, gestu, vultu, ordinem suum Sacerdos et Clericus profiteatur; omni clericalis vitæ actione religiosi animi mores exprimens, qui in Ecclesiastici ordinis hominibus elucere debent.

De his quæ Clericos spectant doctissimè piissimèque scripsit Illustrissimus DD. GODEAU, Vinciensis Episcopus, *in sermonibus de Ordinibus sacris, etc. Gallicè*, Discours sur les Ordres sacrés, *quos perlegere Clericum non tædebit.*

I. Sufficitne si dotes illæ et dispositiones animi habeantur?

R. Requiritur prætereà legitima vocatio.

I. Quo fundamento nititur necessitas vocationis ad statum Ecclesiasticum ?

R. Nititur auctoritate Scripturarum et Traditionis, et exemplo Prophetarum, et Christi ipsius, et Apostolorum, et omnium denique quotquot exstiterunt unquam sancti sive Episcopi, sive Sacerdotes, sive Clerici. (B)

(B) Exod. III. 10. Veni, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israël de Ægypto. 11. Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israël de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum.

IV. 10. Ait Moyses: Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, et nudiustertiùs: et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum. 11. Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum? nonne ego? 12. Perge igitur, et ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris. 13. At ille: obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es. 14. Iratus Dominus in Moysen, ait: Aaron frater tuus levites, scio quòd eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde. 15. Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus: et ego ero in ore tuo, et in ore illius, et ostendam vobis quid agere debeatis. 16. Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.

XXVIII. 1. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut Sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, et Abiu, Eleazar, et Ithamar.

1. Reg. II. 28. Et elegi eum (Aaronem) ex omnibus Tribubus Israël mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me.

Ps. CIV. 26. Misit Moysen servum suum; Aaron, quem elegit ipsum.

Num. III. 5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 6. Applica Tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis ut ministrent ei, et excubent, 7. et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii. 8. Et custodiant vasa Tabernaculi, servientes in ministerio ejus. 9. Dabisque dono Levitas 10. Aaron et filiis ejus, quibus traditi sunt à filiis Israël. Aaron autem et filios ejus constitues super cultum Sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 12. Ego tuli Levitas à filiis Israël pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israël, eruntque Levitæ mei.

VIII. 5. Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: 6. Tolle Levitas de medio filiorum Israël, et purificabis eos.... 9. Et applicabis Levitas coram Tabernaculo fœderis, convocatâ omni multitudine filiorum Israël. 10. Cùmque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israël manus suas super eos. 11. Et offeret Aaron Levitas munus in conspectu Domini à filiis Israël, ut serviant in ministerio ejus. 12. Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, è quibus unum facies pro peccato, et alterum in holocaustum Domini ut depreceris pro eis. 13. Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus, et consecrabis oblatos Domino, 14. ac separabis de medio filiorum Israël, ut sint mei. 15. Et postèà ingredientur tabernaculum fœderis, ut serviant mihi.... 18. Tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël: 19. tradidique eos dono Aaron et filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israël in tabernaculo fœderis, et orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium.

XVI. 9. Separavit vos Deus Israël ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentia populi, et ministraretis ei?

1. Reg. III. 4. Et vocavit Dominus Samuël. Qui respondens, ait : Ecce ego. 5. Et cucurrit ad Heli, et dixit : Ecce ego : vocasti enim me. Qui dixit : Non vocavi : revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit. 6. Et adjecit Dominus rursùm vocare, Samuëlem, Consurgensque Samuël abiit ad Heli, et dixit : Ecce ego : quia vocasti me. Qui respondit : Non vocavi te, fili mi : revertere, et dormi. 7. Porrò Samuël necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. 8. Et adjecit Dominus, et vocavit adhuc Samuëlem tertiò. Qui consurgens, abiit ad Heli, 9. et ait : Ecce ego quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum : et ait ad Samuëlem : Vade, et dormi : et si dixerit vocaverit te, dices : Loquere Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuël, et dormivit in loco suo. 10. Et venit Dominus, et stetit et vocavit sicut vocaverat secundò, Samuël, Samuël. Et ait Samuël : Loquere Domine, quia audit servus tuus.

Isai. VI. 5. Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. 6. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. 7. Et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. 8. Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam ? Et quis ibit ? Et dixi : Ecce ego, mitte me.

Jerem. I. 4. Factum est verbum Domini ad me, dicens ; 5. Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te. 6. Et dixi, A, a, a, Domine Deus : Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. 7. Et dixit Dominus ad me : Noli dicere : Puer sum : quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis : et universa, quæcunque mandavero tibi, loqueris. 8. Ne timeas à facie eorum : quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. 9. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum : et dixit Dominus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo : 10. ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.

Matth. IV. 18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores,) 19. et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.... 21. Et procedens indè, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua : et vocavit eos. 22. Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum.

IX. 9. Et cùm transiret indè Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi : Sequere me. Et surgens, secutus est eum.

Act. I. 23. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est justus, et Matthiam. 24. Et orantes dixerunt : Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, 25. accipere locum ministerii hujus, et Apostolatûs.

VI. 3. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientiâ, quos constituamus super hoc opus. 4. Nos verò orationi et ministerio verbi instantes erimus. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, etc.

XIII. 2. Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. 3. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

S. Joan. Chrysost. *Lib. 4. de Sacerd. paulò post init.* Hic quippè Moses vir benè beatus, tantùm abfuit à rapienda Judæorum præfectura, ut et oblatam recusaret, et Deum etiam quòd illi id jubenti non auscultaret, contra se irritaret. Quod quidem non solùm id temporis fecit, verùm et posteà cùm jam præfecturam eam administraret : quâ ut explicaretur, lubens è vivis decessisset. Quid igitur posteaquam ad aquam peccavit, potuêrene assiduæ illæ recusationes illum tutari, ac Deo persuadere, ut veniam ei concederet ? Quânam aliâ, quæso, de causa terrâ illâ promissâ privatus est ? Certè non aliâ (quod quidem omnibus nobis notum est) quàm ex peccato hujusmodi, propter quod viro illi admirando haudqua-

quam licuit rebus iisdem potiri, quibus subditi ejus potiti sunt.... Vides ut jam nulla peccatorum excusatio relicta sit, non solùm iis qui rapiunt, sed ne iis quidem qui alieno studio huc evehuntur? Nam ubi qui vel Deo decernente, eligenteque sæpenumerò honorem ipsum recusavère, tantas tamen pœnas luerunt, ac nihil quidquam à periculo hujusmodi eximere potuit neque Aaron, neque Heli, neque virum illum perbeatum, sanctum, prophetam, admirandum, mortalium omnium humanissimum, eumdemque quasi amicum quemdam cum Deo colloquentem: nimirùm vix nobis, qui ab illius virtute tantùm absumus, satis esse ad defensionem populi, conscios esse nobis ipsis, quod ad honorem ejusmodi nullo ipsi studio, nullâ ambitione adspiraverimus: idque eo etiam magis, quòd ex his ipsis electionibus plerasque humano studio acceptas referre non oportet. Judam Deus elegit, eumdemque in sacro-sanctum illud cooptavit collegium, dignitate Apostolicâ unà cum aliis ornatum, cui etiam majus quiddam quàm aliis dedit, pecuniarum dispensationem. Quid igitur? Num posteaquam duabus illis prærogativis contrà quàm debuit usus est, tum eo quem prædicandum susceperat prodito, tum pecuniis (illi hoc nomine creditis, ut rectè eas administraret) malè impensis, impunitate donatus abiit? Certè hoc potissimùm nomine gravius sibi accersivit supplicium: idque perquàm meritò. Neque enim prærogativis à Deo acceptis sic abuti decet, ut per eas Deum offendas: quin imò ut magis ac magis Deo acceptus fias.... Maximè autem puniendi illi fuerint, qui post eum honorem studio atque ambitione adeptum, vel per ignaviam, vel per malitiam, vel per imperitiam reipsà non rectè utuntur. Neque verò propterea paratam veniam esse dixerim iis qui nullâ suâ ambitione dignitatem eam obtinuerint: nam ne illis quidem quisquam relictus est excusationis defensionisque locus. Decere enim arbitror vel si te eò sexcenti vocent, atque adeò cogant, non illos spectare: verùm animi tui dotes priùs examinare, viresque tuas omnes exactè perscrutari: atque ita demùm cogentibus cedere. Jam domum se aliquam ædificaturum polliceri nemo audeat, qui idem architectus non sit: neque ægrotantia contingere corpora quisquam aggrediatur, qui medicinam non didicerit: quin imò vel pluribus vim afferentibus deprecabitur, neque eum suæ pudebit ignorantiæ. Cui autem tam multarum animarum cura credenda sit, is non priùs seipsum examinabit, quin potiùs vel omnium imperitissimus, munus ipsum suscipiet, posteaquam vel ille jubet, vel ille cogit, atque adeò ut ne illum offendat? Et quonam ille pacto se se unà cum illis in præsentaneum non conjicit periculum; nam cùm illi liceat ut se ipse per se servet, nimirùm et alios secum perditos perdit. Undè enim speranda salus? undè venia exspectanda? quinam tum nobis internuntii, deprecatoresque existent? illi ipsi fortasse, qui nunc nos cogunt, et ad necessitatem adigunt? Hosce verò quis per id tempus servaturus est? siquidem ipsi deprecatoribus indigent, ut ignis æterni supplicium deviteut.... *Paulò post.* Quamobrem enim fit, ut de militia, de mercatura, de agricultura, cæterarumque ad humanum victum pertinentium rerum ratione deliberatio incunda cùm sit, neque agricola navigationem, neque miles agriculturam, neque gubernator militiam suscipiat, etiamsi mortem illis millies commineris? Nempè propterea quòd illorum unusquisque prospicit fore, ut periculum sibi ab imperitia artisincognitæ immineat. Itane ergo, ubi modicis in rebus periclitamur, tantâ ipsi utemur providentia, neque cogentium nos violentiæ parendum esse putabimus: ubi verò æternum illos manet supplicium, qui Episcopatûs administrationem justè præstare nescierint, temerè atque ut casus tulerit in tantum nos conjiciemus periculum, alienæ violentiæ causam opponentes? Atqui rationem hujusmodi admissurus haudquaquam est, qui causæ istius judicem aget. Decebat enim multò majorem cautionem ac provisionem spiritualium rerum, quàm carnalium præstare. Hic verò ne parem quidem nos exhibere constat.

S. Gregor. Nazianz. *Orat. Apolog.* 1. *pag.* 4. Aliorum me puduit, qui cùm plerisque nihilò meliores sint, atque utinam non etiam multò pejores, illotis, ut dici solet, manibus, profanisque animis in sanctissima mysteria sese inferunt, ac priusquam digni sint, qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsum ambiunt, et circum sacrosanctam mensam sese

invicem premunt ac protrudunt, tanquam non virtutis exemplum, sed victûs parandi occasionem et subsidium hunc ordinem esse judicantes, ac non munus referendis rationibus obnoxium, sed imperium ab omni censura immune.

Pag. 21. At nobis nullus docendi ac discendi terminus est constitutus, velut olim tribubus, quæ ultra Jordanem erant, nec quibusnam illud, quibusnam rursùs hoc committendum sit, nec norma ulla, ad quam habitus exigamus : verùm ita projecta et confusa hæc res est, tamque malè afficimur, ut quàm plurimi ex nobis, (ne omnes dicam) priùs ferè quàm primam comam abjecerimus, puerilique more balbutire desierimus, priusquam in divina atria introierimus, priusquam sacrorum librorum vel nomina ipsa noverimus, priusquam novi veterisque Testamenti caracterem, et auctores cognitos habuerimus, (nondum enim dico priusquam cœnum, et animæ labes, quas peccatum nobis impressit, eluerimus) si duo aut tria pia verba edidicerimus, eaque non ex lectione, sed auditione sola hausta, aut Davidi paulùm operæ dederimus, aut pallium scitè contraxerimus, aut zonà tenus philosophati fuerimus, pietatis speciem quamdam nobis illinentes : ò præfecturum! ò elatum animum! Sacer etiam ab incunabulis Samuel : statim sapientes et magistri sumus, et in divinis rebus sublimes, et Scribarum ac Legisperitorum primi, ac cœlestes nos ipsos designamus, et vocari ab hominibus Rabbi expetimus. (*Matth.* XXIII. 7.)

Pag. 22. Quòd si cuipiam eorum dicamus leniter ad hunc modum, ac disserendo, eum provehentes : Dic mihi, vir admirande, vocasne aliquid saltare, et tibiâ canere ? Maximè verò, inquiet. Quid sapientiam, et sapientem esse, quam nos divinarum humanarumque rerum scientiam definimus ? Id quoque concedet. Age verò censesne artes illas sapientiâ meliores et sublimiores esse, an hanc potiùs illis ? Mihi quidem non est dubium, quin hanc omnibus etiam præstantiorem esse dicturi sint, atque hactenùs æqui et candidi judices sint. Utrum igitur, saltationis quidem et cantûs tibiarum doctrina quædam et disciplina est, ad idque, et diuturno tempore, et plurimis laboribus ac sudoribus opus est, atque interdùm etiam mercedem persolvere oportet, et perductores adhibere, longasque peregrinationes suscipere, cæteraque omnia facere et pati, quibus artis peritia comparatur : sapientiam autem, quæ omnibus præest, ac bona omnia complexu suo tenet (adeò ut ipse quoque Deus, quamvis permultis nominibus vocetur, hoc tamen nomine impensiùs quàm ullis aliis delectetur) rem usque adeò levem et protritam esse existimabimus, ut ad hoc, ut quispiam sapiens sit, voluntas sola requiratur? Magnæ herclè stultitiæ hoc fuerit, si hæc ad eos dicamus, erroremque paulatim repurgemus, aut alius quispiam doctiorum et prudentiorum, hoc nimirum illud fuerit supra petras seminare, atque in aures non audientium loqui : Itane hactenùs quidem sapientes sunt, ut inscitiam suam cognitam habeant. Ac mihi commodum esse videtur illud Salomonis de ipsis usurpare: *Est malum quod vidi sub sole, virum qui sibi sapiens esse videtur :* (*Forsan alludit ad Eccle.* VI. 1. *et Prov.* XXVI. 12.) et quod pejus est, alios erudiendos suscepit, qui ne inscitiam quidem suam persentit. Hoc malum lacrymis quidem et luctibus, si quod aliud, dignum est.

Pag. 30. *Postquam verò Paulum Apostolum ut Episcopi immò et Clerici normam laudavit : ac minas à Deo per Prophetas in maculos Pastores intentatas fusè retulit*, Hæc, *inquit*, hæc animum meum dejiciunt, et mentem contrahunt, et linguæ vinculum injiciunt, faciuntque, ut non de præfectura, nec de corrigendis et gubernandis aliis cogitem, id quod exuberantis cujusdam facultatis est, sed quomodo ipse venientem iram effugere, atque à vitii rubigine non nihil me ipsum abradere queam, purgarique priùs, deindè purgare; sapientiâ instrui, atque ita demùm alios sapientiâ instruere; lux fieri, et alios illuminare : ad Deum appropinquare, et ita alios adducere; sanctificari et posteà sanctificare, cum manibus ducere cum prudentia consilium dare. Quando igitur hæc erunt, inquient homines ad omnia celeres, nec satis cauti, facilè ædificantes, et diruentes? Quando lucerna supra candelabrum ? Ubi talentum ? Sic enim gratiam vocant. Hæc ii, qui amicitiâ quàm religione fervidiores sunt. Quando

hæc erunt, et quæ mea est ratio, quæritis, viri fortissimi? Ne extrema quidem senectus huic rei præstituta, longum tempus censeri debet. Senectus enim cum prudentia conjuncta imperitæ juventuti præstat, et considerata tarditas inconsultæ temeritati, et breve regnum, diuturnæ tyrannidi: quemadmodum et exigua portio maximi pretii, mullis vilibus et periculosis opibus, et parum auri multis plumbi libris, et parva lux densissimis tenebris. Alioqui verendum est, ne lubrica hæc celeritas, præcepsque studium, seminibus illis non absimile sit, quæ in petras cediderunt (*Matth.* III. 5. 20. *et seq. Luc.* VIII. 6. *etc.*): et quia terræ altitudinem non habebant, statim exorta, ne primum quidem solis calorem ferre potuerunt (*Matth.* XVII. 26.): aut etiam fundamento in arena jacto, quod pluviæ ac ventis ne tantillum quidem restitit. *Væ tibi civitas*, ait Salomon, *cujus Rex junior est* (*Eccle.* X. 16.): Idemque, *ne sis celer in verbis* (*Eccli.* V. 13.): minorem scilicet rem esse asserens celeritatem in verbis, quàm ferventem in actione festinationem. Et quis est, qui contra hæc omnia celeritatem potiùs quàm securitatem et utilitatem exposcat? Quis est qui veritatis propugnatorem, unius dieculæ spatio velut è luto statuam fingit: illum, inquam, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet, cum Christo Sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno mundo opificem aget, et, ut, quod majus est, dicam, Deus erit, aliosque Deos efficiet?

S. GREGOR. MAGN. *Reg. Pastoral. part.* 1. *cap.* 6. Divinis dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cùm sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus et aliis prosit, et ex corde debet fugere et invitus obedire.

Cap. 7. Moyses utrumque miro opere explevit, qui præesse tantæ multitudini et noluit et obedivit. (*Exod.* III. *et* IV.) Superbus enim fortassè esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet; et rursùm superbus existeret, si Auctoris imperio obedire recusaret.

S. BERNARD. *De considerat. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 9. Tuum est undecunque evocare et adsciscere tibi, exemplo Moysis, senes, non juvenes (*Exod.* XVIII. 25.); sed senes non tam ætate quàm moribus, quos tu nosti, quia senes populi sunt.... Sanè huic negotio non se ingerat rogans. Consilio, non prece agendum est. Sunt quæ necessariò à nobis rogantium aut extorquet importunitas, aut necessitas meretur. At istud in his quæ nostra sunt. Ubi autem non licet quod volo facere, quis locus roganti? Nisi fortè qui me rogat, hoc rogat, ut quod vult, velle liceat mihi, et non magis ut velim. Alius pro alio, alius fortè et pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus: qui ipse rogat pro se, jam judicatus est. Nec interest, per se, an per alium quis roget. Clericum curiam frequentantem, qui non sit de curia, ad idem noris pertinere ambientium genus. Adulantem, et ad placitum cujusque loquentem, unum de rogantibus puta, etiamsi nihil rogaverit. Scorpioni non est in facie quod formides: sed pungit à cauda.

N. 10. Pro hujusmodi falsis fratribus dicit tibi magister: *manus citò nemini imposueris.* (1. *Tim.* V. 22.)

N. 11. Excluso itaque universo hoc pestilenti genere hominum, curæ tibi maximè sit introducere tales, quos postmodum introduxisse non pœniteat. Turpe est tibi sæpiùs retractare quod feceris, et judicium tuum frequenter periclitari non decet. Diligenter proindè omne quod faciendum erit, tracta apud te, et cum his qui te deligunt. Tracta ante factum, quia post factum sera retractatio est. Sapientis consilium est: *omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis.* (*Eccli.* XXXII. 24.) Et hoc tibi persuade, qui admittendi sunt, difficilè in curia posse probari. Et ideò, si fieri potest, viros probatos oportere diligi, non probandos.

N. 12. Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes: etiam coge illos, et compelle intrare. (*Luc.* XIV. 24.)

Lib. de convers. ad Cleric. cap. 19. *n.* 32. Væ vobis qui clavem tollitis non scientiæ solùm, sed et auctoritatis! (*Luc.* XI. 52.) Nec ipsi introitis, et multipliciter impeditis quos introducere debuistis. Tollitis enim, et non accipitis claves. De quibus Dominus queritur per prophetam: *Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes exstiterunt, et ego non vocavi eos.* (*Osee*

I. Quinam non vocantur ad Clericatum, vel ad Ordines?

R. 1. Irregulares : nisi cum ipsis ob utilitatem Ecclesiæ dispensetur.

2. Qui carent omninò dotibus et dispositionibus mox traditis.

3. Qui solam parentum vel consanguineorum voluntatem hac in parte sequuntur.

4. Qui ad Clericatum, vel sacros Ordines currunt præ concupiscentia carnis, vel concupiscentiâ oculorum, vel superbiâ vitæ.

5. Qui Clericatum, vel Ordines, adhibitis sollicitationibus et præposteris Magnatùm apud Episcopos precibus, ambiunt.

6. Qui statim à criminibus ad Clericatum, nullâ ferè peractâ pœnitentiâ, transvolant. (C)

VIII. 4.) Undè tantus prælationis ardor, undè ambitionis imprudentia tanta, undè vesania tanta præsumptionis humanæ? Audetne aliquis vestrûm terreni cujuslibet reguli, non præcipiente aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? Næ tu Deum putes (*Rom.* XI. 22.), quæ in magna domo sua à vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare. Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur. Ordinem ipsum Dominici sermonis attende. *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth.* V. 8.) Ac deindè : *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.* (*Ibid.* 9.) Mundicordes ubique vocat Pater cœlestis, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi (1. *Cor.* XIII. 5.) : nec quod sibi utile, sed quod multis. *Petre*, inquit, *amas me? Domine, tu scis quia amo te. Pasce*, ait, *oves meas.* (*Joan.* XXI. 17.) Quando enim sic amatas oves committeret non amanti? Nimirùm *hoc quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* (1. *Cor.* IV. 2.) Væ ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus et nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese meditatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiunt. (*Osee* IV. 8.) Væ qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, et placare velle præsumunt. (*Rom.* VIII. 8.)

Cap. 20. *n.* 34. Curritur passim ad sacros Ordines, et reverenda ipsis quoque spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione. Neque enim signum regni occupare cœlestis, aut illius timent imperii gestare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia : sed et iniquitas, luxuria etiam principatur : in quibus et pessima fortè appareat intra parietes abominatio, si juxta Ezechielis prophetiam parietem fodiamus, ut in domo Dei videamus horrendum. (*Ezech.* VIII. 8. 9.) Siquidem post fornicationes, post adulteria, post incestus, nec ipsæ quidem apud aliquos ignominiæ passiones et turpitudinis opera desunt. Utinam non fierent quæ usque adeò non conveniunt, ut nec Apostolum scribere hæc (*Ephes.* V. 4.), nec nos dicere oporteret! Utinam nec dicentibus crederetur, quòd humanum aliquando occupaverit animum tam abominanda cupido.

Cap. 21. *n.* 38. Utinam tamen quisquis sic intrat, si fieri posset, tam fideliter ministraret, quàm fiducialiter se ingessit : at difficile fortassis et impossibile est, ut ex amara radice ambitionis, suavis fructus prodeat charitatis.

Eadem docent Auctores Ecclesiastici quos hîc referre supervacaneum foret. De ea re legendus liber, cui Titulus, De vocatione ad statum Ecclesiast. *De la vocation à l'état Ecclésiastique.*

(C) CATECHIS. CONCIL. TRIDENT. *De Ord. sacram. n.* 3. Hujus igitur tanti officii onus nemini temerè imponendum est; sed iis tantùm, qui illud vitæ sanctitate, doctrinâ, fide, prudentiâ sustinere possint. *Nec*

I. Licetne criminosos ad Clericatum provehere, postquam diù pœnitentiam egerint ?

R. Id non licebat olim. Si quis enim Baptismalem innocentiam, maximè per peccata caruis amisisset, sacris Canonibus qui per secula ferè decem viguerunt, interdictum erat ipsi ab Ordinibus sacris in perpetuum.

Jam viget alia disciplina à multis seculis. Admittit nunc Ecclesia criminosos ad Clerum sub certis conditionibus. 1° Si crimina illa occulta fuerint, nec ullam annexam habuerint infamiam. 2° Si diuturnâ pœnitentiâ fuerint expiata ; ita ut qui ea perpetravit olim, jam dici possit verè irreprehensibilis. 3° Si magis è re Ecclesiæ fuerit pœnitentem adscisci ad Clerum, quàm si permaneret in statu laïcali. 4° Si adsint aliundè legitima signa Divinæ vocationis. (D)

I. Quinam dici debent verè vocati ad statum clericalem, vel ad sacros Ordines ?

R. Qui cùm aliundè digni sint, habeantque dotes et dispositiones suprà dictas, non sibi sumunt clericatûs honorem, non ipsi se offerunt promovendos ; sed exspectant donec vocentur vel à proprio Episcopo, vel ab iis qui tenent hac in parte locum proprii Episcopi : vel certè nihil agunt

verò *quisquam sumet sibi honorem ; sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* (*Hebr.* v. 4.) Vocari autem à Deo dicuntur, qui à legitimis Ecclesiæ ministris vocantur. Nam qui in hoc ministerium se ipsos arroganter inferunt, atque intrudunt, de his Dominum intellexisse docendum est, cùm inquit : *non mittebam Prophetas, et ipsi currebant* (*Jer.* XXIII. 21.) ; quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miserius, nihil Ecclesiæ calamitosius esse potest.

N. 4. Sed quoniam in omni actione suscipienda magnoperè refert, quem sibi quisque finem constituat, (optimo enim fine posito, rectè omnia consequuntur) de hoc imprimis, qui sacris initiari volunt, admonendi sunt, ut nihil sibi tanto munere indignum proponant : qui quidem locus eò diligentiùs tractandus erit, quò graviùs hoc tempore ea in re peccare fideles solent.

N. 5. Alii enim eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt : ut quæ ad victum, vestitumque necessaria sunt, parent : ita, ut præter quæstum, nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgò cæteri omnes in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli : sententia, natura, et divina lex jubeat, ut qui altari servit, ex altari vivat (1. *Cor.* IX. 13.) : tamen quæstûs, et lucri causâ ad altare accedere, maximum sacrilegium est. Alios honorum cupiditas, et ambitio ad sacerdotalem ordinem ducit.

N. 6. Alii verò, ut divitiis affluant, initiari volunt, cujus quidem rei illud argumento est, quòd nisi opulentum aliquod Ecclesiasticum beneficium iis deferatur, nullam sacri ordinis cogitationem habent : hi verò sunt, quos Salvator noster mercenarios appellat (*Joan.* X. 12. 13.) : et quos Ezechiel dicebat, semetipsos, et non oves pascere (*Ezech.* XXXIV. 2. *et seq.*) : quorum turpitudo, et improbitas non solùm Sacerdotali ordini magnas tenebras offudit, ita ut jam nihil ferè à fideli populo haberi possit contemptius et abjectius : verùm etiam efficit ut ipsi nihil ampliùs ex Sacerdotio consequantur, quàm Judas ex Apostolatûs munere, quod illi sempiternum exitium attulit.

N. 7. Illi autem ostio in Ecclesiam introïre meritò dicuntur (*Joan.* X. 1. *et seq.*), qui à Deo legitimè vocati Ecclesiastica munera ejus unius rei causâ suscipiunt ut Dei honori inserviant.

(D) *Vide quæ diximus* §. *superiori*, *litt.* (O. S. T.)

nisi de consilio Confessarii periti, et in Ecclesiæ canonibus et regulis apprimè versati, et in viis Domini exercitatissimi, et zelo domûs Dei accensi. Cæterùm est quòd valdè suspectum habeatur id vocationis genus, quod fundamentum habet in sola sui ipsius electione, quantumvis intentio recta esse videatur. (E)

I. Cur suspectum debet esse genus illud vocationis ?

R. Propter hæc Apostoli verba (*Hebr.* v. 4. 5.) : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret ; sed qui locutus est ad eum ; Filius meus es tu ; ego hodie genui te.* (*Psal.* II. 7.)

I. Licetne parentibus filios suos ad statum Clericalem destinare ?

R. Sanctum et laudabile est filios suos offerre Ecclesiæ promovendos ad Clericatum, si vocentur à Deo : eosque propterea sanctè et piè, et ut Clericos decet instituere : modò tamen studiosè caveatur ab abusibus et erroribus qui solent hac in parte subrepere. (F)

I. Quinam sunt illi errores et abusus ?

R. 1. Sunt qui filios suos nolentes et repugnantes ad Clericatum impellant.

2. Alii eos solùm offerunt Ecclesiæ promovendos, quos

(E) S. GREG. MAGG. *Reg. Pastor. part.* 1. *cap.* 9. Sed plerumque hi qui subire magisterium pastorale cupiunt, nonnulla quoque bona opera animo proponunt : et quamvis hoc elationis intentione appetant, operaturos tamen se magna pertractant : fitque ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, et fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat : quæ principari appetens, fit ad hoc pavida cùm quærit, audax cùm pervenerit. Timens enim, ne non perveniat trepidat : sed repentè perveniens, jure sibi hoc debitum ad quod pervenerit putat. Cumque percepti principatûs officio perfrui seculariter cœperit, libenter obliviscitur quidquid religiosè cogitavit.... Inter hæc itaque quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat ? Ille si omninò renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudarium ligans (*Luc.* XIX. 20.), de ejus occultatione judicetur. Pecuniam quippè in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti temporis abscondere.

(F) 1. REG. I. 10. Cùm esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, 11. et votum vovit, dicens : Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem : dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus.... 20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuël : eò quòd à Domino postulasset eum. 21. Ascendit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam solemnem, et votum suum, 22. et Anna non ascendit : dixit enim viro suo : Non vadam, donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi jugiter..... 24. Et adduxit eum ad domum Domini in Silo.... 25.... Et obtulerunt puerum Heli. 26. Et ait Anna : Obsecro mi Domine : vivit anima tua Domine : Ego sum illa mulier, quæ steti coram te hîc orans Dominum : 27. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum. 28. Idcircò et ego commodavi eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino.

vel præ tarditate ingenii, vel præ corporis deformitate putant esse rebus gerendis minùs idoneos.

3. Alii passim præ ambitione, vel alia quacunque cupiditate volunt filios suos in Clericum cooptari.

4. Alii spectant solùm vel ad familiæ levamen, vel ad successionem velut hæreditariam Beneficiorum.

5. Alii dispensationes postulant et surripiunt, nullâ habitâ ratione necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ.

6. Alii importunis et præposteris apud Episcopos vel Magnates precibus et sollicitationibus hoc agunt, ut infringantur Ecclesiæ leges, et à sacrorum Canonum severitate remittatur, et laxentur habenæ cupiditati.

Ex his abusibus et vitiis multa plerumque et gravia sequuntur incommoda.

1° Ut plurimùm non adest Deus, nec adspirat iis qui hac ratione in Clerum adscripti sunt; ipsique sæpissimè sunt familiæ suæ dedecus, Ecclesiæ scandalum, opprobrium hominum, et abjectio plebis.

2° Exercet vindictam suam Deus in eos qui talia agunt: et hinc sæpè subversio et ruina familiarum quæ opulentiores et firmiores esse videbantur.

3° Si fortè illi non puniantur in hoc seculo, ideò reservantur ut dent in seculo venturo pœnas acerbiores et æternas.

4° Exstant multa in Scripturis exempla vindictæ Divinæ in invasores Sacerdotii vel ministerii antiquæ legis: Et exempla illa typus fuêre eorum quæ multò magis metuenda sunt ab iis qui Sacerdotium vel ministerium novæ legis usurpant, vel eorum parentibus qui ad sancta sanctorum introducunt non vocatos à Deo. Core, Dathan, Abiron et Hon aliique adversùs Moysen et Aaron insurgentes, usurpare voluerunt vel Sacerdotium vel Pontificatum legis antiquæ; eos cum suis omnibus terra absorbuit, et descenderunt in infernum viventes. (G) Osias Rex Juda adolere voluit

(G) NUM. XVI. 1. Ecce autem Core filius Isaar, filii Caath, filii Levi, et Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, 2. surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur. 3. Cumque stetissent adversùm Moysen et Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus: cur elevamini super populum Domini? 4. Quòd cùm audisset Moyses, cecidit pronus in faciem: 5. Locutusque ad Core et ad omnem multitudinem: Manè, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi: et quos elegerit, appropinquabunt ei. 6. Hoc igitur facite: Tollat unusquisque Thuribula sua, tu Core, et omne concilium tuum: 7. et hausto cras igne, ponite desuper Thymiama coram Domino: et quemcunque elegerit, ipse erit sanctus... 17... Aaron quoque teneat Thuribulum suum. 18. Quod cùm fecissent, stantibus Moyse et Aaron, 19. et coacervassent adversùm eos omnem multitudinem ad ostium Tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini: 20. Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait: 21. Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repentè disperdam. 22. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? 23. Et ait

incensum super altare Thymiamatis : illicò percussit eum Dominus, et fuit leprosus usque in diem mortis suæ. (H)

§. 4. De Tonsura Clericali.

I. Quid est Tonsura ?

R. Tonsura est ritus sacer, quos quis in Clerum adscisciatur, et fit capax Beneficiorum et Ordinum : et exindè gaudet omnibus Cleri privilegiis. (A)

Dominus ad Moysen : 24. Præcipe universo populo ut separetur à Tabernaculis Core, et Dathan et Abiron. 25. Surrexitque Moyses, et abiit ad Dathan et Abiron : et sequentibus eum senioribus Israel, 26. dixit ad turbam : Recedite à Tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. 27. Cumque recessissent à tentoriis eorum per circuitum, Dathan, et Abiron egressi stabant in introïtu papilionum suorum, cum uxoribus et liberis, omnique frequentia. 28. Et ait Moyses : In hoc scietis, quòd Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernit, et non ex proprio ea corde protulerim : 29. Si consuetà hominum morte interierint et visitaverit eos plaga, quâ et cæteri visitari solent, non misit me Dominus : 30. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quòd blasphemaverint Dominum. 31. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum : 32. et aperiens os suum, devoravit illos cum Tabernaculis suis et universa substantia eorum. 33. Descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. 34. At verò omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens : Ne fortè et nos terra deglutiat. 35. Sed et ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. 36. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 37. Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, et ignem hùc illucque dispergat : quoniam sanctificata sunt 38. in mortibus peccatorum : producatque ea in laminas et affigat altari, eò quòd oblatum sit in eis incensum Domino, et sanctificata sint, ut cernant ea pro signo et monimento filii Israël. 39. Tulit ergo Eleazar Sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, et produxit ea in laminas, affigens altari : 40. ut haberent postèà filii Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, et omnis congregatio ejus.

(H) 4. Reg. xv. 5. Percussit autem Dominus Regem, (Oziam seu Azariam) et fuit leprosus usque in diem mortis suæ, et habitabat in domo libera seorsùm : Joathan verò filius Regis gubernabat palatium, et judicabat populum terræ.

2. Paralip. xxvi. 16. Sed cùm roboratus esset (Ozias) elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum ; ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. 17. Statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos, et cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi. 18. restiterunt Regi, atque dixerunt : Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium : egredere de sanctuario, ne contempseris : quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. 19. Iratusque Ozias, tenens in manu Thuribulum ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis. 20. Cùmque respexisset eum Azarias Pontifex, et omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinatò expulerunt eum. Sed et ipse perterritus, acceleravit egredi, eò quòd sensisset illicò plagam Domini. 21. Fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus leprâ, ob quam ejectus fuerat domo Domini.

(A) S. Isidor. Hispal. *lib.* 2. *de offic Eccles. cap.* 4. *de Tonsura.* Ton-

Hic autem ritus ideò Tonsura dicitur, quia in eo tondentur capilli.

I. In quo positus est ille ritus ?

R. In tribus potissimùm.

1. Primâ Tonsurâ initiandus sistit se coram Episcopo talari veste indutus, habens superpelliceum in brachio sinistro, et cereum in dextera manu.

2. Episcopus post fusam orationem, incidit ipsi capillorum extremitatem in modum crucis. Qui autem tondetur dicit intereà hæc verba : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Ex Psalmo decimo quinto *v.* 5.

3. Fundit iterùm Episcopus orationes aliquot. Et demùm imponit novo Clerico superpelliceum, dicens : *Induat te Dominus novum hominem, qui creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* (Forma Tonsuræ alludens ad *Ephes.* IV. 24. *et Coloss.* III. 10.)

I. Cur initiandus primâ tonsurâ sistit se coram Episcopo talari veste indutus ?

R. Quia vestem talarem deferre tenentur Clerici, ex sacrorum Canonum sanctione. (B)

suræ Ecclesiasticæ usus à Nazareis, nisi fallor, exortus est. qui priùs crine servato, denuò post vitæ magnæ continentiam devotione completâ, caput radebant, et capillos in ignem sacrificii ponere jubebantur ; scilicet, ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi qui divinis cultibus mancipati, Domino consecrantur quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, crine præciso innoventur. Hoc quippè et Ezechieli prophetæ jubetur, dicente Domino, *Tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, et duces per caput tuum et barbam* (*Ezech.* V. 1.), videlicet quia et ipse Sacerdotali genere Deo in ministerium sanctificationis deserviebat. Hoc et Nazaræos illos Priscillam et Aquilam in Actibus Apostolorum primos fecisse legimus, (*Act.* XVIII. 18.) Petrum quoque Apostolum, et quosdam Discipulorum Christi, qui in hujusmodi cultu imitandi exstiterunt. Est autem in Clericis tonsura signum quoddam quod in corpore figuratur, sed in animo agitur, scilicet ut hoc signo in religione vitia resecentur, et criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus ut comis rudibus enitescamus, *exspoliantes nos*, juxta Apostolum, (*Coloss.* III. 9.) *veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum qui in agnitionem Dei renovatur.* Quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi mens noscitur habitare.

Quòd verò detonso capite superiùs, inferiùs circulis corona relinquitur, Sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari; Tiara enim apud veteres constituebatur in capite Sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat quasi sphæra media, et hoc significatur in parte capitis tonsa. Coronæ autem latitudo aurei est circuli, qui regum capita cingit. Utrumque itaque signum exprimitur in capite Clericorum, ut implcatur etiam quadam corporis similitudine quod scriptum est. Petro Apostolo docente, *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium* (1. *Petr.* II. 9.)

(B) CONCIL. CARTHAG. IV. *an.* 398. *can.* 55. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1204. Clericus professionem suam et in habitu et in incessu probet ; et nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat.

CONCIL. LATER. IV. 1215. *can.* 16. *tom.* 11. *Concil. Labb. col.* 169. Coronam et tonsuram habeant congruentem... Clausa deferant desuper indumenta, nimiâ brevitate vel longitudine non notanda.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 23. *de reformat. cap.* 6. Nullus, primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum

I. Cur habet cereum in manibus ?

R. Ut offerat eum Episcopo, qui Christi vice fungitur. Porrò ritum hunc oblationis cereorum infrà explicabimus datà operâ. (*Hujusce Partis Sect.* 2. *Cap.* 6. §. 3.)

I. Cur tondet eum Episcopus ?

R. Ut moneat eum abjicienda ipsi esse omnia superflua, et renuntiandum mundo.

I. Cur interim dicit qui tondetur verba hæc Psalmi XV. *Dominus pars*, etc.

R. Ut solemniter profiteatur se reipsâ renuntiare mundo; sumereque Deum pro parte hæreditatis suæ; velleque in perpetuum Divino servitio et ministerio mancipari. Hinc *Clerici* nomen illis omnibus inditum, qui primâ tonsurâ sunt initiati : quo nomine intelligimus in sortem et hæreditatem Domini vocari eos, qui per capillorum solemnem detonsionem destinantur sacris ministeriis. Idem enim significat vox Græca *Cleros*, quod sors et hæreditatis portio.

I. Cur Episcopus superpelliceo induit mox detonsos ?

R. 1. Ut intelligant jam esse se Clericos, et habere jus deferendi superpelliceum, quæ Clericorum sacra vestis est.

2. Ut doceantur exspoliato veteri homine induendum esse novum (*Ephes.* IV. 24. *Col.* III. 10.), et ambulandum in innocentia, quæ per candorem superpellicei designatur. (C)

quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat; aut clericalem habitum, et tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur.

Sess. 24. *de reformat. cap.* 12. Vestitu insuper decenti tam in Ecclesia quàm extra assiduè utantur (*Clerici*).

Concil. Provin. Mediolan. I. *sub* S. Carol. *part.* 2. §. *de Cleric. vestitu, etc. pag.* 17. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique Clerici, Clericali tonsurâ sint insigniti, ad eam formam, quam ratio uniuscujusque ordinis, Episcopi arbitrio postulabit. Ita sint abraso capillo, ut tonsura conspicua sit omnibus... Externa vestis simplex ac talaris erit, quæ neque à cervicibus in tergum reflectatur; sed apto ad collum nodo decentissimè annexa sit. Toga verò quod mantelletum vocant, aut æquetur cum tunicæ longitudine, aut nemini permittatur, nisi sit ex numero Prælatorum, quibus ex dignitatis gradu, judicio Episcopi debeatur. Interior ejusdem generis ad talos demittatur; quam tamen pro hominum genere, proque loci natura ac conditione, Ordinariorum arbitrio, in aliquibus moderandam relinquimus. Pallium, quod ferrarolum appellant, ne sumant, nisi per pluvias; tum verò nec à collo plus duobus digitis emineat; neque eo sine talari toga vel tunica utantur. Verumtamen si iter faciendum sit, illis uti liceat habitu contractiore, et ad iter accommodato; sed simplici, et in quo honestas et decorum Ordinis eluceat.

(C) *In Ecclesia Constantinopolitana sedente* S. Joan. Chrysost. *albis saltem vestibus utebantur Clerici, nam homil.* 82. *aut* 83. *in Matth. postquam indignos à sacra mensa arceri debere ab Ecclesiæ ministris docuit, hæc addit :* Idcircò vos Deus tanto voluit honore decorare, ut hæc diligentissimè discernatis. Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona præcipua, non ut tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambuletis. *An hæc candidissima tunica tanea fuerit aut linea, penès doctiores sit judicium : de superpelliceo certè non agitur.*

I. Cur Clerici cujuscunque gradûs et ordinis tonsos et rasos in orbem, instar coronæ, capillos gerunt in summitate capitis?

R. Ut hac exteriori coronâ veluti tesserâ secernantur à laïcis, ex Ecclesiæ Sanctionibus. (D)

I. Vigetne jam diù coronæ Clericalis usus in Ecclesia?

R. Hunc fuisse à Petro Apostolo institutum existimavit Gregorius Turonensis. (E) Non omnium ea mens est. Probabilius est nonnisi circa sextum seculum id moris invectum in Ecclesiam fuisse. Rem fusiùs explico.

Prioribus Ecclesiæ seculis Sacerdotes cæterique viri Ecclesiastici nullâ exteriori veste distinguebantur à laïcis. Id unum observabant, ut magna esset in exteriori habitu modestia. Id patet ex Epistola Cælestini Papæ ad Episcopos Provinciarum Viennensis et Narbonensis scripta anno 428. Suborientibus nimirùm persecutionibus, factum fuerat ut cavendum esset Sacerdotibus ne exteriori habitu à laïcis dignosci possent; quod et servatur etiamnum in illis regionibus, in quibus interdicitur publicum exercitium Catholicæ religionis. Ex libris autem S. Gregorii Magni, qui vixit ineunte sexto seculo constat jam tunc alias fuisse Clericorum vestes à laïcorum vestibus. (F) Quod spectat ad coronam Clericalem, usus ejus in omnibus Ecclesiis septimo et octavo seculo jam vigebat, nec recens habebatur. Quin et credebatur tunc à nonnullis Petrus Apostolus id moris

HONORIUS Augustod. *in Gemma animæ, de antiq. ritu Missæ lib.* 1. *cap.* 202. *de Alba.* Dehinc alba induitur, quæ in lege tunica linea vel talaris, apud Græcos poderis dicitur; per hanc castitas designatur, quâ tota vita Sacerdotis decoratur... Hæc vestis albedine candet, quia sanctitas coram Deo inter Angelos splendet.

(D) CONCIL. PROVINC. MEDIOL. I. *Vide suprà hocce §. litt.* (B)

CONCIL. NARBON. *an.* 1551. *can.* 15. Statuit hæc Synodus, ut Clerici sacros Ordines consecuti, coronam gerant grandem, rotundam et apertam, Ordinibus in quibus constituti sunt congruentem.

CONCIL. AQUENS. *an.* 1585. *tit. quæ ad sacram. Ordinis administrat. pertinent.* Qui verò aliquo minore, majoreve Ordine initiandus est, testimonium afferat... de habitu clericali post ordinem proximè susceptum à se continuè gestato.

(E) S. GREGOR. TURON. *lib.* 1. *de glor. Martyr. cap.* 28. Petrus Apostolus, ob humilitatem docendam, caput desuper tonderi instituit.

CONCIL. CARTHAG. *an.* 398. *can.* 44. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1203. Clericus nec comam nutriat, nec barbam.

CONCIL. AGATH. *an.* 506. *can.* 20. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1386. Clerici qui comam nutriunt, ad Archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detondeantur. Vestimenta vel calceamenta etiam eis, nisi quæ religionem deceant, uti vel habere non liceat.

CONCIL. BARCIN. *an.* 540. *can.* 3. *tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 378. Ut nullus Clericorum comam nutriat, aut barbam radat.

MARTIN. BRACAR. *an.* 572. *can.* 66. *tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 912. Non oportet Clericos comam nutrire, et sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus: et secundùm Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ordinato.

(F) *Id ex verbis ejus erui potest, si quidem Homil.* 4. *in Evang. laïcos ita alloquitur*: Vos, Fratres charissimi, quos secularis habitus tenet: *quibus verbis innuere videtur Clericos à laïcis veste exteriori distinctos fuisse.*

instituisse, quod negabant alii. Non moror in libro Pontificali Damasi et in Epistola decretali Aniceti; hæc enim scripta spuria et supposita fuisse jam constat apud omnes eruditos. In canone 41. Concilii IV. Toletani habiti anno 633. hæc leguntur: *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitæ et Sacerdotes detonso superiùs toto capite, inferiùs solam circuli coronam relinquant: non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis ut laïci comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque Hæreticorum fuit. Undè oportet ut pro amputando Ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, et una sit tonsura vel habitus sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicæ reus erit.*

Habes hîc totum hujus Concilii canonem, circa cujus intelligentiam nonnulla in rem nostram veniunt observanda. 1. Hinc patet olim Clericorum coronam vix discrepasse ab hodierna Monachorum corona, quem morem etiamnum observant in omnibus ferè Ecclesiis quos pueros chori dicimus, qui sive in exteriori habitu, sive in standi et procedendi ritu, multa alia servant etiamnum in choro quæ ab omni clero servabantur olim. Illi veterum rituum tenaciores ideò sunt, quia non licuit ipsis sub Magistrorum disciplina constitutis ab usibus receptis discedere: cæteri licentiam contra veteres Ecclesiæ mores nunc hanc, nunc illam sibi temerè sumpserunt; quæ tandem licentia usu invaluit, et mutavit subindè antiquam illis in rebus Ecclesiæ disciplinam, cujus tamen vestigia in signum antiquitatis à pueris chori retenta sunt.

Observa secundò quod habetur in hoc Canone, hunc fuisse olim in Hispania hæreticorum ritum ut coronam gestarent in capite qualem jam gerunt Græci, qui prolixis more laïcorum comis solum circulum in summitate capitis tondent. Hæc meritò reprehendebat olim Ecclesia, propter hæreticorum morem, quos imitari nefas fuit. Non tamen id in Græcis jam Ecclesia reprehendit; quia in his quæ ad disciplinam pertinent potest usus varius esse, et uterque laudabilis: suum cuique licet servare ritum. Apud nos non laxantur quidem capilli laïcorum more, sed tondentur, ita ut aures pateant. Alioqui hunc jam morem et nos tenemus, ut solus in capite circulus ad modum coronæ radatur. (G)

I. Quinam ad primam tonsuram eligendi sunt?

(G) Vener. Beda *lib. 4. Historiæ Angl. cap.* 1... Qui (Theodorus) Subdiaconus ordinatus, quatuor exspectavit menses: donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram more Orientalium sancti Pauli Apostoli, qui ordinatus est à Vitaliano Papa Anno Dominicæ Incarnationis 668. sub die 7. Kalendarum Aprilium Dominicâ.

Lib. 5. cap. 22... Naïtanus Rex Pictorum..... misit legatorios ad virum venerabilem Ceolfridum, Abbatem Monasterii Beatorum Apostolorum Petri et Pauli.... postulans ut exhortatorias sibi litteras mitteret.... de tonsuræ modo vel ratione quâ Clericos insigniri deceret. Cujus religiosis

R. Qui divinæ vocationis signa dant, qualia superiùs exposuimus (*Paragrapho superiore*), et de quibus sperare liceat fore ut deinceps ad Ordines promoveri possint. (H)

I. Cur illi solùm eligendi sunt de quibus spes effulgeat fore ut possint ad Ordines promoveri ?

R. Quia Tonsuræ ritus institutus est, ut esset præparatio ad Ordines, et si fas ita loqui tyrocinium Ordinum, et veluti novitiatus. At nemo ad tyrocinium artis admittitur, de quo sperare non liceat hunc ad artem aptum fore ; nemo habitu religionis induitur, de quo sperare non liceat hunc

votis ac precibus favens reverendissimus Abbas Ceolfridus, misit... litteras scriptas in hunc modum : Domino Excellentissimo et gloriosissimo Regi Naïtano, Ceolfridus Abbas in Domino salutem... Tonsuram (de qua vobis litteras fieri voluisti) hortor, ut Ecclesiasticam et Christianæ fidei congruam habere curetis. Et quidem scimus, quia neque Apostoli omnes uno eodemque sunt modo attonsi, neque nunc Ecclesia Catholica sicut unà fide, spe et charitate in Deum consentit, ita etiam unâ atque indissimili totum per orbem tonsuræ sibi formâ congruit... neque verò ob id tantùm in coronam attondimur, quia Petrus ita attonsus est : sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est, idcircò et nos, qui per eamdem passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summâ videlicet corporis nostri parte, gestamus... formam quoque coronæ, quam ipse in passione sua spineam portavit in capite, ut spinas et tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret et auferret à nobis, suo quemque in capite per tonsuram præferre : ut se etiam irrisiones, et opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant, et coronam vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, (*Jacob.* 1. 12.) semper exspectare, proque ejus perceptione et adversa se mundi et prospera contemnere designent... Attondebantur omnes in coronam ministri altaris, ac monachi.

AMALAR. *lib.* 2. *de officiis Eccles. cap.* 5. Non enim præcipitur Christiano, ne aliquando cogitet de temporalibus, sine quibus præsens vita non transigitur : sed esse debere partem animæ quæ temporalia regit, subditam menti, sicut mulier est viro. Quapropter capilli in inferiori parte capitis manent. Circulus verò, capillorum virtutem, æqualitatis rationi undique consentientem, significat... Superiorem partem capitis rasorio sæpè renovamus, cùm forti sollicitudine superfluas temporariasque cogitationes de superiore parte animi resecamus. In inferiore parte coronam portamus, cùm ea, quæ secundùm mundum necessariò gubernare debemus, concorditer cum ratione æquamus. Hoc providendum est, ut ne ipsi capilli, id est, curæ hujus mundi superfluè crescant, ne aures cordis cooperiant, et oculos impediant, quæ solent sæpè suffocare verbum seminantes.

S. ISIDOR. *suprà hocce* §. *litt.* (A)

(H) SYNOD. ROTHOM. *an.* 1581. *apud* BOCHELL. *lib.* 3. *Decret. Eccles. Gallic. tit.* 2. *cap.* 10. Primâ tonsurâ non initientur, nisi qui attulerint in scriptis fidele testimonium à Paræco, quòd nati sint de legitimo matrimonio, et quòd Confirmationis sacramentum susceperint, quique fidei rudimenta, et imprimis Symbolum Apostolorum noverint recitare, et de quibus fuerit probabile, eos non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc genus elegisse.

CONCIL. BURDIGAL. *an* 1582. *ibid. cap.* 11. Nullus primâ tonsurâ initietur qui sacramentum Confirmationis non susceperit, vel fidei rudimenta non tenuerit, vel legere ac scribere nescierit, vel denique qui ex conjectura probabili existimabitur, ob alium finem, quàm ut Deo fidelem et perpetuum cultum præstet, hoc vitæ genus elegisse.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 23. *cap.* 4. *Laudatur infrà in subsequente Responsione.*

ad professionem religionis admittendum. Idem esto judicium de prima Tonsura.

I. Quâ ætate licet admittere pueros ad Tonsuram ?

R. Id unum requirit Concilium Tridentinum (*Sess.* 23. *cap.* 4.), ut *Primâ tonsurâ non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant; et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* Ætatem ergo non præfixit Tridentina Synodus. Sed plerique Episcoporum jam neminem ante decimum quartum ætatis annum vel inchoatum vel exactum ad Clerum adsciscunt : idque gravibus de causis.

I. Quid causæ est cur satius sit pueros ante decimum quartum ætatis annum non adscisci in Clerum ?

R. Concilium Tridentinum in Decreto de Seminariorum erectione, vult recipi posse in eo duodecim annorum pueros, qui tonsuram et habitum Clericalem gerant, et instituantur iis disciplinis quæ Clericos decent. Id quidem rectè, si penès Episcopos foret arcere Clericos indignos à Beneficiis ; si ubi primâ tonsurâ fuissent initiati traderentur viris peritis imbuendi sacris litteris, et ad omne opus bonum, ut decet, instituerentur procul ab hominum corruptorum consortio, ex mente Ecclesiæ. (1) Id si ita esset, possent juxta Concilii Tridentini mentem pueri ab anno ætatis duodecimo adscisci in Clerum. Sed patet experientiâ parentes solâ cupiditate duci ut filios suos ad Clerum impellant ; horum ubi tonsurâ initiati sunt, negligi prorsùs institutionem ; penès Episcopos non esse ut illi in collegiis Clericorum ad omne opus bonum instituantur, ut fert Concilii Tridentini sanctio. (*Sess.* 23. *cap.* 28. *de reform.*) Illorum

(1) Concil. Trident. *Sess.* 23. *de Reformat. cap.* 18. Cùm adolescentium ætas, nisi rectè instituantur, prona sit ad mundi voluptates sequendas ; et nisi à teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret : sancta Synodus statuit, ut singulæ Cathedrales Metropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum, et Diœcesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis, et Diœcesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc propè ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, et Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc verò collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuò inservituros. Pauperum autem filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modò suo sumptu alantur, et studium præ se ferant Deo et Ecclesiæ inserviendi.... Ut verò in eadem disciplina Ecclesiastica commodiùs instituantur, tonsurâ statim atque habitu clericali semper utentur, grammatices, cantûs, computi Ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent : sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, Homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad Confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac cæremoniarum forma ediscent.

subindè mores corrumpi ac depravari, nec posse Episcopos impedire quominùs perditi moribus beneficia Ecclesiastica obtineant, et impendant fructus eorum in pravos usus; quin et ad sacros Ordines quandoque promoveantur. Hinc fit ut Episcopi non minorem ferè cautionem et probationem adhibere cogantur in Clerico faciendo, quàm in sacris Ordinibus conferendis; Adeoque teneantur eam exspectare ætatem in qua singulorum indoles, et peritia, et animus, et vocatio faciliùs dijudicari queant.

I. Quæ debent esse dispositiones in suscipientibus primam Tonsuram?

R. 1. Sic affecti esse debent, ut firmum habeant propositum manendi in statu Clericali ad mortem usque.

2. Animum habere debent alienum ab omni concupiscentia, ab omni avaritia, ab omni superbia.

3. Parati debent esse ad obediendum in omnibus suo Episcopo et sacris Canonibus.

4. Debent hoc habere in mente, sibi deinceps ferenda esse jugiter Clericatûs insignia, coronam, capillitium, habitum Clericalis ordinis.

5. Alieni debent esse à mundi consortio et moribus, et oblectationibus, et ludis omnibus, qui Clericis ex Ecclesiæ sanctione prohibentur.

6. Debent sacrarum litterarum studium amplecti, ut scientiam Sanctorum assequi valeant. Et orationi sedulò incumbere, ut Spiritum Dei ad se trahant.

7. Denique vitam agere debent non ut vulgus hominum mollem et inertem et voluptati deditam, sed ut Christi discipulum et vocatum in sortem Domini decet, duram et laboriosam et asperam. (K)

I. Peccantne qui aliter affecti primâ Tonsurâ initiantur?

R. Peccant certè, non solùm ipsi, sed et eorum parentes, qui cupiditate acti filios impellunt ad Clerum. Sentient illi Deum seriùs ociùs suæ temeritatis et cupiditatis vindicem et ultorem. (L)

I. Quinam sunt effectus primæ tonsuræ?

R. Per eam 1° Vir in ordinem Cleri cooptatur.

2° Gaudet Cleri privilegio.

3° Disponitur ad Ordines.

4° Fit capax Beneficiorum Ecclesiasticorum. (M)

(K) *Vide* CONCIL. MEDIOLAN. *sub* S. CAROL. *super.* §. *litt.* (A) *Lege etiam librum cui Titulus:* Disciplinæ Ecclesiasticæ Regulæ ex Conciliis et SS. Patribus depromptæ: Règles de la discipline Ecclésiastique, tirées des Conciles et des SS. Pères, Paris, Josset: *librum* à D. TRONSON. *conscriptum sub hoc titulo:* Forma cleri, Lugd. Certe: *et* Compendium Disciplinæ Ecclesiasticæ, Abrégé de la discipline de l'Eglise, Paris, Simart.

(L) *Vide* S. BERNARD. *locis citatis* §. *super. litt.* (B)

(M) PONTIF. ROM. *tit. de Clerico faciendo pag.* 13. *Post collatam tonsuram clericos his verbis alloquitur Episc.* Filii charissimi, animadvertere debetis, quòd hodie de foro Ecclesiæ facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis, etc.

§. 5. De Beneficiis Ecclesiasticis. Quæ sint munera et officia Collatorum, Patronorum eligentium ad Beneficia.

I. Quid est Beneficium Ecclesiasticum ?

R. Beneficium est titulus Ecclesiasticus, quo datur jus perpetuum percipiendi certam aliquam portionem bonorum Ecclesiæ, propter officium et ministerium huic titulo ex institutione Ecclesiæ annexum.

Beneficii nomen hoc modo sumptum prioribus Ecclesiæ seculis incognitum fuit. Olim Ecclesiæ bona in commune referebantur, eorum præcipua administratio penès Episcopum erat. Is dabat singulis pro ratione officii, et ministerii, et dignitatis, et meritorum, quod cuique necesse esset; cætera in expensas communes, in sarta tecta, in ornamentum Ecclesiarum, in pios usus, in pauperes expendebantur. Succedente dehinc tempore constitutum est quæ esset portio Episcopi, quæ Cleri, quæ pauperum, quæ verò esset ad ornamenta et Fabricam et sarta tecta Ecclesiæ, et onera communia distrahenda. Tandem res sensim deductæ sunt in eum statum in quo nunc sunt.

Prætermissis ergo iis omnibus quæ pertinent ad veterem de bonorum Ecclesiasticorum usu et administratione disciplinam, acturi sumus de Beneficiis juxta Canones qui hodierno usu recepti sunt: agemus, inquam, de iis quantùm necesse est ad eruditionem populi Christiani; multò plura dicturi, si de instituendis Clericis ageretur. Christiano populo sufficit ea nosse, ex quorum cognitione avocari possint à vitiis in quæ præ nimia erga suos cupiditate prolabi solent in re Beneficiaria.

I. Quænam dotes requiruntur ad obtinendum beneficium ?

R. Prima saltem tonsura, mores integri, habilitas ad ritè implenda omnia munia et officia quæ beneficio annexa sunt: Id est Ordo, gradus, scientia requisita ad beneficium. Si Beneficium annexam habeat curam animarum, necessaria est scientia et peritia ritè prædicandi verbi Dei, Sacramenti ritè ministrandi. Si sit Canonicatus, necessaria est canendi solertia : si sit cathedralis Ecclesiæ dignitas vel Præbenda, necesse est esse in electo dotes aliquas quibus possit utilis esse Ecclesiæ juxta destinationem Episcopi. Adeoque scientia, dotes, Ordo, gradus haberi debent majores minoresve pro modo et ratione Beneficii.

I. Quem eligere debent ad beneficia, Collatores, cæterique ad quos jus electionis competit ?

R. Digniorem.

I. Qui faciunt inter se Beneficiorum permutationem, vel qui resignant, ut aiunt, Beneficia in favorem coram summo Pontifice, tenenturne sicut et Collatores et Patroni digniorem eligere ?

R. Tenentur. Siquidem ipsi hâc in parte funguntur Patronorum vel eligentium officio : maximè in Gallia. Nam ex more

apud nos recepto, tenetur summus Pontifex admittere resignationes omnes in favorem, et permutationes Beneficiorum, nisi occurrat in iis aliquid vitii canonici : sive ut Canonistarum verbis utar, *signatura permutationum et resignationum est signatura justitiæ, non gratiæ.* Ideoque qui beneficia vel permutant vel resignant in favorem, quasi Patronorum vice funguntur : tenentur ergo non secùs ac illi digniores eligere.

I. Dignioris nomine quis intelligitur ?

R. Is intelligitur qui omnibus maturè perpensis, et habitâ ratione circumstantiarum, et onerum beneficii et ministerii, et officiorum ipsi annexorum utilis futurus est illi beneficio.

I. Nonne sufficit si dignus eligatur ?

R. Non sufficit ad conscientiam. Dignior eligi debet ; qui secùs faxit, is peccat.

Ad hoc ut electio impugnari non possit in foro judiciali, inquit S. Thomas (2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3.), *sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem : quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantùm ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune : quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, et alius præferatur, oportet quòd hoc sit propter aliquam causam. Quæ quidem si pertineat ad negotium, quantùm ad hoc erit ille qui eligitur magis idoneus ; si verò non pertineat ad negotium, id quod consideratur ut causa, erit manifestè acceptio personæ :* Adeoque peccatum.

I. Quale peccatum ? mortale, an veniale ?

R. Mortale quidem, si de Episcopatu quæstio sit, ut definivit Tridentina Synodus. (A) Hinc melioris notæ Theologi

(A) Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* Sancta Synodus..., statuit, ut, cùm primùm Ecclesia vacaverit, supplicationes ac preces publicè privatimque habeantur, atque à Capitulo per civitatem et diœcesim indicantur; quibus Clerus populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare. Omnes verò et singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcunque jus, quacunque ratione, à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant ; nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur et monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, et populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, et Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant ; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.

Cap. 18. Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit ; atque illi, et non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si verò juris patronatûs Ecclesiastici erit ; ac institutio ad Episcopum, et non ad alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare tenetur, ut ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio, quàm ab Episcopo erit facienda ; tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat.

Concil. Basil. *an.* 1433. *sess.* 12. *Decret. de Elect. tom.* 12. *Concil. Labb. col.* 515. Hi, ad quos jus pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, ut

concludunt peccatum mortale esse, si quis non eligat digniorem ad Beneficia quibus animarum cura annexa est, vel ad ea quibus non minùs è re Ecclesiæ est eligi viros meritis conspicuos : verbi gratiâ, ad dignitates et quandoque ad Canonicatus Ecclesiarum cathedralium, (B)

I. Cur debent eligi digniores ad beneficia ?

R. Quia hoc legitimi et prudentis dispensatoris officium postulat, ut cui creditum est hujusmodi munus, is non *quæret quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi* (*Philip.* II. 21.) et Ecclesiæ. Non quærit autem quæ sunt Jesu Christi et Ecclesiæ, qui minùs dignum digniori præfert humano affectu ductus. Facit ergo Ecclesiæ injuriam majorem minoremve pro majori vel minori indignitate electi, et pro majori vel minori beneficii dignitate et onere, ex quo majus minusve accidere detrimentum Ecclesiæ, vel plebi christianæ possit. Dicitur autem hæc injuria peccatum acceptionis personarum.

I. Videtur isthæc doctrina de eligendis dignioribus apta scrupulis temerè injiciendis. Quomodo enim potest dignosci quis dignior sit ?

R. Potest omnem scrupulum ea de re deponere, et sibi de peracto ritè munere blandiri, quisquis invocato supremo Numine, et rebus omnibus maturè perpensis, nullo privata

dignam coram Deo et hominibus electionem faciant, exactamque proindè apponant sollicitudinem, ut tales eligant qui tanto officio valeant satisfacere. Scientes quòd si vel dolosè vel negligenter ac timore Domini postposito in re tam gravi se gesserint, sicut auctores erunt et causa malorum Pastorum, ita participes fient pœnarum, quas ipsi mali Pastores in districto Dei judicio patientur.... Ad locum verò electionis ingressi pro quocunque Prælato, qui per electionem assumitur, jurabunt in manibus ejus qui Capitulo præsidebit, et ipse Præsidens in manibus eum immediatè sequentis, sub hac forma : *Ego N. juro et promitto omnipotenti Deo* et tali Sancto, vel Sanctæ, sub cujus vocabulo dedicata est Ecclesia, *cum eligere quem credam futurum Ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus utiliorem, nec illi vocem dare quem verisimiliter scivero promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se aut alium interpositâ, aut alias qualitercunque directè vel indirectè, pro se electionem procurare.*

(B) S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 63. *art.* 2. *in conctus.* Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. 1.), acceptio personarum est peccatum, in quantum contrariatur justitiæ. Quantò autem in majoribus aliquis justitiam transgreditur, tantò gravìùs peccat : Undè cum spiritualia sint temporalibus potiora, gravius peccatum est personas accipere in dispensatione spiritualium, quàm in dispensatione temporalium. Et quia personarum acceptio est, cùm aliquid personæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipsius, considerare oportet quòd dignitas alicujus personæ potest attendi dupliciter : uno modo simpliciter, et secundùm se ; et sic majoris dignitatis est ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis : alio modo per comparationem ad bonum commune : Contingit enim quandoque quòd ille qui est minùs sanctus et minùs sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam vel industriam secularem, vel propter aliquid hujusmodi : Et quia dispensationes spiritualium principaliùs ordinantur ad utilitatem communem secundùm illud 1. ad Cor. XII. 7. *Unicuique datur manifestatio spiritûs ad utilitatem*, ideò quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium, illi qui sunt simpliciter minùs boni, melioribus præferuntur : sicut etiam et Deus gratias gratis datas quandoque concedit minùs bonis.

Ad tertium. Vide suprà in Respons. præced.

affectu, nullà cupiditate, sed solo necessitatis et utilitatis Ecclesiæ studio ductus, elegit quem habuit et novit digniorem et Ecclesiæ utiliorem.

Si quis autem non potest per se ipsum omnia hac in re investiganda, et examini subjicienda perpendere, nec de his judicare ut par est; is, si invocato supremo Numine, et habito cum viris disciplinæ Ecclesiasticæ peritissimis, probitate conspicuis, ab omni prava cupiditate alienis, consilio, elegerit quem illi digniorem judicaverint: non est sanè quod det deindè scrupulis locum.

I. Possuntne Beneficia conferri consanguineis vel amicis?

R. Possunt, si sint digniores. Si secùs, non debent eligi. Et eligens eos peccat, et quidem cum Ecclesiæ offensione. Quod valdè cavendum: facile enim est in his sibi nimiùm blandiri. (C)

I. Soline Electores, Patroni, Collatores peccent in minùs dignorum electione?

R. Peccant item qui precibus, sollicitationibus aliisve quibuslibet studiis hoc agunt, ut minùs digni eligantur. (D)

I. Id si ita est, non debent Christiani reddere se faciles ad postulanda pro aliis Beneficia?

R. Non debent certè: tùm ne participes sint peccati quod in eligendo minùs digno admittitur: tùm ne suscipiant in se culpas in Beneficiorum administratione committendas ab iis quorum electionem precibus suis procuraverint.

Quòd ergo tam ardenti studio Beneficia postulantur, quòd jus patronatûs habetur pro magno commodo et ornamento, id probat paucos esse qui fide vivant, qui res ex humamo affectu non metiantur. Sanè qui res omnes ad fidei trutinam ponderant, ii verentur maximè quod monet Apostolus, *ne communicaveris peccatis alienis.* (1. *Tim.* v. 22.)

§. 6. De Simonia et Confidentia.

I. Quæ maximè peccata in Beneficiorum vel postulatione, vel electione, vel collatione, vel impetratione, committuntur?

R. Præter peccatum acceptionis personarum, quod fit in

(C) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 63. *art.* 2. Ad primum dicendum, quòd circa consanguineos Prælati distinguendum est: Quia quandoque sunt minùs digni, et simpliciter, et per respectum ad bonum commune: Et sic si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium: quorum Prælatus Ecclesiasticus non est dominus, ut possit ea dare pro libito, sed dispensator secundùm illud 1. ad Corinth. iv. 1. *sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Quandoque verò consanguinei Prælati Ecclesiastici sunt æquè digni ut alii: Et sic licitè potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre; quia saltem in hoc præeminent, quòd de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent. Esse tamen hoc dimittendum propter scandalum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi.

(D) Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat. Vide suprà hocce §. litt.* (A)

minùs dignorum electione, ut diximus, sæpè id peccati genus, quod simoniam vel confidentiariam prævitatem dicunt, admittitur.

I. Quid est Simonia?

R. Simonia vulgò definitur studiosa voluntas vendendi, vel emendi spirituale, vel spirituali annexum. (A)

Dicitur *voluntas studiosa*: id est, deliberata ratio et propositum animo fixum, etiam si res non fuerit executioni mandata. Quam voluntatem in Simone fuisse constat, qui voluit emere spiritualia, licèt reverà non emerit, quia Apostoli noluerunt vendere. Est autem voluntas cujuslibet peccati etiam externi principium. (B)

Voluntas emendi vel vendendi. Nomine emptionis et venditionis intelligitur omnis acquisitio non gratuita sibi vel aliis facta. (C)

Spirituale. Qualia sunt Sacramenta, munia et officia Ecclesiastica, gratiæ, virtutes, etc.

Spirituali annexum. Id est, quod licèt non sit in se spirituale, habet tamen ordinem ad spiritualia, connexionem cum spiritualibus; verbi gratiâ, proventus Beneficiorum, jus Patronatûs, etc.

I. Multiplexne est Simoniæ genus?

R. Triplex Simoniæ species: nimirùm realis, conventionalis, et mentalis.

(A) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 100. *art.* 1. *in corp.* Actus aliquis est malus ex genere, eò quòd cadit super materiam indebitam: emptionis autem et venditionis est materia indebita res spiritualis, triplici ratione. Primò quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari; sicut de sapientia dicitur Proverb. III. 15. *Pretiosior est cunctis opibus; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Ideò etiam Petrus in ipsa sui radice Simonis prævitatem condemnans dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* (*Act.* VIII. 20.) Secundò, quia non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus.... Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator: secundùm illud 1. ad Corinth. IV. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Tertiò, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita Dei voluntate proveniunt. Undè et Dominus dicit, *Gratis accepistis, gratis date.* (*Matth.* X. 8.) Et ideò, aliquis emendo vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo et rebus divinis: propter quod peccat peccato irreligiositatis.

Ad secundum. Justitia et omnes partes ejus, et per consequens omnia vitia opposita, sunt in voluntate sicut in subjecto: Et ideò convenienter simonia per voluntatem diffinitur. Additur autem, studiosa: ad designandum electionem, quæ principaliter pertinet ad virtutem et vitium. Non autem omnis qui peccat electione, peccat peccato in Spiritum sanctum; sed solùm qui peccatum eligit per contemptum eorum per quæ homines solent retrahi à peccando.

(B) Matth. XV. 19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.

(C) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 100. *art.* 1. *ad quintum.* Dicendum, quòd nomine emptionis et venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus: undè nec mutatio Præbendarum vel Ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo simoniæ, sicut nec transactio, ut jura determinant. Potest tamen Prælatus ex officio suo permutationes hujusmodi facere, pro causa utili vel necessaria.

Simonia realis committitur, cùm datur vel accipitur pecunia vel aliquid pretio æstimabile pro re spirituali, vel spirituali annexa.

Simonia conventionalis admittitur, cùm fit pactum de commutanda re spirituali pro temporali. Si pactum illud non mandetur exsecutioni, Simonia est merè conventionalis; si mandetur utrinque, est realis; si mandetur ex una parte non ex altera, est mixta, id est, partim realis, partim conventionalis: realis quidem ex parte illius qui pactum implevit, conventionalis ex altera parte.

Simonia mentalis admittitur, cùm sine ullo pacto expressè convento dat aliquis quid temporale, eà mente ut accipiat spiritale, vel dat spiritale eà mente ut accipiat temporale (D): verbi gratiâ, Titius nullo quidem præmisso pacto, sed tamen eo solùm animo Beneficium confert Caïo, quia hinc sibi pollicetur munus aliquod, vel gratiam, vel aliquid ejusmodi. Titius mutuo dat pecuniam vel operam et laborem, et officium præstat Episcopo eà solùm mente ut accipiat ab eo vicissim beneficium aliquod sibi vel suis. Nullum, inquam, pactum præcessit: Titius mente Simoniacus est.

I. Dixisti Simoniacum esse qui vel re vel mente dat accipitve pecuniam, vel quid aliud pretio æstimabile pro re spirituali; quid hoc rei est quod pretio æstimabile appellas?

R. Pretio æstimabile dicitur quidquid potest pro pecunia commutari sive per fas sive per nefas; verbi gratiâ, obsequia, labor, industria, preces, adulatio, laudes, auctoritas et gratia.

Hinc sancti Patres et Theologi omnes tria distinguunt munerum genera, quæ vendi, vel emi possunt; adeoque possunt esse materia Simoniæ vel realis, vel conventionalis, vel mentalis. Primum genus vocant munus à manu; alterum, munus à lingua; tertium, munus ab obsequio.

Munus à manu. Quo nomine intelligitur quidquid manu traditur, pecunia, merces, prædia, frumenta, et cætera hujusmodi.

(D) S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 100. *art.* 4. *in corp.* Aliquid potest esse annexum spiritualibus dupliciter. Uno modo, sicut ex spiritualibus dependens: sicut habere beneficia Ecclesiastica, dicitur spiritualibus annexum; quia non competit nisi habenti officium clericale. Undè hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus. Et propter hoc ea nullo modo vendere licet: quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia vendilioni subjici. Quædam autem sunt annexa spiritualibus, in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut jus patronatûs, quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad Ecclesiastica beneficia: et vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum. Undè hujusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt. Et ideò aliquo modo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa.

Art. 1. *ad quartum....* Simon magus ad hoc emere voluit potestatem spiritualium, ut eam posteà venderet. Dicitur enim, Quæst. 3. quòd Simon magus donum Spiritûs sancti emere voluit, ut ex venditione cignorum quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. Et sic, illi qui spiritualia vendunt, conformantur Simoni mago in intentione: in actu verò, illi qui emere volunt. Illi autem qui vendunt, in actu imitantur Giezi discipulum Elisei.

Munus à lingua : id est, preces, et sollicitationes eorum qui auctoritate pollent et gratiâ ; favor ipse et auctoritas, laudes, adulatio, hæc si Collator in gratiam dati speret ; impetrans intuitu dandi et recipiendi beneficii, ex pacto vel sine pacto, adhibeat.

Munus ab obsequio, id est, cùm quis officia, obsequia, operas in gratiam Patroni confert, eâ mente, ut Patronus sibi aut suis aliquod conferat beneficium, etiamsi nullum ea de re interveniat pactum ; multò magis, si pactum præcesserit. (E)

(E) S. Greg. Magn. *Homil. h. in Evang.* Sunt nonnulli qui quidem numnorum præmia ex ordinatione non accipiunt, et tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur : atque de largitate eadem, laudis solummodò retributionem quærunt. Hi nimirùm quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt : quia de impenso officio sanctitatis, nummum expetunt favoris. Undè benè, cùm justum virum describeret, Propheta ait : *Qui excutit manus suas ab omni munere.* (*Is.* xxxiii. 15.) Neque enim dicit : *Qui excutit manus suas à munere ;* sed adjunxit, ab *omni :* quia aliud est munus ab obsequio ; aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippè ab obsequio, est subjectio indebitè impensa : munus à manu, pecunia est : munus à lingua, favor. Qui ergo sacros Ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.

S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 100. *art.* 5. *in corp.* Nomine pecuniæ intelligitur rei cujuscunque pretium, quod pecuniâ mensurari potest. Manifestum est autem quòd obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari : Undè et pecuniariâ mercede ministri conducuntur. Et ideò idem est quòd aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data vel promissa, quâ illud obsequium æstimari posset. Similiter etiam quòd aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideò, sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem ; quod pertinet ad munus à manu : ita etiam contrahitur per munus à lingua vel ab obsequio.

Ad primum ergo, dicendum quòd si aliquis clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum et ad spiritualia ordinatum (putà ad Ecclesiæ utilitatem, vel Ministrorum ejus auxilium) ex ipsa devotione obsequii redditur dignus Ecclesiastico beneficio, sicut et propter alia bona opera. Undè non intelligitur esse *munus ab obsequio :* et in hoc casu loquitur Greg. Si verò sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum (putà quia servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi) erit munus ab obsequio, et est simoniacum.

Ad secundum, dicendum quòd si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita et carnalis collatio, non tamen simoniaca ; quia nihil ibi accipitur : undè hoc non pertinet ad contractum emptionis et venditionis, in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis det beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto vel intentione, ut exindè suis consanguineis provideat, est manifesta simonia.

Ad tertium, dicendum quòd *munus à lingua* dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit : vel etiam preces ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur : Et ideò, si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit : undè ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum ; quia subest debita causa ex qua illi pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur.

I. Ergo Simoniacum est dare beneficium petenti et roganti, vel postulare et rogare sibi vel alteri beneficium ?

R. Simoniacum est, si preces et postulationes adhibeantur tanquam præcipua ratio obtinendi vel conferendi beneficii : verbi gratiâ, si quis postulet solam haberi rationem petitionis suæ, non utilitatis Ecclesiæ. Si Patronus ideò solùm conferat beneficium, quia illud postulatur à viro magnate, alioqui collaturus digniori. Si verò sic postuletur beneficium, ut tam in mente postulantis quàm in mente Patroni preces et postulatio non sint præcipua ratio electionis ad beneficium ; sed id solùm postuletur à Patrono ut attendat ad meritum illius pro quo postulatur, et Patronus ad utilitatem Ecclesiæ attendat præcipuè dum precibus annuit ; nulla Simonia tunc per preces incurritur.

I. Simoniacusne est quicunque sua confert obsequia, officia, suas operas in eum à quo beneficium exspectat, vel cujus ope potest beneficium obtineri ?

R. Si obsequia, et officia eo fine conferantur ut obtineatur beneficium, Simonia est. (*S. Thom. suprà litt.* (E) Si non conferantur eo fine, nullumque pactum intervenerit, nulla Simonia est.

I. Undenam *Simoniæ* nomen ?

R. A Simone mago, ut jam diximus : qui oblatâ Apostolis pecuniâ obtinere voluit potestatem dandi per manûs impositionem Spiritum sanctum. (F)

I. Quâ ratione constat Simoniam esse prohibitam ?

R. Id constat ex Scriptura sacra et Traditione. Scriptura quidem ; Christus enim præcepit Apostolis ut dona spiritualia quæ gratis acceperant, gratis conferrent : *Gratis accepistis, gratis date.* (*Matth.* x. 8.) Hinc sic locutus est Petrus Apostolus Simoni mago oblatâ pecuniâ postulanti concedi sibi facultatem dandi Spiritum sanctum (*Act.* VIII. 20. *et seq.*) : *Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti posse pecuniâ possideri.... 21.... Cor tuum non est rectum coram Deo. 22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua : et roga Deum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 23. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.*

Hinc factum est ut Simoniam Ecclesiam semper habuerit pro gravissimo peccato, et gravissimis pœnis animadverterit semper in Simoniacos. (G)

Tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. Si verò aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus : et sic preces sunt pro indigno. Licitè tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum.

(F) Act. VIII. 18. Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, 19. dicens : Date mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum : 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem. *Cætera vide in subseq. Respons.*

(G) Concil. Nicæn. *an.* 325. *cap.* 49. *in can. Arab. Tom.* 2. *Concil. Labb.*

col. 306. Ut nullus audeat ordinare Episcopum, aut Sacerdotem, aut Diaconum pro quavis re data, sive ante ordinationem, sive post: et qui secùs fecerit, deponatur; et quicunque contradixerit, Synodus eum excommunicat.

CONCIL. ARELAT. II. *an.* 452. *can.* 54. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1017. Placuit in ordinatione Episcopi hunc ordinem custodiri, ut primo loco venalitate, vel ambitione summotâ, tres ab Episcopis nominentur, de quibus Clerici vel cives erga unum eligendi habeant potestatem.

GELAS. PP. I. *Epist.* 9. *ad Epis. Lucaniæ cap.* 5. *Tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1189. Baptizandis consignandisque fidelibus Sacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. (*Matth.* x. 8.) Et ideò nihil à prædictis prorsùs exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causas adire despiciant; certum habentes, quòd qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potiùs suâ sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.

SYMMACH. *Epist.* 5. *ad Cæs. Episc. Arelat. cap.* 6. *Tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1295. Nullus itaque per ambitum ad Episcopatûs honorem permittatur accedere. Nam cùm hic excessus in laïca conversatione culpetur, quis dubitat quòd religiosis et Deo servientibus inurat opprobrium? Si quis Episcopatum desiderat, datâ pecuniâ potentes personas minimè suffragatrices adhibeat: nec ad decretum sibi faciendum clericos vel cives subscribere, adhibito cujuslibet generis timore, compellat, vel præmiis aliquibus hortetur. Decretum sine Visitatoris præsentia nemo conficiat, cujus testimonio Clericorum ac civium possit unanimitas declarari.

CONCIL. AUREL. II. *an.* 533. *can.* 3. *Tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1780. Ne quis Episcopus de quibuslibet causis, vel Episcoporum ordinationibus, cæterorumque Clericorum, aliquid præsumat accipere: quia Sacerdotem nefas est cupiditatis venalitate corrumpi.

GRATIAN. *Decret.* 2. *part. caus.* 1. *Quæst.* 1. *Cap.* 2. Quicunque studet pretii datione sacrum Ordinem mercari, dùm non officium, sed nomen attendit, Sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter concupiscit. (*Ex S. Greg. ad Syagr. lib.* 7. *Ep.* 110.)

Cap. 3. Presbyter si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit, non solùm Ecclesiâ privetur, sed etiam Sacerdotii honore spolietur: quia altare, et decimas, et Spiritum sanctum emere, vel vendere, simoniacam hæresim esse, nullus fidelium ignorat. (*Ex Greg.* VII. *lib.* 6. *Regest.*)

Cap. 7. Reperiuntur quàm plurimi negotio muneris perituri, mercari velle gratiam Spiritus Sancti: dùm vile pretium donant, Pontificalis sublime culmen accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti per pecuniam possidere.* (*Act.* VIII. 20.) Proindè, quia et usitatum est tantum malum, et Majorum frequenter constat mucrone succisum, nos quoque huic vulneri canceroso ignitum (quod superest adhuc) injicimus ferrum, decernentes omninò, ut quicunque deinceps propter accipiendam Sacerdotii dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Christi corporis et sanguinis alienum: ex quo illum constat exsecrabile Christo perpetrasse flagitium. Quòd si aliquis exstiterit, qui accuset, ille qui hunc ordinem munerum fuerat datione lucratus, et susceptо honoris gradu privetur, et in monasterio sub perenni pœnitentia retrudatur. Illi verò, qui hac causâ munerum acceptores exstiterint, si clerici fuerint, honoris amissione mulctentur: si verò laïci, anathemate perpetuo condemnentur. (*Ex Concil. Tolet.* VIII. *c.* 3.)

Cap. 9. Qui per pecunias quemquam consecraverit, vel ab alio consecratus est, alienus à Sacerdotio fiat... Eos qui per pecunias ordinati sunt Episcopi, sive quicunque Clerici, et non secundùm probationem, et vitæ optionem, deponi præcipimus, sed et illos, qui hos ordinasse noscuntur. (*Concil. in Trullo can.* 22.)

Cap. 10. Sanctorum Patrum exempla sequentes; et officii nostri debito innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei, vel pro-

moveri, ac cloritate sedis Apostolicæ modis omnibus prohibemus. Si quis verò in Ecclesia ordinationem, vel promotionem taliter acquisierit, acquisità prorsùs careat dignitate. (*Ex Calisto* II.)

Cap. 11. Qui studet donum Dei pretio mercari, in sacro ordine nullà ratione de cætero permanere, aut revocari posse dubium non est. Talis à communione omnibus modis abscindatur. Nam Spiritùs sancti donum pretio comparare, quid aliud est, quàm capitale crimen, et simoniaca hæresis? Quod quàm detestabiliter in utroque Testamento vindicatum sit, multorum exemplis facilè apparet. (*4. Reg.* v. 27.) Giezi gratiam sanitatis Naaman Syro vendidit, eamdem gratiam, Eliseo vendicante, leprosus factus amisit. (*Matth.* XXVII. 5.) Judas omnium Redemptorem vendidit, mox laqueo suspensus eamdem Redemptoris gratiam non obtinuit; et meritò, quia nemo potest retinere, quod vendidit. Simon etiam magus cùm eamdem Spiritùs sancti gratiam emere vellet, damnationis sententiam à Petro audivit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* (*Act.* VIII. 20.) Dominus etiam: ut vendentes et ementes hujus gratiæ expertes ostenderet, cunctos peccatores per gratiam in templo dimisit, singulariter vendentes et ementes increpans et flagellans de templo ejecit, (*Matth.* XXI. 12. *Marc.* XI. 15.) in quo venditores, et emptores suos gratiâ Spiritùs sancti constat destitutos esse, et vacuos. Quos enim Christus ejecit de templo nunquid spiritus Christi faciet sibi templum? (*Ex Epist. Tarasii ad Hadrian.*)

Cap. 14. Cùm ordinaretur Episcopus, quod dedit, aurum fuit, quod perdidit, anima fuit: Cùm alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit: quod dedit, lepra fuit. (*Ex S. Ambros. de dignit. Sacerdot. cap.* 5.)

Cap. 20. Cùm omnis avaritia idolorum sit servitus, quisquis hanc, et maximè in dandis Ecclesiasticis honoribus vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi tenere fidem, quam negligit, videatur. (*Ex S. Greg. lib.* 9. *Epist.* 53.)

Cap. 22. Placuit, ut de ordinatione Clericorum, Episcopi munera nulla accipiant: sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. (*Matth.* X. 8.) Non aliquo pretio gratia Dei, et impositio manuum venundetur: quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis ordinationibus statuit dicens: *anathema sit danti, et accipienti.* Propterea, quia aliquanti multis scleribus obruti, sancto altario indignè ministrantes, non hoc, testimonio bonorum actuum, sed profusione munerum, obtinent, oportet non per gratiam munerum, sed per diligentem priùs discussionem, deindè per multorum testimonium Clericos ordinare. (*Ex Concil. Bracar.* II. *cap.* 3.)

Cap. 25. Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit; etiamsi moribus, atque actibus non offendit: ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo. Et difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. (*S. Leo Epist.* 85. *aliàs* 87.)

Cap. 26. Cùm Paulus dicat, (*1. Cor.* III. 11.) *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*, consequenter probatur, quia ubi Christus non est fundamentum, nullum boni operis est superædificium.

Cap. 100. Nullus Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui sacram dispensat communionem, à percipiente gratiam communionis aliquod pretium exigat. Neque enim venditur gratia, neque pro pretio gratiam Spiritùs sancti damus, sed dignis munere sine defraudatione participare concedimus. Si quis verò eorum, qui connumerantur in Clero, ab eo cui sacram communionem dispensat, aliquod pretium exegerit, deponatur, sicut imitator simoniacæ fraudis. (*Ex sexta Synod. can.* 23.)

Cap. 101. Quidquid invisibiliter gratiæ consolatione tribuitur, nunquam quæstibus, vel quibuslibet præmiis venundari penitùs debet, dicente Domino: *Quod gratis accepistis, gratis date.* (*Matth.* X. 8.) Et ideò quicunque deinceps in Ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis, consignandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel promotionibus graduum prelia quælibet, vel præmia nisi voluntariè oblata pro hujusmodi ambitione susceperit, equidem, si sciente loci Episcopo tale quidquam à subditis perpetratum fuerit, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat, pro eo, quòd scita mala contexit, et

correctionem necessariam non adhibuit. Sin autem suorum quispiam, eodem nesciente, pro supradictis quodcunque capitulis accipiendum esse sibi crediderit, si Presbyter est, quatuor mensium excommunicatione plectatur; si Diaconus, trium: Subdiaconus verò, vel Clericus his cupiditatibus serviens, et competenti pœnâ, et debitâ excommunicatione plectendus est. (*Ex Concil. Tolet.* II. *can.* 8.)

Cap. 107. Statuimus decretum de simoniacis tripartita hæresi, id est, de simoniacis simoniacè ordinatoribus, vel ordinatis, et de simoniacis simoniacè à non simoniacis, et de simoniacis non simoniacè à simoniacis. Simoniaci simoniacè ordinati, vel ordinatores secundùm ecclesiasticos Canones à proprio gradu decidant. Simoniaci quoque simoniacè à non simoniacis ordinati, similiter ab officio malè accepto removeantur. Simoniacos autem non simoniacè à simoniacis ordinatos, misericorditer per manûs impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere. (*Ex Nicolao* II.)

Cap. 108. Si qui à simoniacis non simoniacè ordinati sunt, si quidem probare potuerint se, cùm ordinarentur, nescisse eos simoniacos esse, etsi tunc pro catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus: si tamen eos laudabilis vita commendat. Qui verò scienter se à simoniacis consecrari, imò exsecrari permiserint, eorum consecrationem omninò irritam esse decernimus. (*Ex Urbano Papa in Concil. Placent. can.* 3. *et* 4.)

Cap. 109. De cætero statuimus, ut si quis in posterum ab eo, quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, et consecrator et consecratus non disparem damnationis sententiam subeant: sed uterque depositus pœnitentiam agat, et privatus propriâ dignitate persistat. (*Ex Nicolao* II.)

Cap. 110. Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam decernimus; sed juxta Canonum sanctiones, et decreta sanctorum Patrum, eos omninò damnamus, ac deponendos esse, Apostolicâ auctoritate sancimus. (*Ex eodem.*)

Cap. 113. Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio, alicui personæ eà intentione impenso, vel quæ non communi consensu Cleri, et populi secundùm canonicas sanctiones fiunt, et ab iis, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, falsas esse dijudicamus: quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est, per Christum intrant; sed, ut ipsa veritas testatur (*Joan.* x. 1. *et* 8.), *fures sunt, et latrones.* (*Ex Gregor.* VII. *lib.* 6. *Regest.*)

Cap. 115. Si quis neque sanctis pollens moribus, vel neque à Clero, populoque vocatus, vel pulsatione coactus, impudenter Christi Sacerdotium jam quolibet facinore pollutus, injusto cordis amore, vel sordidis precibus oris, sive comitatu, sive manuali servitio, sive fraudulento munusculo Episcopalem, seu Sacerdotalem, non lucro animarum, sed inanis gloriæ avaritiâ fultus, dignitatem acceperit; et in vita sua non sponte reliquerit, eumque insperata mors pœnitentem non invenerit, proculdubio in æternum peribit. (*Ex eodem.*)

Cap. 116. De ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo, ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem aliquos ad sacros Ordines consentiatis, vel permittatis adduci. (*Ex eodem.*)

Cap. 117. Quibusdam narrantibus agnovi, quòd in illis partibus nullus ad sacrum Ordinem sine commodi datione perveniat. Quòd si ita est, flens dico, gemens denuntio; quia cùm Sacerdotalis ordo intùs cecidit, foris quoque diù stare non poterit. Scimus quippè ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit: quia ingressus in templum cathedras vendentium columbas evertit. (*Matth.* XXI. 12. *Marc.* XI. 15.) Columbas quippè vendere est, de sancto Spiritu (quem sibi consubstantialem Deus omnipotens per impositionem manuum hominibus tribuit) commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, innuitur, quid sequatur: quia, qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum, Deo judice, cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque, qui ad sacrum Ordinem perducitur, jam in ipsa provectùs sui radice vitiatus, paratior est

aliis vendere, quod emit. Et ubi est, quod scriptum est? *Gratis accepistis, gratis date.* (*Matth.* x. 8.) Et cùm primò contra sanctam Ecclesiam simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum, quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat? Ideoque hortamur, ut nullus vestrùm denuò hoc fieri patiatur, sed neque gratiâ alicujus, neque supplicatione aliquos ad sacros Ordines audeat promovere, nisi eum, quem vitæ, et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit. Nam si aliter factum denuò senserimus, districtè et canonicè illud noveritis ultione compesci. (*Ex eodem.*)

Cap. 119. Ante omnia autem cautos vos esse oportet, ut nulla proveniat in ordinatione venalitas: ne (quod absit) et ordinatis, et ordinantibus periculum majus immineat. (*Ex eodem.*)

Cap. 120. Pueri ad sacros Ordines nullatenùs admittantur, ne tantò periculosius cadant, quantò citiùs conscendere ad altiora festinant. Nulla in ordinatione venalitas: potentia, vel supplicatio personarum nihil adversùs hæc, quæ prohibemus, obtineat. Nam proculdubio Deus offenditur, si ad sacros Ordines quisquam non ex merito, sed ex favore (quod absit) aut ex venalitate provehitur. (*Ex eodem.*)

Quæst. 2. *cap.* 4. Sicut Episcopum non decet manum, quam imponit, vendere, ita Minister, vel notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venundare. *Et paulò post.* Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas, et pallium, aliquid cuilibet ex Clero, gratiæ tantummodò causà dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit. (*Ex eodem*)

Quæst. 3. *cap.* 2. Si quis dator, vel acceptor, Dei Ecclesias, vel Ecclesiastica beneficia (quæ quidam Præbendas vocant) sub pecuniæ interventu susceperit, sive dando emerit, sive accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione. Sed si perseverans fuerit, perpetuâ mulctetur damnatione. Nam qui sub religionis obtentu Deo famulari voluerit, si quid accepit, et meritum perdit, et beneficio accepto frustratur. Rationis ergo vigore cogitur, quod injustè receperit, restituere: et quidquid turpis lucri gratiâ receperat, non tenere. (*Ex S. Gregor. ad Rothom. Episc.*)

Cap. 5. Ea, quæ à sanctis Patribus de simoniacis statuta sunt, nos quoque et judicio sancti Spiritûs, et Apostolicâ auctoritate firmamus. Quidquid ergo vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datâ, vel promissâ pecuniâ acquisitum est, nos irritum esse, et nullas unquam vires habere censemus. (*Ex Urban.* II. *in Synod. Alverniæ.*)

Cap. 8. Igitur quia innotuisti nobis, quòd tibi objicitur, utrum vendere Ecclesiasticam rem simoniacum sit, hoc simoniacum esse patenter colligitur ex hoc, quòd beatus Apostolus Petrus ait Simoni, *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri.* (*Act.* VIII. 20.) Donum quippè Dei est Spiritus sanctus, et donum Dei est res ipsi Ecclesiæ oblata. Et si benè animadvertis, Simon magus, qui ad fidem fictè accessit, non Spiritum sanctum propter Spiritum sanctum, quo ipse erat indignus, quoniam, ut scriptum est (*Sap.* I. 5.), *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*, sed ideò quantùm in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eumdem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur: Nec Apostolus emptionem Spiritûs sancti, quam benè fieri non posse noverat, sed ambitionem quæstûs talis, et avaritiam, quæ est idolorum servitus (*Coloss.* III. 5.), in eodem Simone exhorruit, et maledictionis jaculo perculit. Quisquis igitur res Ecclesiasticas, quæ dona Dei sunt, quoniam à Deo fidelibus, et à fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, et idcò gratis dari debent, propter sua lucra vendit, vel emit, cum eodem Simone donum Dei possideri pecuniâ existimat, Ideò, qui easdem res non ad hoc, ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est: cùm principalis intentio Simonis fuerit sola pecuniæ avaritia, id est, idololatria, ut ait Apostolus Paulus. (*Ibid. Ex Urbano* II.)

Cap. 9. Ex multis temporibus hoc detestabile malum intra vestram

Ecclesiam inolevisse cognovimus, ut nulli unquam clerico, quamvis religioso, quamvis scientiâ et moribus prædito Ecclesiasticum beneficium concederetur, nisi ei, qui profano pecuniæ munere illud emere studuisset : fiebatque Ecclesia, et res ejus ita venalis, veluti quædam terrena, et vilis merx à negotiatoribus ad vendendum exposita. Quod malum quàm detestabile, quantùm Deo, sanctisque sit contrarium, et sacri Canones docent, et ferè omnibus manifestum existit. Chalcedonense namque Concilium unum ex principalibus, simili pœnâ condemnat eos, qui Ecclesiæ beneficium interventu pecuniæ acquirunt, et eos qui sacram manûs impositionem, per quam Spiritus sanctus confertur, mercari dignoscuntur. Utrosque enim auctoritate inexpugnabili, illos à beneficio, istos à sacro ordine jubet expelli. Undè humani generis redemptor omnes ementes, et vendentes de templo ejiciens, cathedras vendentium columbas evertit, nummulariorum effudit æs, præcepti sui auctoritate denuntians, et dicens : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* (*Joan.* II. 16.) Illud quoque in eodem facto sollicitè considerate, quòd per totum textum sancti Evangelii nusquam reperitur Dominum tantâ severitate, tam districtâ censurâ justitiæ, peccantes corripuisse, cùm non solùm eloquio increpans, verùm etiam facto flagello de funiculis verberans omnes eliminavit de templo, aperlè demonstrans, quòd tales negotiatores, non sicut cæteri peccatores sunt corripiendi, sed à templo Dei, id est, à sancta Ecclesia longiùs sunt projiciendi. Nam sicut per columbarum venditores illi denotantur, qui sacram manûs impositionem vendere conantur, sic per nummularios Ecclesiastici beneficii venditores designantur, qui domum Dei, teste Evangelio speluncam latronum efficiunt. Quapropter ego Alexander sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Apostolicæ Sedis Episcopus, immò minister indignus tot et tanta mala in multis Ecclesiis, et maximè in Lucensi Ecclesia, ex iniqua concupiscentia fieri conspiciens, ne sanguis iniquorum à districto judice de manu nostra requiratur (*Ezech.* III. 8.), illa exstirpare, et penitùs eradicare decrevimus. Constituimus itaque et præsenti decreto firmamus, sicut olim prædecessores nostri fecisse noscuntur, ut nullus deinceps Episcoporum, beneficium Ecclesiæ (quod quidam canoniam, vel præbendas, seu etiam ordines vocant) pro aliquo pretio, vel munere Clericis audeat unquam conferre : sed omnes ministros, et servitores Ecclesiæ gratis, et absque ulla venalitate in sancta Ecclesia studeant ordinare. Nec eligant in domo Domini, qui majores sacculos pecuniæ conferant, sed eos, qui moribus, et disciplinâ, atque scientiâ divites, pro officio suo ipsam valeant sustentare Ecclesiam. Constituimus, et eodem modo firmamus, ut nullus cujuscunque gradûs clericus pro Ecclesiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Ecclesiarum, vel donariis Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum, quia teste Scripturâ, (*leg.* Gregorio) qui aliquid malè accipit, ut quasi benè dispenset, potiùs gravatur, quàm juvatur. Quod si aliquis divinorum præceptorum, et animarum salutis immemor, præfatum beneficium Ecclesiæ, iniquâ cupiditate ductus vendere, vel emere temerario ausu præsumpserit, sicut in Chalcedonensi Concilio definitum est, gradûs sui periculo eum subjacere decernimus : nec ministrare possit Ecclesiæ, quam pecuniâ venalem fieri concupivit, et insuper terribili anathematis mucrone perfossus (nisi resipuerit) ab Ecclesia Dei, quam læsit, modis omnibus abscindatur. (*Ex Alexandro* II.)

Cap. 15. Si qui præbendas, vel prioratum, seu decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Ecclesiasticam, seu quodlibet sacramentum Ecclesiasticum, utpote chrisma, vel oleum sanctum, et consecrationes altarium, vel Ecclesiarum interveniente exsecrabili ardore avaritiæ per pecuniam comparaverit, honore malè acquisito careat, et emptor, atque venditor, et interventor notâ infamiæ percellantur : et nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis ante, vel post à quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat, quoniam simoniacum est : sed liberè, et absque diminutione aliqua, collatâ sibi dignitate, atque beneficio perfruatur. (*Ex Innocentio* II. *in Synod. Rom. can.* 2.)

Quæst. 5. *Cap.* 2. Eos, qui Ecclesiam emerunt, si persona talis fuerit, quam vita commendet, videlicet, ut in Canoniis, vel Monasteriis regu-

lariter vivat in sui honoris officio, misericorditer condescendendo, ministrare concedimus, absque tamen sanctorum Canonum præjudicio. (*Ex Urbano* II. *in Concil. Rom.*)

Cap. 3. Præsentium portitorem, quem parentum incuriâ per pecuniam non Episcopo, sed cuidam principum ejus datam, invitum Sacerdotii dignitatem obtinuisse significasti, licèt sancti Canones deponendum esse testentur, tamen, quia culpam istam nesciens, et coactus commisit, et quia ab eodem ordine ut deponeretur, supplicavit ultroneus, ex consideratione discretionis (quæ mater est omnium virtutum) magis quàm ex rigore canonum, misericordiæ viscera adhibendo, ipsum in eodem ordine esse fraternitati tuæ consulimus: ita tamen, ut si Ecclesia illa cui deservit, Sacerdotum penuriam non patitur, suspensus à Sacerdotali officio permaneat. Quòd si fortè Ecclesiæ utilitas exegerit, ut curam regiminis assumat, liceat ei ex concessione Episcopi, fratrumque obedientia Sacerdotali officio fungi.

Decret. GREG. IX. *lib.* 5. *tit.* 3. *de Simon. cap.* 9. Cùm in Ecclesiæ corpore: *et infrà.* Horribile nimis est, quòd in quibusdam Ecclesiis, locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis vel Abbatibus seu quibuscunque personis Ecclesiasticis ponendis in sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, necnon et pro sepulturis, et exsequiis mortuorum, et benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes, quòd tantò graviora sunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis seu collatis aliquid exigatur, districtiùs prohibemus. Si qui autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum. (*Ex Concil. Lateran.*)

Cap. 20. Ex tuæ fraternitatis, litteris et ex confessione Sacerdotis præsentium latoris accepimus, quòd cùm ad Sacerdotii ordinem non aliter voluisset eum ejus Archidiaconus præsentare, sex solidos solvit eidem, et sic ordinem ipsum per eum præsentatus, accepit. Undè tibi sic duximus respondendum, ut si hoc non est publicum, sed secretum, eumdem Sacerdotem secretò convenias, monens sine ulla coactione propensiùs, et inducens, ut ordinem religionis assumat, et perpetuò ab officio abstineat, quod illicitè acquisivit. Alioquin non erit tutum (cùm sit secretus excessus) ipsum invitum ab eodem officio coërcere, cui tamen secretam pœnitentiam, secundùm quod tibi visum fuerit, injungere non postponas.

Cap. 23. Matthæus Cardinalis secretà nobis insinuatione monstravit, quòd cùm fuisses ad Ecclesiæ tuæ regimen de voluntate majoris partis fratrum electus, paucis tibi contradicentibus, quidam amicus tuus de conscientia tua, et voluntate turbata, ei qui magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, et sic contradictio conquievit; nunc autem dubitas, quòd non sis à labe simoniæ prorsùs immunis, donec in administratione volueris remanere. Quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum: respondemus, quòd multùm tibi consulis, si administrationem celeriter ac spontè dimittas, illius verbi memor existens (*Matth.* 26. XVI.): *Nihil prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* (*Ex Lucio* III.)

Cap. 27. Ad ultimum quod in fine consultationis tuæ invenimus: hoc diximus respondendum, quòd aliquis in Ecclesia cujuslibet Prælatum electus, ut dictum est, per pravitatem simoniacam reprobatus, ab Episcopo suo dispensationem aliquam obtinere de jure non potest. (*Ex Cœlestino* III.)

Cap. 34. Si quis clericus cum conditione vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, et in Canonicum admittatur: hujusmodi oblatio vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ: cùm in talibus omnis pactio aut conventio cessare debeat, juxta canonicas sanctiones. Si verò purè ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, et ut in Canonicum admittatur, et bona

sua retinere sibi liceat pro præbenda, et clerici ejusdem Ecclesiæ purè consentiant : hujusmodi receptio fieri potuit absque scrupulo simoniacæ pravitatis : licèt autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodò judicare : si tamen is, qui talem donationem facit, eà intentione ducatur, ut per temporalia bona quæ offert, spiritualia valeat adipisci : et clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri : sine dubio tam ille, quàm isti apud districtum judicem (qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicantur. (*Ex Innocentio* III.)

Cap. 35. Per tuas litteras intimasti, quòd cùm B. in quadam domo Carthusiensis ordinis suscepisset habitum monachalem, à Diœcesano Episcopo fuit in Subdiaconum ordinatus : sed postmodum didicit ex relatione quorumdam, quòd Episcopus multoties commiserat vitium simoniæ : propter quod idem monachus in suscepto formidat ordine ministrare, nolens ab eodem Episcopo ad superiores ordines promoveri. *Et infrà.* Nos igitur respondemus, ut idem in ordine sic suscepto securè ministret : sed contra conscientiam ad superiores ordines non ascendat, ne fortè ædificet ad gehennam : licèt ex eo, quòd conscientiam nimis habuerit scrupulosam, in difficultatem hujusmodi sit collapsus : quam utique non evadet, nisi deponat errorem. (*Ex eodem.*)

Cap. 38. Consulere : *et infrà.* Quicunque vicedominatum, vel aliam Ecclesiasticarum rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes, quàm vendentes cum Simone percelluntur, et ab illa Ecclesia, in cujus contumeliam dare pecuniam, et accipere voluerunt, justè excluduntur. (*Ex eodem in Concil. Lateranensi.*)

Cap. 44. Jacobus Canonicus Esculanus exposuit, quòd cùm ipse in Ecclesia Aptutinensi sit receptus in Canonicum et in fratrem, Canonici ejusdem Ecclesiæ partem proventuum, ac præbendam sibi assignare recusant, quamdam consuetudinem prætendentes, quòd prandium habere debeant à Canonico recepto de novo. Quocirca mandamus, quatenùs, si est ita, dictos Canonicos, ut (tali consuetudine non obstante) sibi sicut uni ex aliis in proventibus et præbenda provideant, appellatione remotà, compellas. (*Ex Gregor.* IX.)

Cap. 45. Si quis ordinaverit, seu ad ordinem præsentaverit aliquem, promissionem vel juramentum ab illo recipiens, quòd super provisione tua non inquietet eumdem, ordinator à collatione, præsentator verò ab exsecutione ordinum per triennium, et ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos. (*Ex eodem.*)

EXTRAVAG. COMMUN. *lib.* 5. *tit.* 1. *de Sim. cap.* 2. Cùm detestabile scelus simoniacæ pravitatis, tam divinorum quàm sacrorum Canonum auctoritas abhorreat atque damnet. Nos considerantes quòd plures pœnarum gravitas, quàm Dei timor arcere solet à voluntate peccandi, ac summis desideriis affectantes, ut horum pestiferum vitium non ex usu solùm, sed etiam ex mentibus hominum saltem propter pœnarum metum penitùs evellatur : prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis in hærentes, ac etiam omnes et singulas excommunicationis, suspensionis, privationis, et interdicti sententias, censuras et pœnas dudum à Romanis Pontificibus prædictis, et pro talibus reputatis contra simoniacos quomodolibet latas, et illos qui cujuscunque statùs, gradùs, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiam si Cardinalatûs, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginali, vel aliâ quavis Ecclesiasticâ seu mundanâ dignitatibus præfulgeant, et eorum quemlibet, tam manifestum, quàm occultum, quas ipso facto eos incurrere volumus, confirmantes et innovantes Apostolicâ auctoritate, declaramus quòd omnes illi, qui simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum exsecutione suspensi. Per electiones verò, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniacà contigerit labe fieri, et quæ viribus omninò careant in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis Ecclesiasticis, et quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenùs acquiratur, nec indè faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percepit restitutionem sub animæ

I. Quænam sunt pœnæ latæ in Simoniacos ?

R. 1. Excommunicatio major reservata summo Pontifici, si crimen publicum sit ; Episcopo, si occultum.

2. Privatio beneficii per Simoniam obtenti, cujus quidem provisio ipso jure nulla est et irrita.

3. Infamia, adeoque irregularitas et inhabilitas ad quæcunque alia beneficia obtinenda.

4. Ex veteri jure depositio : Ex novo jure suspensio. (H)

I. Pœnæ illæ incurruntne ipso jure ab iis qui mentalem solùm Simoniam admiserunt ?

R. Illi lethaliter peccarunt, et tenentur dimittere beneficium suæ periculo sit adstrictus. Statuentes præterea, quòd universi et singuli etiam præmissis dignitatibus prædíti, qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam commiserint, aut quòd illa fiat mediatores exstiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant : à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolvi, præterquam in mortis articulo constituti. (*Ex Pauli* II. *Constitut.*)

Idem definiunt multò plura Concilia et summorum Pontificum decreta, quæ in CORPORE JURIS CANONICI, *tit. de Simonia legi poterunt.*

(H) CANON. APOST. *Can.* 28. *tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 30. Si quis Episcopus per pecunias hanc sit dignitatem assecutus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur et ipse, et qui eum ordinavit, et à communione omninò exscindatur, ut Simon magus à me Petro.

Can. 29. *col.* 31. Si quis Episcopus secularibus principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur, et segregetur, et omnes qui illi communicant.

CONCIL. CHALCED. *an* 451. *can.* 2. *t.* 4. *Concil. Labb. col.* 756. Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, et non venalem gratiam in venditionem deduxerit, et propter pecunias ordinaverit Episcopum, vel Chorepiscopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in clero annumerantur, vel propter pecunias promoverit OEconomum, vel Defensorem, vel Paramonarium, vel omninò aliquem ex canone, turpis quæstûs gratiâ : qui hoc tentasse convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat : et qui est ordinatus, ex ordinatione vel promotione quæ instar mercatorum venundatur, nihil juvetur : sed sit à dignitate vel curatione alienus quam pecuniis adeptus est. Si quis autem sequester et intercessor adeò turpibus et nefariis lucris apparuit, hic quoque si sit quidem clericus proprio gradu excidat : si sit autem laïcus, vel monachus, anathematizetur.

GELAS. PP. I. *Epist.* 9. *ad Episc. Lucaniæ cap.* 24. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1194. Quos.... constiterit indignos meritis, sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri non sine periculo facinus tale perpetrantes : quia dantem pariter et accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur (*Act.* VIII.), involvit.

SYMMACH. PP. *Epist.* 5. *ad Cæs. Episc. Arelat. cap.* 2. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1295. Hi qui non Dei gratiâ, sed promissione rerum Ecclesiasticarum præmiis ad Sacerdotium conantur accedere, desideriorum talium priventur effectu. Quia aut ab hujusmodi se intentione cohibeant, aut vindictis canonum sciant se sine dubitatione subdendos.

CONCIL. AUREL. II. *an.* 533. *can.* 4. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1780. Si quis Sacerdotium per pecuniæ nundinum exsecrabili ambitione quæsierit, abjiciatur ut reprobus, quia Apostolica sententia (*Act.* X.) donum Dei esse præcipit pecuniæ trutinâ minimè comparandum.

DECRET. 2. *part. causâ* 1. *quæst.* 3. *cap.* 3. Si quis Episcopus præbendas, archidiaconatus, præposituras, vel aliqua Ecclesiastica officia vendiderit, vel aliter, quàm statuta sanctorum Patrum præcipiunt, ordinaverit, ab Ecclesiæ officio SUSPENDATUR. Dignum est enim, ut sicut gratis Episcopatum accepit, ita membra ejusdem Episcopatûs gratis distribuat. (*Ex Greg.* VII. *lib.* 6. *Regest.*)

cium, si quod hâc viâ obtinuêre, non tamen incurrerunt in cæteras Simoniacorum pœnas.

I. Si quis per Simoniam acquisivit beneficium alteri, illo planè inscio; verbi gratiâ, parens filio suo; quid facto opus?

R. Qui Simoniam admisit, tenetur omnibus censuris in Simoniacos latis : irrita et nulla est collatio beneficii sic facta. Et si rem resciverit Beneficiarius, tenetur statim beneficium dimittere, alioqui pœnas Simoniacorum incursurus. (1)

I. Quid si postulet à summo Pontifice secum dispensari, et concedi sibi facultatem retinendi beneficii?

R. Potest quidem id supplex petere, sed non debet, nisi id è re Ecclesiæ fore Episcopus vel alius vir prudens et Ecclesiasticæ disciplinæ peritus judicaverit.

I. Quid est illud vitii genus quod Confidentiam appellasti?

R. Id duplici ratione committitur.

1. Si quis det vel procuret alteri beneficium eâ lege, ut is cui beneficium confertur, posteà dimittat beneficium in favorem consanguinei vel amici, vel alterius cujuslibet.

2. Si quis det vel procuret alteri beneficium eâ lege, ut

(1) DECRET. *causâ* 1. *quæst.* 5. *cap.* 1. Quicunque sanè cupiditate parentum, cùm adhuc parvuli essent, Ecclesias, vel Ecclesiarum partes per pecunias adepti sunt, postquam eas omninò dimiserint, si canonicè in eis vivere voluerint, pro magna misericordia ibidem eos esse concedimus : neque pro hoc facto à sacris ordinibus removemus, si aliàs digni inveniantur. Illi verò, qui per seipsos, cùm jam majoris essent ætatis, nefandâ ducti cupiditate eas emerunt, si in aliis Ecclesiis canonicè vivere voluerint, servatis propriis ordinibus pro magna misericordia ibi eos ministrare permittimus. Quòd si ad alias fortassis transferri non potuerint, et in eis canonicè vivere promiserint, minoribus contenti ad sacros ordines non accedant, salvâ tamen in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qui tamen ante emptionem catholicè ordinati sunt, cùm ea, quæ emerunt, dimiserint, et vitam canonicam egerint, in suis gradibus manere permittantur : nisi fortè ejusmodi Ecclesia sit, ut ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim, vel singularem, vel præposituræ locum in emptis Ecclesiis eos habere non patimur. (*Ex Urb.* II. *in Conc. Plac.*)

Decret. GREG. IX. *lib.* 5. *tit.* 3. *De Simon. cap.* 26. Ex insinuatione tua nobis innotuit, quòd pater tuus interveniente pecuniâ, olim tibi præbendæ beneficium acquisivit. Cumque ad annos discretionis perveniens, accepisses Dominicæ crucis signum : dictam præbendam in manu præpositi et fratrum liberè resignasti. Sed iidem tibi compatientes, de novo te in suum Canonicum elegerunt, ita videlicet quòd per electionem istam postremum locum in choro, et in aliis obtineres : *et infrà.* Respondeo ut indulgentiâ, quam fratres tui misericorditer tibi fecisse noscuntur, contentus existens, ratione primæ receptionis, nihil audeas in ipsa Ecclesia vendicare. (*Ex Clemente* III.)

Cap. 27. Nobis fuit ex parte tua intimatum, quòd cùm quatuor essent à capitulo constituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum, amici ejus, de cujus electione spes habebatur, uni vel omnibus eligentium promiserunt se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus : *et infrà.* Quia igitur super hoc consulere nos voluisti : consultationi tuæ breviter respondemus, quòd nisi constaret illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè fecisse : quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio tanquam simoniaca pravitate præsumpta est penitùs reprobanda. (*Ex Cœlestino* III.)

Beneficiarius, retento beneficii titulo, fructus omnes beneficii vel partem illorum alteri persolvat.

Potest autem confidentia fieri, vel cum pacto expresso, seu tacito, vel solo animo et voluntate sine pacto, ut de Simonia diximus.

I. Quo jure confidentia prohibetur?

R. Prohibetur tum jure Pontificio, tum jure Divino. Jure quidem Pontificio, quo iisdem pœnis animadvertitur in confidentiarios quibus antiqui Canones sævierunt in Simoniacos.

Jure verò Divino; quidquid enim turpem quæstum in rebus spiritualibus sapit, id jure Divino prohibetur. Qui tam indignis modis beneficia sibi vel suis comparant vel transferunt, videntur velle hæreditate possidere sanctuarium Dei. At, *Qui dixerunt: Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei; ponet eos Deus ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti*, inquit regius Propheta. (*Psal.* LXXXII. 13.)

§. 7. Quæ sint Beneficiariorum officia. Quæ legitima Beneficiorum administratio.

I. Quæ sunt officia Beneficiariorum?

R. 1. Ut rectè fungantur omnibus muniis beneficio annexis.

2. Ut caveant ne bona, vel tabularia beneficiorum pereant, vel diripiantur, vel in statum deteriorem deveniant.

3. Ut Beneficiorum proventus annuos sanctè administrent.

4. Ut horas canonicas quotidiè recitent attentè et piè; vel canant in choro, si ad id ratione Præbendæ vel alterius officii teneantur.

I. Quid facto opus ut annui beneficiorum proventus sanctè administrentur?

R. Curandum 1° ut ædificia omnia tum sacra tum profana, quæ ad beneficium pertinent, sarta, tecta, integraque serventur.

2° Ut Ecclesiis omnibus, quarum sacra suppellex, et vasa, et vestes, et libri, et ornamenta ad beneficiarii curam et providentiam spectant, suppeditentur omnia quæ necessaria sunt ad Dei cultum, et ad divinum officium ritè et decenter peragendum.

3° Ut in iis habeatur numerus Sacerdotum, Monachorum, aliorumve Ministrorum fundatorum lege, vel superiorum sanctione præscriptus.

4° Ex beneficii proventibus id unum sibi sumere licet, quod necessarium est ad honestam sustentationem, deductis et solutis omnibus oneribus quæ beneficio annexa sunt.

5° Quidquid superest erogandum pauperibus, vel in alios pios usus. (A)

(A) S. AMBROS. *Epist.* 18. *ad Valentin.* 2. *n.* 6. Possessio Ecclesiæ, sumptus est egenorum.

S. PROSPER. *Lib.* 2. *de vita contemp. cap.* 9. Expedit facultates Ecclesiæ possideri, et amore perfectionis proprias contemni. Non enim propriæ

sunt, sed communes Ecclesiæ facultates : Et ideò quisquis omnibus quæ habuit dimissis aut venditis, sit rei suæ contemptor, cùm præpositus fuerit factus Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesia efficitur dispensator. Deinde sanctus Paulinus (ut ipsi meliùs nostis) ingentia prædia quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogavit; sed cùm posteà factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensavit. Quo facto ostendit, et propria debere propter perfectionem contemni, et sine impedimento perfectionis posse quæ sunt communia Ecclesiæ possideri. Quid sanctus Hilarius? Nonne et ipse omnia bona sua aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen cùm merito perfectionis suæ fieret Ecclesiæ Arelatensis Episcopus, quod illa tunc habebat Ecclesia non solùm possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliavit. Isti ergo tam sancti, tam perfecti Pontifices factis evidentibus clamant, posse et debere fieri quod fecerunt. Qui utique homines tam secularium, quàm divinarum litterarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res Ecclesiæ debere contemni, nunquam eas debuerant, qui omnia sua reliquerant, retinere. Undè datur intelligi, quòd tales ac tanti viri (qui volentes esse Christi Discipuli, renuntiaverunt omnibus quæ habebant) non ut possessores, sed ut procuratores facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcircò scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, non eas vendicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere, nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid indè eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare : quando nihil aliud sit habentibus dare quàm perdere.

Cap. 10. Nec illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo undè pauper victurus erat accipiunt... Illi quoque, qui vel idonei nihil quidem sibi dari velut debitum poscunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant : qui Ecclesiam quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant : propter hoc fortassis in congregatione viventes, ne aliquos pauperes pascant, ne advenientes suscipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant... Dura sunt quæ dico : nec ego diffiteor. Dura sunt, sed observare nolentibus. Cæterùm si faciant ista, quæ difficilia non facientibus sunt, statim facientibus facilia fiunt. Non ergo ea quæ nolumus observare, impossibilitas nobis facit dura, sed novitas. In usum veniant, et neminem frequentata conturbabunt. Nam quæro, quid eorum sit quæ dixi difficile : ut homo id quod opus non habet ab Ecclesia non accipiat? An ut quod habet sine causa contemnat? Si propter hoc non vult sua relinquere ut habeat undè vivat : ut quid accipit undè rationem reddat? Ut quid de peccatis alienis sua multiplicat?

Cap. 11. Itaque Sacerdos cui dispensationis cura commissa est, non solùm sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit à populo dispensanda : et fideliter dispensat accepta, qui omnia sua aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesiæ rebus adjungit, et se in numero pauperum paupertatis amore constituit : ita ut undè pauperibus subministrat, indè et ipse tanquam pauper voluntarius vivat : clerici quoque quos pauperes aut voluntas aut nativitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria, sive in domibus suis, sive in congregatione viventes accipiunt : quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit vivendi necessitas.

Cap. 12. Illi autem, qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renuntiare non possint : si ea quæ accepturi erant dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua : Quia et ipsi quodammodo sua relinquunt, quando propriis contenti rebus, nihil eorum quæ labori, vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt. Quòd si putant idcò accipi debere eorum, quæ conferuntur Ecclesiæ, portionem, ne eam videantur abjicere, se verò non posse sua relinquere, quòd eis deforme sit inter suos pauperes reddi; noverint esse deformius, possessores de eleemosynis pauperum pasci.

S. BERNARD. *Epist.* 2. *ad Falcon. n.* 11. Conceditur ergo tibi, ut si benè deservis, de altario vivas; non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut indè compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea à collo et manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est: rapina est, sacrilegium est.

Epist. 42. *seu Tract. ad Henric. de morib. et offic. Episc. cap.* 2. *n.* 7. Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur, et dicunt: Dicite, Pontifices, in freno quid facit aurum? Nunquid aurum à freno repellit frigus sive esuriem? Nobis frigore et fame miserabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, et nos sanguine Christi redempti sumus: nos ergo fratres vestri. Videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum et vos vanitando peritis, et nos spoliando perimitis.

GAUFR. ABB. *Declamat. ex serm.* S. BERNARDI. *ad Henr. S. R. E. Card. aliàs serm. in hæc verba*: Ecce nos reliquimus omnia, etc. *Declam.* 17. Sed esto studiosè quis et fructuosè laboret. *Dignus* planè *est operarius mercede suâ: ut qui altario servit, de altario vivat.* (1. *Tim.* v. 18. 1. *Cor.* ix. 13.) Vivat, inquam, de altario, ut juxta eumdem Apostolum *alimenta et quibus tegatur habens, his contentus sit.* (1. *Tim.* vi. 8.) Tertium enim hoc periculum est: *De altario*, inquit, *vivat*, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur: *non*, contra Sancti cujusdam planè dignam omni acceptione sententiam, *ex clericatu ditior fiat.* (*S. Hier. Ep. ad Nepot. Vide Bernar. Epist.* 2.) Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis; nec loculos indè congreget: nec in vanitate aut superfluitate dispergat: non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, per sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sanè patrimonia sunt pauperum, facultates Ecclesiarum, et sacrilegâ eis crudelitate surripitur, quidquid sibi Ministri et dispensatores, non utique domini vel possessores, ultra victum accipiunt et vestitum. Nec enim ordinavit Deus his qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere delicias vel ornatum, sed vivere, ait Paulus (1. *Cor.* ix. 14.) ex eo, ut videlicet sint contenti alimento corporis; non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, et quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere. Sanè qui non fideliter introivit, neque per Christum, quidni infideliter agat, et contra Christum? Manifestam sine dubio faciet arborem fructus, radicem palmes, opus intentionem. Faciet ad quod venit, ut mactet utique et disperdat. Quando altario serviat qui ejusmodi est: serviat autem *in spiritu et veritate? Tales* nimirùm *Pater adoratores* quærit (*Joan.* iv. 23.), alioquin ministratio mortis est, in judicium et condemnationem. Aut quando poterit necessariis esse contentus, qui eo animo introivit, ut stipendia cleri in usus voluptatis, curiositatis et vanitatis congreget, servet, expendat? Triplex ergo funiculus qui difficilè rumpitur, hominem miserum in perniciem trahit, qui impurè intrat, indignè ministrat, sed et ipso fructu abutitur temporali.

S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 87. *art.* 1. *ad quart....* Terliæ verò decimæ, quas cum pauperibus comedere debebant, in nova lege augentur, per hoc quòd Dominus non solùm decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus jubet exhiberi: secundùm illud Lucæ xi. 41. *Quod superest date eleemosynam.* Ipsæ etiam decimæ quæ Ministris Ecclesiæ dantur, per eos debent in usus pauperum dispensari.

Art. 3. Ad primum ergo dicendum, quòd in veteri lege, sicut dictum est, speciales quædam decimæ deputabantur subventioni pauperum: sed in nova lege decimæ dantur clericis, non solùm propter sui sustentationem, sed etiam ut ex eis subveniant pauperibus; et ideò non superfluunt, sed ad hoc necessariæ sunt possessiones Ecclesiasticæ, et oblationes, et primitiæ, simul cum decimis.

I. Quid intelligis per honestam Beneficiarii sustentationem?

R. Illud intelligo quod necessarium est ad victum, et vestitum, et habitationem, et decentiam statûs, habità ratione non cupiditatis, cui nunquam sat est; sed gradûs et dignitatis, quæ huic beneficio annexa est, idque æstimandum prout viri prudentes, præceptorum Evangelii tenaces judicaverint.

I. Quibus pauperibus erogandum est quod superest ex beneficii proventibus?

R. Illis maximè qui morantur vel in eo loco in quo beneficium situm est, vel in locis adjacentibus, seu sub beneficiarii jure et ditione constitutis. Id sanè recta ratio postulat, ut pauperes velut domestici, qui solvunt Ecclesiæ decimas aliosve reditus annuos, quorum fortè majores ditarunt Ecclesiam, qui quotidiè ministrant et operas suas locant huic Ecclesiæ, qui sunt sub Beneficii clientela et patrocinio constituti, præferantur alienis: id postulat ordo charitatis. Suos unaquæque Ecclesia pauperes habet quos alere et fovere tenetur.

I. Nonne licet Beneficiariis dare aliquid suis parentibus vel consanguineis ex annuis beneficii proventibus?

R. Si parentes et propinqui pauperes sint, possunt et debent juvari ut pauperes ex beneficii proventibus: illos verò ditare, illorum augere fortunam, fovere luxum, cupiditatem, mollitiem, ex redditibus Ecclesiæ, grande nefas est, Ecclesiæ canonibus qualibet ætate prohibitum. (B)

Art. 4. *ad quart.* Decimæ debent cedere in subventionem pauperum, per dispensationem clericorum.

(B) CAN. APOST. *Can.* 39. *aliàs* 37. *Tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 51. Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset, NEC EI LICEAT EX HIS ALIQUID OMNINO CONTINGERE, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt, condonare. Quòd si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædetur.

Can. 41. *aliàs.* 40. Præcipimus, ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus INDIGENTIBUS OMNIA DISPENSENTUR per Presbyteros et Diaconos, et cum timore omnique sollicitudine ministrentur. EX IIS AUTEM, QUIBUS INDIGET, SI TAMEN INDIGET, ad suas necessitates et ad peregrinorum fratrum usus ipse percipiat, ut nihil eis possit omninò deesse. Lex enim Dei præcipit, ut qui altari deserviunt, de altari pascantur (*Deut.* XVIII. 1. 1. *Cor.* IX. 13. *Ibid.* 7.): quia nec miles stipendiis propriis contra hostes arma sustulit.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 25. *cap.* 1. *De reformat.* Omninò verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant: cùm et Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causâ: imò, quàm maximè potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, nudè multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitùs deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica, tam secularia quàm regularia, obtinentibus, pro gradûs sui conditione observari, sed et ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.

Lege Patres suprà laudatos hocce §. litt. (A)

I. Quomodo parentes administrare debent proventus Ecclesiasticos filiorum suorum, qui beneficia possident in ætate puerili constituti?

R. Multò satius esset, ut ex Ecclesiæ mente et veteri disciplina illis solùm beneficia Ecclesiastica conferrentur, qui possent ea per se administrare. Hinc regula illa celebris et nemini non nota, *Beneficium datur propter officium.* Cujus regulæ is sensus est, huic solùm ex mente Ecclesiæ beneficium conferri oportere, qui officium huic beneficio annexum exsequi valet: ita ut qui per se munus illud exsequi nequit, nec per ætatem valet bona Ecclesiæ administrare, hunc longè satius foret à beneficiis arceri.

Sed quoniam jam malum illud ita invaluit, ut vix prohiberi queat: sciant saltem parentes,

1° Sibi non licere bona Ecclesiæ miscere cum bonis familiæ, illisque indiscriminatim uti ut suis. Qui secùs faxint, sentient illi Deum ultorem et vindicem. (C)

2° Quas suprà retulimus leges rectæ administrationis bonorum Ecclesiæ, has ipsis esse sanctè observandas non secùs ac Beneficiariis: quandoquidem ipsi beneficiario. um nomine bona hæc administrant.

§. 8. De minoribus Ordinibus, officiisque eorum.

I. Qui Ordines minores dicuntur?

R. Apud Græcos duo sunt solùm Ordines minores, nimirùm Lectoratûs et Subdiaconatûs. Apud Latinos quatuor sunt, nimirùm, Ostiariatûs, Lectoratûs, Exorcistarum et Acolytharum ordines. (A)

I. Reprehenditne Romana Ecclesia Græcorum usum?

R. Nullatenùs. Is enim antiquissimus est; et in iis quæ non pertinent ad fidem suos usus cuique Ecclesiæ servare licet, ex mente Romanæ Ecclesiæ. (B)

(C) PSAL. LXXXII. 13. Qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. 14. Deus meus pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. 15. Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes: 16. Ita persequeris illos in tempestate tua: et in ira tua turbabis eos. 17. Imple facies eorum ignominiâ: et quærent nomen tuum, Domine. 18. Erubescant, et conturbentur in seculum seculi: et confundantur, et pereant. 19. Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: Tu solus altissimus in omni terra.

(A) *Vide quæ dicimus ad* 2. *Respons.* §. *sequentis.*

(B) CONCIL. CONSTANTIN. IV. *act.* 10. *can.* 5. *an.* 870. Prioribus ergo canonibus concordantes, definimus; neminem de senatoria dignitate, vel mundanâ conversatione nuper tonsum super intentione vel exspectatione Pontificatûs, vel Patriarchatûs honoris, clericum aut Monachum factum, ad hujusmodi scandere gradum; licèt per singulos ordines divini Sacerdotii plurimùm temporis fecisse probetur: neque enim propter religionem vel amorem Dei, aut propter exspectationem transeundi viam virtutum, sed ob amorem gloriæ ac principatûs tonsus hujusmodi reperitur: magis autem coercemus hujusmodi, si ab Imperatoria dignitate ad hoc compellatur. Si verò quis per nullam suspicionem prædictæ concupiscentiæ exspectationis, sed propter ipsum bonum humilitatis, quæ est circa Christum Jesum abrenuntians mundo, fiat clericus, aut Monachus, et omnem gradum Ecclesiasticum transigens, per definita

I. Quis ergo in Ecclesia Græca cæterorum Ordinum functiones obit?

R. Partim Lectores, partim Subdiaconi, partim Diaconi. (C) nunc tempora irreprehensibilis inventus exstiterit, et probatus, ita ut in gradu Lectoris annum compleat, in Subdiaconi verò duos, sitque Diaconus tribus, et Presbyter quatuor annis, benè placuit huic sanctæ et universali Synodo elegi hunc et admitti.

JOAN. PP. VIII. *Epist.* 199. *ad Basil. Constant. et Alexand. Imperator. Tom.* 9. *Concil. Labb. col.* 132. Nullus de laïcis vel curialibus in Patriarchatûs eligatur vel consecretur honore, nisi de Cardinalibus Presbyteris et Diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundùm sacros canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentiâ consecratos; quia nec præproperè contra canones Ecclesiasticos, decretaque majorum citò quilibet Lector, citò Acolythus, citò Diaconus, citò Sacerdos vel Episcopus fiat: qui in minoribus officiis sic diù perdurent, et vita eorum pariter et obsequium comprobetur, ut per tempora à Majoribus instituta, comprobatis priùs moribus, et bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad summum Sacerdotium postmodum veniant. Quoniam non est subitò præripiendum vel usurpandum, quod vita diù probata meretur accipere. Nam si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum; quantò magis elaborandum est, ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite; et indè fiet, ut omnis Ecclesiastica disciplina resolvatur, omnis ordo turbetur.

(C) ISAAC HABERT Doctor Sorbon. *Observat.* 1. *ad part.* 5. *Liturgiæ Ordinum in Pontif. Græcor. pag.* 47. De Hypodiacono statim post Anagnosten seu Lectorem: sic enim S. Joan. Damasc. Orat. contra Manichæos: *Prima est Lectoris dignitas, sequitur Hypodiaconus.* Neque tamen inficias ierim interjectos rarò alios (præter *thyrorous* seu *pylorous*) Ostiarios qui infimi gradûs erant apud Eusebium lib. 6. Epiphanium hæresi 80. Laodic. Synod. can. 24. ut Exorcistas eodem loco Laodic. Synod. et can. 26. Acolythos apud Eusebium lib. 3. de vita Constant. qui posteà *cheroforoi* Ceroferarii dicti sunt; de quorum, per manûs impositionem, ordinatione extra sanctuarium agit Simeon Thessalonicensis. lib. de Mysteriis. qui hunc Ordinem seu officium apud Græcos exstinctum miratur. Series igitur illa ejusmodi ordinum non omninò constans ac perpetua exstilit: imò multò clarius est in usu fuisse ut Anagnostæ gradum, Hypodiaconi absque medio gradus exciperet. Rem demonstrat can. 5. Concilii OEcumenici VIII. *Si quis fiat Clericus aut Monachus, et omnem gradum Ecclesiasticum transiens, per definita nunc tempora irreprehensibilis inventus fuerit et probatus, ita ut in gradu Lectoris annum compleat: in Subdiaconi verò duos; sitque Diaconus tribus, Presbyter verò quatuor Annis, beneplacuit sanctæ et universali Synodo eligi hunc atque admitti* (ad Episcopatum).

R. P. JACOB. GOAR Ord. FF. Prædic. *in notis in Euchолog. Græcum pag.* 238. *col.* 2. Indubiè dicendum arbitror, Ostiarios, Exorcistas, et Acolythos, licèt hoc nomine non insignitos, etiam Orientalem Ecclesiam primis maximè temporibus penès se habuisse, sed eorum munera minori forsan quàm par erat attentione circumspecta, inter officia tantùm Ecclesiæ, qualia sunt Fossariorum, Primicerii, Sacellarii, etc. recensuisse; vel ex eo quòd eorum exercitia officiorum, vel ordinum aliorum provinciis adjunxerint; eos deinceps quasi minùs necessarios Ordines censuisse, vel ex negligentia nullatenùs sub Ordinis ratione respexisse; quod cùm sancta Romana Ecclesia alibi quàm in Cypro non reprehenderit, nullo penitùs pacto defectuosæ ordinum administrationis Græci videntur incusandi, etiamsi tribus prædictis gradibus hucusque caruisse dicantur. Ut minus verò necessarios Ordines, vel ut officia tantummodò prædictos gradus habuisse, efficacissimis deduci potest conjecturis. Prima, quòd Concilii Sardicensis Canon 10. Ordines quibus gradatim ad Episcopatûs apicem ascenditur, enumerans, Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri meminit quidem, aliorum verò nusquam: unum-

quemque verò gradum (*ecaston bathmon*) recensere se Concilium subindicat, nec tamen Ostiarium, Exorcistam, vel Acolythum includit, quod argumento est, illud, non eos ut ordines, aut saltem ut non necessarios, profiteri. Secunda fundatur in dicto Damasceni, qui in Dialogo contra Manichæos Ordines seriatim commemorans, trium illorum nec de nomine facit mentionem. *Principium est etiam secundùm ordinem, veluti primus gradus Lectoris est, deindè Subdiaconi, tum Diaconi, posteà Presbyteri, et tandem Episcopi.* Tertia, quòd recensitis omnium Ordinum gradibus, et enucleatè plurium sanctorum Ordinationibus enumeratis apud citatum, nulla Ostiarii, Exorcistæ, vel Acolythi, in illis exstat memoria, nullus iis tribuitur locus: utique quia quasi Ordines non approbarentur per Ecclesiam universam, aut quia à plerisque minùs necessarii judicarentur. Quarta, quòd Græcorum tam antiqua quàm recentiora Euchologia, satis superque declarant, ut *cheirotonias* et legitimos *Ordines*, solos Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, etc. gradus agnovisse, quorum proindè promovendorum ritum, cærimonias, institutа, et orationes præfixas exhibent: aliorum (exceptâ Ceroferarii ex uno solo Euchologio superiùs transcriptâ benedictione,) ne verbo quidem attingunt. Tali verò pacto Euchologia cuncta depravata fuisse, ut ex iis cuncta ad Ostiarium, Exorcistam, et Acolythum spectantia officia fuerint abrasa, vel à Græcis malitiosè occultata, nec solà quidem mente suspicandum est, cùm nihil indè emolumenti, detrimenti plurimum percepturi essent, et ordinem pacemque Ecclesiæ, in levioris momenti materia graviter essent perturbaturi. Ostiarios itaque, Exorcistas, et Acolythos, si quondam Græcos admisisse productis superiùs auctoritatibus vel argumentis aliis convincatur quispiam; ut Ministeria, Officia, Titulos, vel Dignitates eos tenuisse arbitretur; ut veros ordines nequaquam. Sed neque ampliùs aliquid Auctoris cujuspiam dictum superiùs relatum expostulat. Dionysius enim varios (*leitourgous*) *Ministros* perturbatim et confusè citat, dilucidè nullum: quis autem Ministri appellatione Hypodiaconum, Lectorem, aut cuilibet officio ab ordine alieno præpositum, non queat intelligere? Ignatius præterea, Epiphanius, et Canon 24. vel 26. Concilii Laodicæni, Ostiarios quidem et Exorcistas celebrant: verùm non ut ordines, et *cheirotonia* provectos; sed tantùm ut Ecclesiasticâ dignitate et officio insignitos, undè promiscuè simul cum Cantoribus, Fossariis, etc. eos recenset: Exorcizare insuper prohibet 26. Canon relatus, alios quàm Exorcistæ munere ab Episcopo (*proacthentas*) *provectos;* ita est: sed illi apud Græcos ex antiqua traditione sunt Sacerdotes soli, ex quo solùm eruitur, eum qui Sacerdos est, etiam Exorcistæ munere posse fungi. Eusebius autem licèt omnium Ecclesiæ graduum percenseat numerum, ex ipsis ejusdem verbis luce clariùs patet, eum de solius Romanæ, nedum Latinæ consuetudine vel instituto, memoriam agere. Quà tandem ratione Ostiarii et Acolythi munus, officium non Ordinem esse Græci teneant, paucis determinat Symeon Thessalonicæ Episcopus, facie quidem tenus hujusdem expositionis adversarius, et attentiùs inspectus ejusdem acutissimus auctor: *Sunt aliæ officiorum promotiones, Deputati nimirùm aut Ceroferarii.* Vide officium non ordinem agnoscere: agnosce insuper *cheirothesian* quasi *Commissionem* vel *Promotionem* solam, collatum hujusmodi Officium nuncupare, non *cheirotonian;* quà voce ut plurimùm recentiores Græci *Ordinem* intelligunt, rarissimè, *cheirothesias* dictione; quam *apo tes cheirotonias*, ex ipso Symeone distinctam esse, declarabimus in sequentibus. Sed nec in Officiorum numerum et seriem, Deputatum referri permittit Joannes Citrii, Juris Orient. lib. 3. quem cum Custodibus, alius forsan diceret Ostiariis, et Camisatis assumptum in obsequium et ministerium asserit.... *Custodes* (vasorum sacrorum quando à scenophylace foras promuntur), et *Deputati* (Ceroferarii) *Camisati*, (albis velut camisiis induti, carbonibus et aquæ providendæ præfecti) *non sunt Officia, sed Ministeria circa sacrum Tribunal illis convenientia et imposita.* Contendenti autem pro septenario apud antiquos Græcos numero, atque olim suos Ostiarios, Exorcistas, et Acolythos sacro ritu inauguratos, ex præscripto Ecclesiæ habuisse tenaciùs propugnanti, aliæ in adversùm rationes ex æquo et justo sunt proferendæ, quæ ordinum istorum omis-

sionis causas faciant manifestas. Prima est, quam ante octo tantùm annos Christophorus Campanus Canonarcha Chiensis in Oriente mihi tunc agenti, et denuò Parisiis interroganti, Nathanaël Leucados sive S. Mauræ Archiepiscopus assignavit, æqualem nempè esse utraque in Ecclesia numerum Ordinum; Ostiarios tamen, Exorcistas, et Acolythos, Græcam separatim non instituere, unicâ Lectoris benedictione, quatuor à nobis minores Ordines vocatos conferre, atque ita uno Lectoris Ordine accepto, Ostiarium, Exorcistam, Lectorem, et Acolythum, eumdem evadere : cujus quidem rationis indicium et signum ostendebant, quòd Lector ordinatus, idem sacris altaris foribus adstat, cereum Evangelio legendo præfert, Scripturam quoque sacram legit, atque Energumenis ex Pontificis commissione, quæ nunc tantùm Sacerdotibus demandatur, manus posset imponere. Ut minùs profundæ litteraturæ hominum, risu à quibusdam excepta est responsio hæc, quæ mihi tamen non ex omni parte incongrua apparet, ut quæ eadem Arcudio Græcis in dogmatibus versatissimo priùs placuerit, et eam suo assensu lib. 6. cap. 10. paginâ 470. his verbis concepto confirmaverit : *Clarum est hos Ordines ante perniciosissimum schisma cessasse, vel quod mihi magis arridet, connexos cum aliis Ordinibus fuisse :* et sequenti paginâ dum juxta Innocentii quarti decretum ab imposito resumendæ trium istorum Ordinum collationis onere Græcos suos liberare molitur, *Si Legatus*, inquit, *scripsisset Græcos hos Ordines, et munera illorum cum aliis Ordinibus conjunxisse, fortassis Pontifex non ita rescripsisset : et ideò Pontifex addit verbum* (*dicuntur.*) Scripserat autem Pontifex : hucusque Græci *tres de minoribus Ordinibus neglexisse vel prætermisisse, dicuntur.* Lectorem verò solum aliorum Ordinum sibi munia aggregasse ex eo Græci superiùs laudati arguebant, quòd vernacula lingua (*diacachiou*) *Diaconuli* nimirùm nomen gerat, ut in pluribus iisque humilioribus ministeriis solus occupatus, solusque plurium ministeria soleat obire. Secunda ratio ternarii Ordinum omissi, potuit esse Lectoris supra illos in Ecclesia necessitas, ambita potestas, et ubique ampliori honore dignitas excepta : sublimius enim, et Ecclesiæ munus est utilius, si publicè divini eloquii codices evolvas, et circumfuso plebis conventu audiente sacra verba enunties, quàm si ad templi fores removendis à synaxi alienis, aut consortibus admittendis excubes, aut cereum manu feras, aut cum D. Martino Exorcistæ locum, quia juxta Severum Sulpicium injuriæ expositus est, occupare contendas : undè solo Lectoris gradu plurimi contenti, à reliquis suscipiendis abstinuerunt, et exindè Præsules Ecclesiæ Græcæ moderatores, eorum onera Ordinibus aliis adjungere non sunt veriti. Tertia est, quòd his inferioribus ministeriis obeundis, non solùm Ordines sacros, sed officia quoque et Dignitatum titulos ab Ecclesia viderunt institutos : præter Ostiarium enim quem communiter officialium Ecclesiasticorum catalogus, à nobis infrà referendus *thyroron* appellat, alius est apud illos (*Ecclesiarches*) *Ecclesiæ præpositus :* qui *semanterois crotalis* atque campanis aliquibus in locis, populum ad Synaxim convocat; cui in ministerio supposita sunt alia duo Officia minora, (*tou diabastou*) *Lectoris* (illius nimirùm cui Patrum homilias, Sanctorum vitas, et devota quæque opera legendi publica facta est potestas, et *apo to diabaso*, *to anaginosco* nomen habet) et (*tou candelaptou*) *accensoris* cereorum et lampadum, cui cereos quoque deferendi demandata est provincia : sed et Deus ipse fidelibus suis exorcizandi dæmones, prout ei placuerit, facultatem confert, ut Justinus Martyr in dialog. cum Tryphone, et Tertullianus de corona militis, et in Scapulam affirmant : hacque fortassis de causâ dixit S. Clemens Apostol. Const. lib. 8. cap. 26. *Exorcista nusquam ordinatur ; hoc enim munus, spontanea est divinæ benevolentiæ et gratiæ* (*erga homines*) *concessio.* Liceat tamen insuper quartam superioribus rationem adjungere, privatæ nimirùm et specialis in Ostiario, Exorcista et Acolytho ordinando orationis defectum : ex quo forlè contigit, ut pro veris Ordinibus, aut saltem necessariis non existimati, deinceps omninò fuerint neglecti, aut prætermissi. Cùm enim in officiis cuilibet committendis hac brevi formulâ successivè à Majoribus accepta uti soleant Pontifices Græci, *Gratia sancti Spiritûs te instituit in œconomum, in templi custodem, in Diaconum secundum :*

I. Cur quatuor supradicti Ordines minores dicuntur?

R. Ut distinguantur ab Ordinibus sacris et majoribus, quibus qui initiantur, et ad altare accedunt propiùs, et divino servitio sic mancipantur, ut nefas sit à proposito resilire. (D)

I. Quænam sunt officia Ostiariorum?

R. Debent, 1. Ostia Ecclesiæ aperire et claudere.

2. Dignos in Ecclesiam introducere; arcere ab ea indignos, nimirùm, infideles, hæreticos, palàm excommunicatos, et interdictos.

3. Cavere ne tempore divinorum officiorum ad Sancta Sanctorum accedatur, nisi ad ministerium altaris.

4. Cavere ne mulieres tempore divinorum officiorum in choro maneant juxta Clerum.

5. Cavere ne quid fiat in Ecclesia indecens et indecorum; ne confabulationes fiant, ne temerè per Ecclesiam incedatur, ne quis exteriori habitu corporis adstantes offendat.

6. Curare ut Ecclesia ipsa et sacrarium, et sacra supellex, et altaria, et ornamenta, et imagines, et cætera quæ ad Dei cultum pertinent, munda et nitida serventur ut decet; et ne quidquam depereat eorum quæ intra Ecclesiam sunt.

7. Pulsare campanas Ecclesiæ.

8. Aperire librum ei qui prædicat.

I. Quænam sunt virtutes Ostiariorum propriæ?

R. 1. Zelus domùs Dei.

2. Cura et diligentia. Exemplum rectæ vitæ.

3. Animi fortitudo.

4. Mundities. (E)

I. Quænam sunt officia Lectorum?

R. Ipsorum est 1. Legere palàm et publicè scripturas veteris testamenti et scripta Patrum in solemnibus Ecclesiæ officiis.

2. Olim Sacerdote divinas Scripturas ex suggestu interpretante, legebat Lector quod Sacerdos posteà interpreta-

quam pariter, vel aliam æquè tritam et communem in promovendi Ostiario, Exorcistâ, et Acolytho usurparunt: factum est, ut sicut tali enuntiato, œconomum, Ecclesiæ custodem, vel Diaconum secundum, ordine novo se cohonestare non arbitrantur; ita nec ex illâ, quam dictis gradibus conferendis communem habebant; quâ idcircò neglectâ, vel spretâ, etiam Ordines ipsi apud ipsos viluerunt, neglecti sunt et tandem omninò prætermissi.

(D) *Id fusiùs explicabimus in §. sequente.*

(E) Pontific. Rom. *in Ordin. Ostiar.* Suscepturi, Filii charissimi, officium Ostiariorum, videte, quæ in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum, et campanam: aperire Ecclesiam, et sacrarium: et librum aperire ei qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam vestram, illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat; certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, et semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut, sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis, et clauditis; sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Deo: ut divina verba quæ audierint, corde retineant, et opere compleant; quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.

retur. Si autem Episcopus interpretaretur, Diaconi legebant. (F)

3. Hoc quoque Lectorum officium est, ut rudes et pueros informent primis Christianæ fidei præceptis.

4. Possunt, si eis demandetur, benedicere panem, et omnes fructus novos.

I. Quænam sunt virtutes Lectorum propriæ?

R. 1. Amor, lectio, meditatio assidua Scripturarum.

2. Catechismi rectè tractandi solertia, quæ quidem haberi nequit nisi doctrina Ecclesiæ rectè teneatur; quam proindè sedulò addiscere debent Lectores.

3. Sedula oratio pro illis qui catechizantur.

4. Veritatis amor et vitæ exemplum, ut quod ore legunt corde credant, atque opere compleant, auditoresque suos verbo pariter et exemplo doceant.

I. Quænam sunt officia Exorcistarum?

R. 1. Exorcizare dæmones, et per impositionem manuum et Exorcismos Ecclesiæ abjicere eos à corporibus baptizatorum et catechumenorum. Sed id munus jam fit ut plurimùm à Sacerdotibus.

2. Parare aquam et salem cæteraque necessaria ad benedictionem aquæ quâ utitur Ecclesia ad Exorcismos.

3. Parare item quidquid necessarium est ad Exorcismos ab Episcopo vel à Presbytero faciendos, ipsisque in hac functione adesse et ministrare.

4. Ferre vas aquæ benedictæ ad aspersionem.

5. Dicere populo, ubi opus est, ut qui non communicat det locum.

6. Aquam in ministerio fundere.

I. Quænam sunt virtutes Exorcistarum propriæ?

R. 1. Spiritus gratiæ et precum, et mortificationis.

2. Cordis puritas.

3. Humilitas.

Illis si virtutibus careant, sic expellent dæmones à cordibus aliorum virtute orationum et exorcismorum Ecclesiæ, ut eos ad se introducant. Illis succumbent quos ab aliis effugabunt. (G)

(F) PONTIFIC. ROMAN. *in admonitione Lectoris.* Electi, Filii charissimi, ut sitis Lectores in domo Dei nostri, officium vestrum agnoscite, et implete. Potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis animæ. Lectorem siquidem oportet legere ea quæ (*vel* ei qui) prædicat: et lectiones cantare, et benedicere panem, et omnes fructus novos. Studete igitur verba Dei, videlicet lectiones sacras distinctè, et apertè, ad intelligentiam et ædificationem fidelium absque mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuriâ vestrâ ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis, quatenùs auditores vestros, verbo pariter, et exemplo vestro docere possitis. Idcoque, dum legitis, in alto loco Ecclesiæ stetis, ut ab omnibus audiamini, et videamini, figurantes positione corporali vos in alto virtutum gradu debere conversari: quatenus cunctis, à quibus audimini, et videmini, cœlestis vitæ formam præbeatis: quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.

(G) PONTIFIC. ROMAN. *in admonitione Exorcistarum.* Ordinandi, Filii

I. Quænam sunt officia Acolythorum ?

R. 1. Accendere luminaria Ecclesiæ.

2. Ceroferaria vel faces quæ intorstitia dicuntur, in publicis Ecclesiæ officiis deferre.

3. Ferre thuribulum, et thurificare.

4. Ignem et thus parare.

5. Vinum et aquam ad Eucharistiam parare, et ministrare Subdiacono.

6. Adesse et ministrare Subdiacono, Diacono et Sacerdoti, ubi eorum ministerium requirebatur.

Exstabant olim et aliæ functiones Acolythorum jam obsoletæ, ut constat ex veteri Ordine Romano. (H)

charissimi, in officium Exorcistarum, debetis agnoscere quid suscipitis. Exorcistam etenim oportet abjicere dæmones, et dicere populo, ut qui non communicat det locum, et aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos; et per impositionem manuum vestrarum, gratiâ Spiritûs sancti, et verbis exorcismi pelluntur spiritus immundi à corporibus obsessis. Studete igitur, ut, sicut à corporibus aliorum dæmones expellitis, ita à mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam, et nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare; ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim rectè in aliis dæmonibus imperabitis, cùm priùs in vobis eorum multimodam nequitiam superatis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum sanctum suum. Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. (*Matth.* XVII. 20.)

(H) ORDO ROM. I. *Tom.* 2. *Mus. Ital. pag.* 4. Unus autem ex Acolythis stationarius præcedit pedester equum Pontificis, gestans sanctum chrisma manu in mappula involuta cum ampulla. Sed et omnes Acolythi absque sacculis, et sindonibus et chrismate non procedunt.

Pag. 5. Acolythi autem, qui indè fuerint, observant, ut portent chrisma ante Pontificem, et Evangelia, sindones et sacculos, et aquamanus post eum.

Pag. 6. Parat Evangelium qui lecturus est, reserato sigillo ex præcepto Archidiaconi super planetam Acolythi: et si necesse fuerit propter majora Evangelia, duobus Acolythis super planetas tenentibus parat Evangelium. Quo facto, Acolythus Evangelium usque ante altare in Presbyterium, præcedente eum Subdiacono sequente, qui eum desuper planetam illius suscipiens, manibus suis honorificè super altare ponat.

Pag. 8. Duo Acolythi tenentes capsas cum sanctis apertas, et Subdiaconus sequens cum ipsis tenens manum suam in ore capsæ, ostendit sancta Pontifici.

Pag. 10. Post hoc (*scil. post lectionem Evangelii*) præparato Acolytho in pogio juxta ambonem cum capsa, in qua Subdiaconus idem ponit Evangelium ut sigilletur.

Ibid. *Dum oblationes populi accipit Pontifex*, sequitur cum scypho super planetam Acolythus, in quo calix impletus refunditur. Oblationes à Pontifice suscipit Subdiaconus.... et Subdiaconus sequens ponit in sindonem, quam tenent duo Acolythi.

Pag. 12. Quando inchoat Canonem (Pontifex), venit Acolythus, sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suum in parte dextra usque medium Canonem.

Pag. 13. Et (*instante scilicet communione*) accedentes Subdiaconi sequentes cum Acolythis, qui saccula portant, à dextris et à sinistris altaris, extendentibus Acolythis brachia cum sacculis; stant Subdiaconi sequentes à fronte, ut parent sinus sacculorum Archidiacono ad ponendas oblationes (*consecratas*) priùs à dextris, deindè à sinistris. Tunc Acolythi vadunt dextrà lævâque per Episcopos circum altare: reliqui descendunt ad Presbyteros, ut confringant hostias.

I. Quænam sunt virtutes Acolythorum propriæ?

R. Sic lucere debet lux eorum, id est, fides eorum et charitas coram hominibus (*Matth.* v. 16.), ut videant opera eorum bona, et glorificent Patrem Deum, qui in cœlis est. (1)

D. JOAN. MABILLON. *Comment. in Ordinem Rom. n.* 6. §. 1. *postquam multis probavit olim ut Sacrificii unitas demonstraretur particulam consecratam ex priori Sacrificio conservatam fuisse, et in calicem immissam cum alia particula ex Sacrificio mox oblato, hæc sibi objicit* §. 2. Cur autem, inquies, per Acolythos deferebatur fermentum, si ipsa Eucharistia erat, et non per majores Ministros? *Hujc objectioni respondet*: Acolythorum id officium erat ut sacculos ad confringendas in Missâ oblatas consecratas portarent, easque Sacerdotibus confracturis exhiberent, uti patet ex libellis Ordinis Romani. Quapropter in sua ordinatione sacculos ab Episcopo antiquitùs accipiebant in signum hujus muneris et officii.... Undè Acolythi duo in Missa pontificali cùm Pontifex procedebat ad altare, deferebant *capsas cum sanctis*, id est, Eucharistiâ, easque tenebant apertas, dum Pontifex sancta adorasset.

N. 8. §. 14. Confirmato Pontifice, Archidiaconus *refundebat parum de calice* seu de sanguine consecrato *in scyphum*, quem tenebat Acolythus. Hic est, scyphus seu calix ministerialis, in quem vinum oblatum ex majori calice refusum fuisse superiùs notavimus: ac proindè sanguis refusus in illum scyphum cum vino jam in eum refuso commiscebatur ad populum confirmandum, ut mox dicemus. In aliis locis et Ecclesiis non infundebatur vinum cum sanguine consecrato, nisi ubi advertebant Ministri non suffecturum sanguinem purum communicaturis.

§. 16. Post hæc Archidiaconus recepto de manu Episcopi calice, reliquum sanguinis refundebat in scyphum Acolythi, cujus supra meminimus, aut certè in calicem majorem, in quo pariter vinum ex oblatione contentum esset. Hæc secunda refusio in duobus primis libellis diserte exprimitur, sed unica in tertio, cujus hæc verba notanda sunt: *Sed ipse Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem, sive in scyphum, quem tenet Acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus: quia vinum, etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum, sanctificatur per omnem modum.* Ex hac consequentia, (quæ in aliis libellis non habetur, fortassè à posteris intrusa) intelligitur saltem, in illo majori calice, sive in scypho contentum fuisse vinum ex oblatione refusum, antequam sanguis Christi in eum refunderetur. Cur autem populus non ex puro, sed ex mixto cum vino sanguine fuerit confirmatus, posteà expendemus. Sic evacuatus calix sacer tradebatur primùm Subdiacono, qui mox calamum Archidiacono tribuebat ad confirmandum populum: tum Acolytho, qui eumdem calicem in paratorium, seu in thecam suam recondebat.

Lege etiam doctissimi DD. GODEAU, Episc. Vinciensis *sermonem ad Acolythos.*

(1) PONTIFIC. ROM. *in Ordinat. Acolythorum.* Suscepturi, Filii charissimi, officium Acolythorum, pensate quod suscipitis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum officium dignè implere. Non enim Deo placere poteritis, si lucem Dei manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis. Sed sicut Veritas dicit: (*Matth.* v. 16.) *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Et sicut Apostolus Paulus ait (*Philip.* II. 15. *et* 16.): *In medio nationis pravæ atque perversæ, lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* (*Luc.* XII. 35.) *Sint ergo lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, ut sitis lucis filii.* (*Rom.* XIII. 12.) *Abjiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.... Fructus enim lucis in omni bonitate, et justitia, et veritate.* (*Ephes.* V. 8. *et* 9.) Estote igitur solliciti in omni justitia, bonitate et veritate, ut et vos

I. Licetne hæc minorum Ordinum officia parvipendere?

R. Imò maximi facienda sunt. Quidquid ad sacrum ministerium pertinet, et ad Dei cultum, et ad sacrosanctæ Eucharistiæ celebrationem solemnem, id magnum est et grave et dignum veneratione. Primis Ecclesiæ seculis minores Ordines ut magna merces conferebantur iis qui Christi fidem constanter confessi essent coram Tyrannis: vel qui cæteris fidelibus exemplo vitæ diù præluxissent. (K)

et alios et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc enim in Dei sacrificio dignè vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam et bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.

(K) S. Cyprian. *Epist.* 38 *, aliàs* 33. Aurelius frater noster, illustris adolescens, à Domino jam probatus et in Deo suo charus, in annis adhuc novellus, sed in virtutis ac fidei laude provectus; minor in ætatis suæ indole, sed major in honore, gemino hic agone certavit; bis confessus, et bis confessionis suæ victoriâ gloriosus; et quando vicit incursu factus extorris, et cùm denuò certamine fortiore pugnavit, triumphator et victor in prælio confessionis exstitit: quoties adversarius provocare servos Dei voluit, toties promptissimus ac fortissimus miles et pugnavit et vicit.... Nec invenio quid in eo prædicare plus debeam, gloriam vulnerum an verecundiam morum; quòd honore virtutis insignis est, an quòd pudoris admiratione laudabilis? Ita et dignitate excelsus est, et humilitate submissus, ut appareat illum divinitùs reservatum, qui ad Ecclesiasticam disciplinam cæteris esset exemplo, quomodo servi Dei, in confessione virtutibus vincerent, post confessionem moribus eminerent. Merebatur talis Clericæ ordinationis ulteriores gradus et incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus; sed interim placuit ut ab officio lectionis incipiat: quia et nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosà prædicatione confessa est, quàm celebrandis divinis lectionibus personare: post verba sublimia quæ Christi Martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde Martyres fiunt: ad pulpitum, post catastam venire: illic fuisse conspicuum gentilium multitudini, hic à fratribus conspici: illic auditum esse cum miraculo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur, fratres dilectissimi, à me et à collegis qui præsentes aderant, ordinatum sciatis; quod vos scio et libenter amplecti, et optare tales in Ecclesia nostra quàm plurimos ordinari.

Epist. 39. *aliàs* 34. Referimus ad vos Celerinum fratrem nostrum virtutibus pariter et moribus gloriosum, clero nostro non humanâ suffragatione, sed divinâ dignatione conjunctum. Qui cùm consentire dubitaret Ecclesiæ ipsius admonitu et hortatu, in visione per noctem compulsus est ne negaret nobis suadentibus, cui plus licuit, quæ et coegit: quia nec fas fuerat, nec decebat sine honore Ecclesiastico esse, quem sic Dominus honoravit cœlestis gloriæ dignitate. Hic ad temporis nostri prælium primus, hic inter Christi milites antesignanus, hic inter persecutionis initia ferventia cum ipso infestationis principe et auctore congressus; dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vincit, vincendi cæteris viam fecit; non brevi compendio vulnerum victor, sed adhærentibus diù et permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator... Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa: eminent et apparent in nervis hominis, membris longâ tabe consumptis, expressa vestigia... Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio et miraculo ejus ipsius qui se persecutus fuerat, illustrem, quid aliud quàm super pulpitum, id est, super tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, et plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta et Evangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur? Vox Dominum confessa in his quotidie, quæ Dominus loculus est, audiatur? viderit an sit ulterior gradus ad quem profici in Ecclesia possit... Nihil est in quo magis

§. 9. De majoribus Ordinibus in genere; et de Cælibatu iis annexo.

I. Quinam sunt majores et sacri Ordines?

R. Subdiaconatus, Diaconatus, et Sacerdotium.

I. Cur Ordines illi dicuntur sacri et majores?

R. 1° Quia illis annexa est major potestas, et facultas accedendi propiùs ad altare.

2° Quia illis initiati consecrantur Deo specialiùs et modo irrevocabili.

3° Quia illis annexa est lex perpetui cælibatûs. (A)

Sunt tamen nonnulla circa totam hanc responsionem observanda.

1° Subdiaconatus non fuit semper apud Latinos, sicut necdum est, ut diximus, apud Græcos, in numero sacrorum Ordinum. Id patet ex jure Canonico, aliisque multis antiquæ disciplinæ monumentis. (B)

Confessor fratribus prosit, quam ut dum Evangelica lectio de ore ejus auditur, lectoris fidem quisquis audierit, imitetur. Jungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo et divini honoris societate conjunctus est, cum quo omnibus virtutis et laudis insignibus copulatus est, pares ambo, et uterque consimiles: in quantum gloriâ sublimes, in tantum verecundiâ humiles; quantùm divinâ dignatione promoti, tantùm suâ quiete et tranquillitate submissi: et virtutum pariter et morum singulis exempla præbentes, illic robore, hic pudore laudabiles. In talibus servis lætatur Dominus. In ejusmodi confessoribus gloriatur, quorum secta et conversatio sic proficit ad præconium gloriæ, ut magisterium cæteris præbeat disciplinæ.

S. SULPIC. SEVER. *in vita S. Mart. aliquantò post initium.* Tentavit... Hilarius, imposito Diaconii officio sibi eum arctiùs implicare, et ministerio vincire divino. Sed cùm sapientissimè restitisset, indignum se esse vociferans: intellexit vir altioris ingenii, hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque Exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiavit.

De officio Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, et Acolythorum qui plura nosse cupit, adeat libros eximios, omni pietate et scientiâ Ecclesiasticâ refertos, qui hac de re conscripti sunt: nempe DD. GODEAU Episcopi Vinciensis *Sermones de Ordinibus sacris, seu*, Discours sur les Ordres sacrés: *librum* D. TRONSON *quem inscripsit*, Forma cleri: *Beuveletii Meditationes, seu* les Méditations de BEUVELET: *denique librum cui titulus: le Parfait Ecclésiastique*, Clericus perfectus, *à* D. CLAUD. DE LA CROIX.

(A) PONTIF. ROM. *in Ordinat. Subdiac. pag.* 22. *sic ordinandos alloquitur Episc.* Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatûs ordinem promovendi, iterùm atque iterùm considerare debetis attentè, quod onus hodiè ultrò appetitis. Hactenùs enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad secularia vota transire; quòd si hunc Ordinem susceperitis, ampliùs non licebit à proposito resilire, sed Deo cui servire regnare est, perpetuò famulari; et castitatem illo adjuvante, servare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proindè, dum tempus est cogitate; et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini hùc accedite.

(B) DECRET. GREG. IX. *lib.* 1. *tit.* 14. *de ætate et qualit. et ordine præficiendi cap.* 9. *ex* INNOCENT. III. *ad Mutinens. Episc. Epist.* A multis multotiès an Subdiaconus in Episcopum eligi valeat hæsitatur. Siquidem Urbanus Papa primus decrevit, ut nullus in Episcopum, nisi in sacris Ordinibus religiosè vivens inventus fuerit eligatur. *Sacros* (inquit) *Ordines Diaconatum dicimus; et Presbyteratum: hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse; Subdiaconis verò* (*quia etiam ipsi ministrant*

2° Omnes olim Clerici erant ministeriis Ecclesiæ perpetuò mancipati : nec licebat illis à proposito resilire, sicut nunc Subdiaconis aliisque Clericis majoribus hoc non licet. Id constat ex pluribus Conciliis : ex Chalcedonensi œcumenico, ex Triburiensi, ex Hispalensi, ex Libris Capitularium. (C) Patet id quoque ex Legibus Imperatoris Justiniani,

altaribus) *opportunitate exigente concedimus in Episcopos eligi, si tamen præclaræ scientiæ, ac religionis existant. Quod ipsum non sine Romani Pontific. vel Metropolitani licentiâ fieri permittimus.* In quibus verbis innuitur, quòd Urbanus ad statum primitivæ Ecclesiæ se referens (in quo Subdiaconatûs ordo sacer minimè dicebatur) instituit ut de Subdiacono (nisi utilitatis causâ, et tunc etiam de permissione Metropolitani, vel Romani Pontificis) non possit electio celebrari. Verùm cùm hodie Subdiaconatus inter sacros Ordines computetur, sicut Urbanus Papa II. sub his verbis expressit ; erubescant impii, et intelligant judicio Spiritûs sancti eos, qui in sacris Ordinibus Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi, si castè non vixerint excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate. *Ita ad Episcopatum possunt eligi declarante eodem, his verbis :* Nos volentes super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus ut Subdiaconus in Episcopum valeat liberè eligi, sicut Diaconus et Sacerdos.

ISAAC HABERT Doctor Sorbon. *Observat.* 1. *ad partem* 5. *Liturg. Ordinum in Pontif. Eccles. Græcæ pag.* 48. Consultius est meo quidem judicio Ordines Hierarchicis inferiores, ipsumque adeò Hypodiaconi, et à Sacramentorum censu expungere, et ad institutionem duntaxat Ecclesiasticam cum antiquis Theologis referre. Sed enim illi Magistrum sententiarum Petrum Lombardum Parisiensem Episcopum ita sentientem laudarunt.... Doctorum itaque Magister lib. 4. sentent. *Canones*, inquit, *duos tantùm Ordines excellenter appellandos censent, Diaconatûs scilicet et Presbyteratûs : quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse : Subdiaconos et Acolythos procedenti tempore, Ecclesia sibi constituit.* Hæc verba descripsit Gratianus Dist. 2. Quin istud eò mihi probabilius, quòd apud Latinos Hypodiacono manus haudquaquam imponatur, quam tamen cærimoniam, divinæ institutionis et Apostolici temporis ordinatio proculdubio requireret.

(C) CONCIL. CHALCED. Œcum. *an.* 451. *Can.* 7. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 759. Eos qui in Clero semel ordinati sunt, et ilidem Monachos, statuimus nec ad militarem expeditionem, nec ad secularem dignitatem posse venire. Qui autem hoc audent, et non pœnitentiâ ducti ad id reverluntur, quod propter Deum priùs elegerant, anathematizari.

CONCIL. HISPAL. II. *an.* 619. *Can.* 3. *tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 1664. *in fine.* Desertorem autem Clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum, aliquo tempore Monasterio deligari convenit ; sicque posteà in ministerio Ecclesiastici ordinis revocari. Nam non poterit in talibus pervagationibus aboleri licentia, nisi fuerit in eis propter correptionem disciplinæ obsecuta censura.

CONCIL. TRIBUR. *an.* 895. *Can.* 27. *tom.* 9. *Concil. Labb. col.* 454. In Synodo Chalcedonensi capite septimo statutum est, ut Clerici qui semel in Clero deputati sunt, neque ad militiam, neque ad aliquam veniant dignitatem mundanam : et hoc tentantes, et pœnitentiam non agentes, quò minùs redeant ad hoc, quod propter Deum primitùs elegere, anathematizari. Nos autem eamdem sequentes canonicam auctoritatem, statuimus, ut Clericus Ecclesiasticè nutritus in Ecclesia coram populo vel legens, vel cantans, si postmodum relicto Clericatûs habitu, à castris dominicis, quibus adscriptus est, profugus et apostata elabitur, et ad seculum egreditur : ab Episcopo canonicè coerceatur, ut ad sinum matris Ecclesiæ revertatur. Quòd si in hac indisciplinatione perdurat, sit comam nutriat, constringatur, ut iterùm detondeatur, et posteà nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. Si verò huic hujus sancti Concilii reluctaverit definitioni, secundùm præstitutam Chalcedonensis capituli constitutionem anathematizetur.

et Leonis Philosophi. (D) Viget etiamnum hæc disciplina in Oriente : vigebat et in Occidente ad seculum usque decimum tertium, ut patet ex S. Raymundo de Pennaforti, qui jussu Gregorii IX. summorum Pontificum decretales Epistolas in ordinem redigit, et in quinque libros partitus est. (E)

CAPIT. AQUISGRAN. *an.* 789. *cap.* 25. Item in eodem Concilio (Laodicensi,) ut Clerici et Monachi in suo proposito et voto quod Deo promiserunt permaneant. *Idem Capit. habetur* CAPITULAR. *lib.* 1. *cap.* 16.

CAPIT. FRANCOFORD. *an.* 794. *cap.* 22. De Clericis et Monachis, ut in suo proposito permaneant.

CAROLI MAGNI *Capit.* 1. *incerti anni cap.* 9. Ut Monachus vel Clericus ad secularia negotia non transeat.

Cap. 12. Ut Clerici et Monachi in suo proposito permaneant.

PIPPINI *Capit. excerpta ex lege Longobardor. can.* 17. Ut Pontifex unusquisque ordinet et disponat Ecclesiam suam canonico ordine, et Sacerdotes suos vel Clericos distringat canonico ordine vivere. Et si quis Pontifex Clericos suos canonico ordine distringere noluerit, et si illi ad secularem pertransierint habitum, quod Canones Clericos prohibent facere, Comes qui in illo loco ordinatus fuerit distringat illos in omnibus ad suam partem sicut alios exercitales.

Capit. lib. 7. *cap.* 393. Clerici cujuslibet gradûs in quibuscunque locis ordinati fuerint Ministri, ad eadem loca pertineant, atque in ipsis locis perseverent.

(D) JUSTINIAN. Imperat. *Novella* 124. *cap.* 15. Generaliter sancimus, nulli licere in quolibet Ecclesiastico gradu constituto discedere ab eo, et secularem fieri : scientibus tale aliquid facientibus, quia et quasi apposito sibi cingulo aut dignitate aut militiâ nudabuntur, et curiali fortunæ propriæ civitatis tradentur.

LEO. PHILOSOP. *Constit.* 7. Statuimus ut quicunque clericorum habitum mutare profanorum habitu improbè instituerit, is quotiescunque actus fuerit in istiusmodi vecordiam, secundùm Ecclesiasticum decretum, quantumvis invitus in clericorum habitu restituatur : tametsi qui Ecclesiastici ordinis statum recipiat, dignus non sit, uti qui se ipse illo indignum transfugio constituerit.

(E) S. RAYMUND. DE PENNAFORT. *Summ. Theolog. lib.* 1. *pag.* 50. *de Apostatis* §. 8. Quid si aliquis accepit primam tonsuram tantùm, nunquid potest eam deserere ? Credo quòd non ; quia Clericus est. 21. Dist. Cleros. Dist. 54. ex antiquis. Et Clericus quilibet compellitur per anathema vivere clericaliter. 20. qu. 3. eos qui extra de vi et ho. cle. Si quis ex clericalis comam relaxaverit, anathema sit. Quid si talis, vel etiam Acolythus acceperit uxorem ? Videtur quòd adhuc teneatur deferre coronam, cantare in Ecclesia et clericaliter vivere. 22. Dist. Si quis verò 12. qu. 1. quia tua. Et ita planè sentit H. aliique, ut B. La T. et Jo. et eorum sequaces distinguunt, utrum transivit ad actum prorsùs contrarium : putà, duxit uxorem corruptam, vel secundam, vel fortè se fecit militem, exercuit sæva vel simile ; et tunc mox denudatur omni privilegio Ecclesiæ vel dignitatis, ut dist. 84. quisquis. Aut non transivit ad actum prorsùs contrarium ; putà, quia simpliciter ambulat in habitu laïcali ; vel etiam duxerit uxorem, sed virginem, tunc debet vivere clericaliter, sicut dicit H. et tenetur portare coronam, dist. 32. seriatim, etc.

F. WILLEL. RHEDON. Ord. Præd. *vel juxta alios* JOAN DE FRIBURG. *in Glossis ad hunc locum.* I. *Nunquid potest* eam deserere, de jure scilicet et sine peccato ? R. *Credo quod non*, (sine causa rationabili supple.) Quod est ex causa rationabili, potest, sicut credo : putà, si ducit uxorem, et sine scandalo uxoris non potest : aut si non possit vivere de officio clericali ; quia pauper et parùm litteratus, et magnam habet familiam quam sustentare non potest, nisi immisceat se negotiationi, etc. Sed quæritur quare qui minores Ordines accepit, tamen non potest ad statum, et habitum secularem reverti ; cùm in susceptione hujusmodi Ordinum minorum nullum emittatur votum ? Quia si diceretur quòd votum immittatur in susceptione eorum, cùm quilibet vovens compellendus sit

Tandem jure novo alia disciplina invecta est, quæ jam toto in Occidente viget, ut Clericis in minoribus constitutis liceat ad secularia vota transire, et privare se ultrò privilegiis Clericorum, habitum et tonsuram Clericalem abjiciendo.

3° Quamvis Clerici minores essent ministeriis Ecclesiæ perpetuò mancipati, licebat tamen iis matrimonium inire, nec propterea privabantur officio et privilegio Clericorum, nec beneficiis Ecclesiasticis : et hæc est quidem etiamnum Ecclesiæ Græcæ disciplina. Aliud sanxit Alexander III. cujus eâ de re decretum exstat in libro tertio Decretalium, Titulo de Clericis conjugatis. (F)

4° Excipe tamen Subdiaconos, quibus ex antiquissima Ecclesiæ tam Orientalis quàm Occidentalis disciplina vetitum est conjugium, quamvis ipsorum ordo nondum inter majores haberetur. (G)

votum servare, in nullo casu permittendus esset clericus dimittere clericatum. R. Hoc non contingit propter votum, sed propter constitutionem Ecclesiæ, quæ statuit, quòd ex quo quis clericatum recepit, ad laïcalem statum non revertatur, ne per hoc clericalis usus vilis et contemptibilis habeatur : sicut statuitur, quòd qui semel Baptismum accepit, licèt coactus, resilire non possit, ne fides vilis et contemptibilis habeatur, 45. dist. de Judæis. Rigor tamen illius constitutionis revocatus est partim per contrariam consuetudinem, quam scit Papa et non revocat; partim per jura quædam, quæ posteà in contrarium emanaverunt quantùm ad quosdam casus, ut extra de Clericis conj. ex parte et cap. ult.

(F) Decret. Greg. IX. *lib.* 3. *tit.* 3. *de cleric. conjug. cap.* 1. *ex* Alexand. III. Si qui clericorum infra Subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad derelinquenda beneficia Ecclesiastica, et retinendas uxores districtione Ecclesiast. compellatis. Sedsi in Subdiaconatu et aliis superioribus Ordinibus uxores accepisse noscuntur : eos uxores dimittere, et pœnitentiam agere de commisso, per suspensionis et excommunicationis sententiam compellere procuretis.

Cap. 2. Provideas attentiùs, ne deinceps clericus conjugatus ad Ecclesiastica beneficia, vel sacros Ordines, aut administrationes Ecclesiasticas admittatur : nisi forte castitatem voveret perpetuam, et qui unicam et virginem habuisset uxorem.

(G) Canon. Apost. *Can.* 25. *Tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 30. Ex iis, qui non ductâ uxore ad Clerum promoti sunt, jubemus, (si velint) uxorem ducere Lectores et Cantores solos.

Codic. *lib.* 1. *tit.* 3. *de Episc. et cleric.* Imperat. Justinian. *Leg.* 45. Sacris canonibus neque Deo amantissimis Presbyteris, neque reverendissimis Diaconis aut Subdiaconis nuptias contrahere post hujusmodi ordinationem permittentibus, sed solis reverendissimis Psaltis et Lectoribus id concedentibus, etc.

Justinian. *Novell.* 6. *col.* 1. *tit.* 6. *cap.* 5. Si autem aliquis Presbyter aut Diaconus aut Subdiaconus posteà ducat uxorem aut concubinam, aut palàm, aut occultè : sacro statim cadat Ordine, et deinceps *indicta* sit.

Novell. 22. *coll.* 4. *tit.* 1. *de nuptiis cap.* 42. Sed et si quis inter reverendissimos constitutus Clericos (ultra Lectorem aut Cantorem dicimus) omninò contraxerit nuptias : hunc ex nostra constitutione cadere Sacerdotio constituimus atque volumus. Si verò Lector existens, et nuptias faciens, deindè, propter aliquam inevitabilem necessitatem ad secundas veniat nuptias, nequaquam ad majoris Sacerdotii ascendet culmen : sed illic manebit apud mulierem, affectum illius præponens meliori provectui. Si verò cùm sit laïcus, ad ordinationem Subdiaconi, aut Diaconi, aut Presbyteri venire voluerit, deinde appareat mulierem habens, non ex virginitate sibi copulatam, sed aut disjunctam à marito, aut aliter non ab initio mox sibi legitimè conjunctam; aut etiam ipse

I. Multos tamen habet Ecclesia Græca Subdiaconos, imò et Diaconos et Presbyteros conjugatos, ut norunt omnes?

R. Fateor, multi sunt in Ecclesia Græca Clerici majores conjugati, sed jam conjugati erant antequam ad Subdiaconatum promoverentur. Nunquam enim licuit Subdiaconis, Presbyteris vel Episcopis inire matrimonium, idque ex utriusque Ecclesiæ lege.

Excipiebantur tamen olim ab eâ lege ex Concilii Ancyrani Canone, qui promovebantur ab Episcopis ad Diaconatum, protestantes velle se uxores ducere, nec posse se continere: illis enim si factâ hâc protestatione ordinati fuissent, licebat uxorem ducere; si tacuissent, non licebat. Alioqui abstinere cogebantur à ministerio in perpetuum. (H)

ad secundas venerit nuptias: non impetrabit Sacerdotium: sed et licèt latenter ad hoc venerit, omninò eo cadat.

Novell. 123. *cap.* 14. §. 2. Si verò futurus ordinari Diaconus non habuerit uxorem (sicut priùs dictum est) conjunctam sibi: non aliter ordinetur nisi priùs ab ordinante eum interrogatus promiserit *posse post ordinationem et sine legitima uxore honestè vivere*: non valente eo qui ordinat, in tempore ordinationis permittere Diaconum aut Subdiaconum post ordinationem uxorem accipere. Is autem qui permittit Episcopus, expellatur ab Episcopatu. Si verò post ordinationem Presbyter aut Diaconus aut Subdiaconus uxorem duxerit: expellatur à clero, et curiæ civitatis illius in qua clericus erat, cum propriis rebus tradatur.

Leonis Philos. *Constit.* 79. Quæ semel Deo dedicata sunt, ea deinceps auferre non oportere, sancitum est: idque non solùm in donariis, verùm multò etiam magis in hominibus, qui per sacrum Ordinem Divinæ majestati consecrati sunt, observandum est: tametsi (ut multi sunt hominum lapsus) è statu in quem tanquam honestè victuri, allecti erant, peccatum dominio in ipsos suscepto, exturbet. Non approbantes igitur veteris legislatoris propositum, qui Sacerdotem, Diaconum aut Hypodiaconum, si post assumptum ordinem mulieri in matrimonium jungatur, omninò à clericali habitu discedere atque ad profanam vitam reverti vult: illud Decretum irritum facimus; ac verò statuimus, ut ab Ordine quem ante nuptias obtinuerint solùm recedentes, satis tamen pœnarum luere videantur, et nequaquam clericali habitu, alioque Ecclesiæ ministerio, cujus quidem usus illicitus non est, judicio priventur.

Concil. Quinisext. in Trullo *an.* 692. *can.* 6. *tom.* 6. *Concil. Labb. col.* 1144. Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ductâ uxore in Clerum promoventur, solos Lectores et Cantores uxorem posse ducere: et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitùs Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur. Si quis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege matrimonii mulieri conjungi antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.

Concil. Eliberit. *Can.* 33. *Vide infrà hocce §. litt.* (I)

(H) **Concil. Ancyr.** *ann.* 314. *Can.* 10. *Tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 1459. Quicunque Diaconi constituti, in ipsa constitutione testificati sunt, et dixerunt, oportere se uxores ducere, cùm non possint sic manere, ii si uxorem posteà duxerint, sint in ministerio, eò quòd hoc sit illis ab Episcopo concessum. Si qui autem hoc silentio prætcrito, et in Ordinatione, ut ita manerent suscepti sunt, posteà autem ad matrimonium venerunt, ii à Diaconatu cessent.

Decret. *part.* 1. *distinct.* 31. *cap.* 12. *ex hist. Tripart. lib* 2. *cap.* 14. Nicæna Synodus corrigere volens hominum vitam in Ecclesiis commorantium, posuit leges, quas Canones vocamus, in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, et Subdiaconi cum conjugibus, quas ante consecrationem duxe-

De Subdiaconis major est difficultas, tum apud Latinos, tum apud Græcos : neque enim tam sanctè circa eos in omnibus Ecclesiis servabatur disciplina cælibatûs prioribus seculis.

I. Licetne ergo Clericum conjugatum ad Subdiaconatum cæterosque majores Ordines promovere ?

R. Ut huic quæstioni ritè respondeatur, multa distinguenda sunt.

1° In Ecclesia Latina non licet Clericum conjugatum ad Subdiaconatum cæterosve majores Ordines promovere, nisi postquam uterque conjugum solemniter consensit in perpetuam à toro conjugali separationem. Excipe tamen uxoris adulteræ casum : cùm enim hæc judiciali sententiâ declarata est adultera, potest eam maritus invitam dimittere, et sine illius consensu promoveri ad Sacros Ordines.

2. Hæc disciplina viget etiamnum in Ecclesia Græcâ pro Episcopis ; qui non ordinantur nisi cælibes vel perpetuæ continentiæ legi obstricti.

3. Non licet quidem jam apud Græcos Subdiaconis, Diaconis, aliisve Clericis majoribus matrimonium inire ; sed si laïci vel Lectores matrimonium inierint, possunt ad Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum promoveri, retentâ secum uxore. Et hæc quidem ratio est, cur apud Græcos omnes ferè Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi jam sint conjugati, si Monachos excipias. Et soli ferè Monachi jam assumuntur apud illos ad Episcopatum, ob continentiæ legem Episcopis omnibus positam ex prisco jure, cui jus novum nondum apud eos derogavit hac in parte.

I. Cur non servat eamdem ea de re disciplinam utraque Ecclesia tam Græca quàm Latina ?

R. Quia Latina Ecclesia antiquitatis est hac in parte tenacior. Græca autem Ecclesia jam pridem discessit à veteri disciplina, quæ et in Oriente servabatur. (I)

rant, non dormirent. Surgens autem in medio Paphnutius confessor contradixit, honorabiles confessus nuptias, et castitatem esse dicens, cum propria conjuge concubitum, suasitque Concilio, ne talem poneret legem : gravem esse asserens causam quæ in ipsis aut eorum conjugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius (licèt nuptiarum esset inexpertus) exposuit : Synodusque laudavit sententiam ejus : et nihil ex hac parte sancivit : sed hoc in uniuscujusque voluntate, non in necessitate dimisit.

(I) S. Epiphan. *Exposit. fidei Cathol. cap.* 21. Sacerdotium ex virginum ordine præcipuè constat, aut si minùs è virginibus, certè ex Monachis : aut si minùs Monachorum ordine ex his creari Sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent, aut secundùm unas nuptias in viduitate versantur. Secundis verò nuptiis implicitus, in Ecclesia ad Sacerdotium non admittitur, tametsi aut sese ab uxore contineat, aut si viduus. Ejusmodi, inquam, ab Episcopi, Presbyteri, Diaconi, et Subdiaconi gradu rejicitur. Secundùm hos gradus Lectorum ordo ex omnibus ordinibus eligi potest, hoc est, è virginibus, Monachis, continentibus, viduis et iis qui honestis matrimoniis illigantur. Immo si necessitas fuerit ex bigamis. Quippè Lector non Sacerdos est, sed tanquam divini verbi scriba. *Hæres.* 39. *vel* 59. *quæ est Catharor. n.* 4. Quin eum qui adhuc in matri-

monio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, neque quam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit Ecclesia; sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut eâ sit orbatus. Quod in illis locis præcipuè fit, ubi Ecclesiastici canones accuratè servantur.

S. Leo Magn. *Epist.* 2. *alias* 92. *ad Rustic. Narbon. Inquis.* 3. *de his qui altario ministrant, et conjuges habent, utrum eis licitò misceantur?* Responsum. Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris: qui cùm essent laïci sive Lectores, licitè et uxores ducere, et filios procreare potuerunt; sed cùm ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Undè, ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant, sic habere: quò et salva sit charitas connubiorum, et cesset opera nuptiarum.

Epist. 12. *aliàs* 84. *cap.* 4. *De Subdiaconorum continentia.* Nam cùm extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, et procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: *ut et qui habent, sint tanquam non habentes* (*Cor.* VII. 29.), et qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri: quantò magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentiâ quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate uxoria necdum frenasse delegitur.

S. Hieron. *Lib.* 1. *adv. Jovin. Tom.* 4. *nov. Edit. part.* 2. *col.* 175. Ipsa Episcopalis electio mecum facit. Non enim dicit: Eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, et filios faciat: sed qui unam habuerit uxorem, et filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat. Alioqui, si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem sint virgines quod mariti; aut si Sacerdotibus non licet uxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed et hoc inferendum: Si laïcus et quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali, Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam et in veteri lege qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati, et vinum et siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare. Eliguntur mariti in Sacerdotium, non nego: quia non sunt tanti virgines, quanti necessarii sunt Sacerdotes.

Lib. advers. Vigilant. circa init. Proh nefas. Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes; si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi priùs uxores duxerint: nulli cælibi credentes pudicitiam, imò ostendentes quàm sanctè vivant, qui malè de omnibus suspicantur: et nisi prægnantes uxores viderint Clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, et sedis Apostolicæ; quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?

S. Ambros. *Lib.* 1. *de offic. Minist. cap. ult. n.* 253. Inoffensum autem exhibendum et immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coïtu violandum cognoscitis, qui integri corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis? Quod eò non præterii, quia in plerisque abditioribus locis cùm ministerium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios susceperunt: et id tanquam usu veteri defendunt, quando per intervalla dierum sacrificium deferebatur; et tamen castificabatur etiam populus per biduum aut triduum, ut ad sacrificium purus accederet, ut in veteri Testamento legimus; (*Exod.* XIX. 10.) et lavabant vestimenta sua. Si in figura tanta observantia, quanta in veritate?

S. August. *Lib.* 2. *de adult. conjug. cap. ult. n.* 22. Istos, qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam, quando terremus ne

De Subdiaconis tamen etiam apud Latinos ante seculum undecimum continentiæ lex non ubique obtinuit.

I. Quandonam abrogata est apud Græcos antiqua Ecclesiæ disciplina circa Presbyterorum et Diaconorum cælibatum?

R. Jam à desinente seculo sexto Græci apud Trullum in Concilio Constantinopolitano congregati sanxerunt eam de adulterinis conjugiis hærendo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt. Dicimus ergo eis: Quid si et vos ad hoc subeundum populorum violentiâ caperemini, nonne susceptum castè custodiretis officium, repentè conversi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam anteà cogitastis? Sed illos, inquiunt, honor plurimùm consolatur. Respondemus, et vobis timor multò ampliùs moderetur. Si enim hoc multi Dei Ministri repentè atque inopinatè impositum susceperunt, sperantes se illustriùs in Christi hæreditate fulgere; quantò magis vos adulteria cavendo vivere continenter debetis, metuens non in regno Dei minùs lucere, sed in gehenna ignis ardere?

Concil. Nicæn. œcum. I. *an.* 325. *can.* 3. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 30. Vetuit omninò magna Synodus, ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono nec ulli penitùs eorum qui sunt in Clero, introductam habere mulierem, præterquam utique matrem vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt.

Ex Arab. 4. *ibid. col.* 292. *De cohabitatione mulierum prohibita Episcopis, Presbyteris, et Diaconis propter cælibatum, cap.* 4. Decernimus, ut Episcopi non habitent cum mulieribus; neque Presbyter, qui viduus est; nec illas comitentur; neque familiarem consuetudinem cum eis habeant, nec in eas studiosè aspiciant. Idem decernitur de omni Sacerdote cælibe, idemque de Diaconis, qui sine uxore sunt. Hoc autem intelligendum est, sive mulier pulchra sit, sive deformis, sive puella virgo, sive ancilla adolescens, aut natu grandis, sive puella orphana prætextu educandi eam propter charitatem. Siquidem diabolus hujusmodi armis Religiosos, Episcopos, Presbyteros et Diaconos occidit, et immittit eis ardorem libidinis. Sin autem fuerit anus et provectæ ætatis, aut soror, aut mater, aut amita, aut avia, licebit cum eis habitare, quia tales personæ alienæ sunt ab scandalo suspicionis.

Concil. Eliberit. *ann.* 305. *can.* 33. *Tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 974. Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris et Diaconibus, vel omnibus Clericis positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, et non generare filios: quicunque verò fecerit, ab honore Clericatûs exterminetur.

Concil. Carthag. II. *an.* 397. *cap.* 2. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1159. Aurelius Episcopus dixit: Cùm in præterito Concilio de continentiæ et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis, per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, et Diaconos ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, Dei Sacerdotes, nec non et Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quò possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: Placet, ut in omnibus et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt.

Concil. Carthag. V. *an.* 398. *cap.* 3. *ibid. col.* 1215. Præterea cùm de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos et Presbyteros et Diaconos, secundum propria statuta, etiam ab uxoribus continere. Quòd nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.

Concil. Ancyran. *cap.* 10. *Vide suprà hocce* 2. *litt.* (H)

cælibatu et conjugio Clericorum disciplinam, quæ etiamnum viget apud eos. (K)

I. Quid ad hanc in re tam gravi disciplinæ Ecclesiasticæ mutationem Ecclesia Romana ?

R. Ecclesia Romana contradixit primùm : Dein pro bono pacis usum hunc toleravit, utpotè qui non pertineret ad Ecclesiæ fidem, sed ad disciplinam, quam pro variis necessitatibus subindè immutari posse norunt omnes. (L)

(K) CONCIL. QUINISEXT. in Trullo. *ann.* 692. *can.* 13. *Tom.* 6. *Concil. Labb. col.* 1148. Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro Canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum, vel Presbyteratum, profiteantur se non ampliùs suis uxoribus conjungendos, nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris legitima conjugia deinceps quoque firma et stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutuâ tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque Ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se à legitima cum uxore consuetudine abstenturum : ne ex eo à Deo constitutas et suâ præsentiâ benedictas nuptias injuriâ afficere cogamur, Evangelicâ voce exclamante : *Quæ Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX. 6. *Marc.* X. 9.) : et Apostolo docente, *honorabiles nuptias et torum immaculatum* (*Hebr.* XIII. 4.), et *alligatus es uxori ? ne quære solutionem.* (1. *Cor.* VII. 27.) Scimus autem, sicut et qui Carthagine convenerunt, et vitæ Ministrorum honestatis curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant et Diaconi, et Presbyteri secundùm proprios terminos à consortibus abstineant : ut et quod per Apostolos traditum est, et ab ipsa usque antiquitate servatum, nos quoque similiter servemus, tempus in omni re scientes, et maximè in jejunio et oratione. Oportet enim eos, qui Divino altari assident, in Sanctorum tractandorum tempore esse omninò continentes, ut possint id quod à Deo simpliciter petunt obtinere. Si quis ergo fuerit ausus præter Apostolicos Canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in sacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore et consuetudine privare, deponatur. Similiter et si quis Presbyter vel Diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, segregetur : et si perseverat, deponatur.

Can. 6. *Vide suprà hoece* §. *litt.* (G)

(L) DECRET. *part.* 1. *distinct.* 31. *cap.* 14. *ex* CONCIL. LATERAN. IV. *an.* 1215. *sub* INNOCENT. III. Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur : Istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum à Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.

DECRET. GREG. IX. *lib.* 3. *Tit.* 1. *de vita et honest. Cleric. cap.* 13. *ex* CONCIL. GENER. LATERAN. IV. *an.* 1215. *sub* INNOCENT. III. *cap.* 14. Ut Clericorum mores, et actus in melius reformentur, continenter et castè vivere studeant universi, præsertim in sacris Ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcaventes, maximè illo, *propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ* (*Ephes.* V. 6.), quatenùs in conspectu omnipotentis Dei puro corde, ac mundo corpore valeant administrare. Ne verò facilitas veniæ, incentivum tribuat delinquendi, statuimus ut qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minùs peccaverint, puniantur, secundùm canonicas sanctiones, quas efficaciùs et districtiùs præcipimus observari : ut quos divinus timor à malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato. Si quis igitur hac de causa suspensus præsumpserit celebrare divina : non solùm Ecclesiasticis beneficiis spolietur, verùm etiam pro duplici culpa perpetuò deponatur. Prælati verò, qui tales præsumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maximè

I. Cur sanxit Ecclesia Clericis continentiæ legem ?

R. Ut alieni à secularibus negotiis, sollicitudinibus, tribulationibus, quæ matrimonio annexa esse constat, divinis officiis et procurandæ proximi saluti vacent liberiùs; purioresque mente et corpore accedere possint ad Sancta Sanctorum et ad tractanda divina mysteria, maximèque ad Sacrificii tremendi celebrationem. (M)

§. 10. De Titulo Beneficii vel Patrimonii requisito ad Subdiaconatum, cæterosque majores Ordines.

I. Præter cælibatum, quæ alia lex Subdiaconis constituitur ?

R. 1° Ut divinum officium quotidiè persolvant, non secùs ac beneficiarii omnes. Hoc est, ut recitent quotidiè Horas canonicas, nocturnas pariter et diurnas : quæ lex omnibus Clericis majoribus constituta est.

2° Ut præter scientiam, morum probitatem, continentiam aliasque virtutes in omnibus Clericis requisitas, ut diximus, attigerint prætereà vigesimum secundum ætatis annum.

3° Ut habeant vel Beneficium vel Patrimonium undè vivere possint. Quod quidem Titulus Clericalis vulgò dicitur. (A)

obtentu pecuniæ vel alterius commodi temporalis : pari subjaccant ultioni. Qui autem secundùm regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, graviùs puniantur; cùm legitimo matrimonio uti possint.

Tit. 3. *De Cleric. conjug. cap.* 6. *ex* INNOCENT. III. *ad Archeront. Episc. Epist.* Cùm olim ad nostram audientiam pervenisset, quòd Canonici Anglorien. Cantorem Tricaricen. sibi elegerant in Pastorem : (*et infrà.*) Licet tibi de forma electionis Canonicæ, ac idoneitate personæ, in aliis constitisset : movit te tamen, quòd cùm pater ejus Græcus fuerit, et juxta ritum Græcorum uxorem duxerit in minoribus Ordinibus constitutus, Cantorem ipsum ex uxore legitima in Sacerdotio suscepisset. Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit; quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto : mandamus, quatenùs nisi pro eo, quòd inter Latinos Græci hujusmodi conversantur, regionis consuetudo repugnet, si aliud canonicum non obsistat, ad confirmationem et consecrationem ejusdem sine dubitatione procedas.

(M) 1. CORINTH. VII. 28. Si autem acceperis uxorem, non peccasti : et si nupserit virgo, non peccavit : tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.... 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. 33. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.... 35. Porrò hoc ad utilitatem vestram dico : non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

Qui de Cælibatu Clericorum plura nosse cupiunt, adeant R. P. THOMASSINI *eximium* de disciplina Ecclesiastica *opus part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 43. *et* 44. *et part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. 28. *et part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 25. *et alibi.*

(A) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 21. *De Reformat. c.* 2. Statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus secularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ et ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere. Id verò beneficium resignare non possit, nisi factâ mentione quòd ad illius beneficii titulum sit promotus : neque

I. Cur Ecclesia vult neminem ordinari Subdiaconum, nisi qui titulum Clericalem habeat ?

R. Ut ministri Ecclesiæ habeant omnes undè vivere possint, nec cum Ordinis dedecore mendicare, aut aliquem turpem quæstum exercere teneantur; sed rebus divinis liberè vacare possint, de suo victu et vestitu minimè solliciti. (B)

Circa hunc titulum sedulò videant parentes Clericorum et ipsi Clerici ne fraudibus et mendaciis Ecclesiam decipiant. Grande nefas est Ecclesiæ et Spiritui sancto mentiri. Id docet Exemplum Ananiæ et Saphiræ, qui subitâ nece in pœnam suæ fraudis abrepti sunt. (C)

Nefas ergo est parentibus vel propinquis Clericorum patrimonii titulum eâ lege constituere, ut nihil de hoc patrimonio Clerici se percepturos esse spondeant. Nefas titulum falsum et mendax patrimonii supponere, etc.

Hoc quoque circa patrimonii titulum observare juvat, ex Concilii Tridentini sanctione, non debere quemquam ad sacros Ordines promoveri sub titulo patrimonii, nisi id Ecclesiæ vel necessitas vel utilitas postulaverit. (D)

I. Cur id sanxit Tridentina Synodus ?

R. Rem paucis explico.

Antequam Ecclesiæ bona dispertita essent in varios et multiplices titulos beneficiorum, ut nunc sunt, cujusque Ecclesiæ bona, ut jam diximus, in commune referebantur, et ex iis tribuebatur quod cuique opus esset. Tunc sacris canonibus cautum erat, ne quis ad sacros Ordines promoveretur, quin simul inscriberetur alicui Ecclesiæ, cujus ex bonis aleretur et sustentaretur (E), ut fit etiamnum circa

ea resignatio admittatur, nisi constito, quòd aliundè vivere commodè possit : et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque priùs perspecto, patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam substentandam satis sint : atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui. vel remitti nullatenùs possint; donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti : vel aliunde habeant, undè vivere possint : antiquorum Canonum pœnas super his innovando.

(B) Concil. Trident. *Sess.* 21. *De Reformat. cap.* 2. Cùm non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere.

(C) Act. v. 1. Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum, 2. et fraudavit de pretio agri, conscià uxore suâ : et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. 3. Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri ? 4. Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate ? Quare posuisti in corde tuo hanc rem ? non es mentitus hominibus, sed Deo. 5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit et exspiravit.

(D) *Vide suprà litt.* (A) *hocce* 2. Concil. Trident. *Sess.* 21. *cap.* 2.

(E) Conc. Chalc. *an.* 451. *can.* 6. *Tom.* 4. *Conc. Labb. col.* 757. Nullum absolutè ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omninò aliquem eorum qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio. vel monasterio is qui ordinetur, desi-

Episcopos, qui non ordinantur nisi ad certæ alicujus Ecclesiæ regimen et curam. Jam viget alia disciplina, ut norunt omnes. Sæpè fit in Ecclesia Parochiali quæ multorum ministerio indigeat, unum esse Sacerdotem in titulum, qui hujus Ecclesiæ proventus beneficii jure percipiat. Prorsùs itaque necesse fuit multos in illis Ecclesiis constituere Sacerdotes ad præcipui Rectoris solatium et levamen, qui quidem cùm ordinari non possent ad titulum beneficii, ad quod jus certum et perpetuum haberent, futuræ forsan illorum inopiæ subveniri necessariò oportuit per titulum patrimonii. Sed rectè ac sapienter Tridentina Synodus juxta veterum canonum mentem sanxit, ne quisquam in posterum promoveretur ad Ordines sub titulo Patrimonii, nisi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum, quibus non tanta esset beneficiorum copia, quanta Sacerdotum vel Ministrorum necessitas. Juxta hujus sacræ sanctionis mentem plures Episcopi, sancti Caroli Borromæi vestigia secuti, neminem ad Subdiaconatum sub titulo patrimonii promovent, quin simul cum adscribant ipsâ suâ ordinatione ministerio certæ cujusdam Ecclesiæ. (F)

gnetur. Eos autem qui absolutè ordinantur, decrevit sancta Synodus irritam ac invalidam habere ejusmodi manuum impositionem, et nusquam exercere ac operari posse ad ejus qui ordinavit injuriam.

Idem varia quoque Concil. statuerunt.

(F) *Vita S. Caroli à Domino* PETRO BASCAPÉ de Basilica Petri Episc. Novarr. *apud* SURIUM 4. *Novemb. lib.* 7. *cap.* 31. Cùm permagni referat in Ecclesia quæ de hominibus in sacrum Ordinem recipiendis, vel ad sacra munera admittendis disquisitio habeatur, de qua graviter veteribus Ecclesiæ decretis, recentibusque præceptum est : tum de moribus, tum de litteris periculum fieri diligenter jubebat : sive quis ordinandus, sive Ecclesiastico muneri perpetuò deligendus.... Quâ in re nimis exquisitam interdum interrogandi diligentiam questos esse nonnullos audivimus. Carolo enim ea res cordi vehementer erat, undè populorum salus magnâ ex parte pendere videretur, communem experimenti conditionem subire.... Subdiaconos creandos præcipuâ statuerat esse probandos diligentiâ, quòd eo gradu divinis sese perpetuò manciparent officiis, perpetuaque castitatis lege devincirent. Ab iis qui essent ordinandi certo die coram se vocatis, testimonia multa exigebat, de natalibus, de vitæ ratione, de Sacramentorum usu, de divinis officiis :.... de patrimonio, si de Subdiaconatu ageretur, de approbatione doctrinæ.... Ibi verò ipse cujusque vultûs compositionem, vestitum diligenter considerabat, si ordini Ecclesiastico essent accommodata. Subdiaconos, Presbyterosque designatos certis ante ordinationem diebus in remotum locum venire, ibique relictis omnibus, apto aliquo Sacerdote duce, salutari contemplatione sese exercere jubebat, cujus adjumento ad meliorem, sanctioremque vitam, suscipiendique muneris plenam cognitionem adducerentur.

Cap. 32. Adhibitâ in iis diligentiâ, qui Clericali se ordini darent, multum valuit ad Cleri mores, sanctitatis studio conformandos. Sed aliâ quoque curâ multiplicique disciplinâ Carolus cum in officio continere studuit. Omnes alioquin non addictos, Ecclesiæ certæ jussit assignari, ubi festis saltem diebus divinorum officiorum sese præberent adjutores. Quàm frequenter peccata confiterentur et Eucharistiam sanctissimam acciperent, observavit.

Idem referunt JUSSANO *et* D. D. GODEAU Vinciens. Episc. *in vita S. Caroli Borromæi, quos consulere potes.*

§. 11. De officiis et virtutibus Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum et Episcoporum.

I. Quænam sunt officia Subdiaconorum ?

R. Subdiaconorum est,

1. Diaconum adjuvare, ipsique ministrare in omnibus quæ ad sacra pertinent.

2. In Officio Missæ solemniter legere Epistolam.

3. Aquam ad ministerium altaris præparare, et in calice fundere postquam vinum infusum est à Diacono.

4. Calicem et Patenam in usum sacrificii Diacono offerre.

5. Curare ut vasa et linteamina sacra in usum sacrificii ritè custodiantur, et ea mundare.

6. Pallas altaris et corporalia abluere.

7. Oblationes Sacerdoti factas à populo suscipere, et ex illis tantùm in altari ponere quantùm populo sufficiat.

8. Crucem solemniter ante Clerum deferre in Processionibus. (Id et Acolythi ex multarum Ecclesiarum ritu faciunt.)

9. Diacono canenti solemniter Evangelium, tenere librum apertum.

10. Librum Evangeliorum osculandum deferre Episcopo, seu Presbytero celebranti, et toti Clero. (A)

I. Quænam sunt virtutes Subdiaconorum propriæ ?

R. Castitas; studium sacræ doctrinæ, et orationis, et mortificationis; zelus domùs Dei, amor Ecclesiæ; humilitas; docilitas; omnimoda subjectio erga Episcopos; erga Presbyteros autem et Diaconos observantia.

I. Quænam sunt officia Diaconorum ?

R. Diaconorum est, 1. Ministrare ad altare, et quidquid necessarium est ad Sacrificium id porrigere Sacerdoti ubi opus est.

2. Legere solemniter Evangelium.

3. Docere et prædicare, et quidem ex suggestu ubi id Episcopus expedire judicaverit.

4. Episcopo vel presbytero adesse et ministrare in omnibus sacris functionibus.

5. Baptizare solemniter in Ecclesia, ubi deest Sacerdos, et necessitas urget.

(A) PONTIF. ROMAN. *in Ordinat. Subdiac. pag.* 26. adepturi, Filii dilectissimi, officium Subdiaconatûs sedulò attendite, quale ministerium vobis traditur. Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris præparare; Diacono ministrare; pallas altaris, et corporalia abluere; Calicem, et Patenam in usum Sacrificii eidem offerre. Oblationes, quæ veniunt in altare, panes propositionis vocantur: de ipsis oblationibus tantùm debet in altare poni, quantùm populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ, quæ sunt in substratorio altaris, in alio vase debent lavari, et in alio corporales pallæ. Ubi autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari, ipsaque lotionis aqua in baptisterium debet vergi. Studete itaque, ut ista visibilia ministeria, quæ diximus, nitidè, et diligentissimè complentes, invisibilia horum exemplo perficiatis.

Consule etiam MISSALE *et* PROCESSIONALE ROMANUM *in Rubricis, etc.*

6. Monere populum in Ecclesia, si genibus provolvi, si toto corpore prosterni, si surgere, si stare, si procedere oporteat. Expellere excommunicatos, infideles, pœnitentes, catechumenos, energumenos. Dimittere solemniter populum completo Sacrificio.

7. Omnia Episcoporum jussa exsequi in iis quæ pertinent ad exteriorem Ecclesiæ politiam; esse Episcopo velut oculum et dextram.

8. Olim Diaconi sacram communionem sub specie vini populo ministrabant; et ad absentes sub specie panis deferebant. (B)

9. Olim et Diaconi sub Episcoporum nutu et imperio administrabant Ecclesiæ bona, et eleemosynas erogabant Episcoporum nomine. (C)

(B) PONTIF. ROM. *in Ordinat. Diac. pag.* 30. Provehendi, Filii dilectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate magnoperè, ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare; baptizare et prædicare.... Et quia comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote omni ab illecebra carnis alieni, sicut ait Scripturæ: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* (*Isai.* LII. 11.)

Cætera vide in MISSALI *et* RITUALI ROMAN. *et aliis.*

CONCIL. NICÆN. *an.* 325. *can.* 14. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 49. Pervenit ad sanctum Concilium, quòd in locis quibusdam et civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant: hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi porrigant. Sed et illud innotuit, quòd quidam Diacones etiam ante Episcopos sacramenta sumunt. Hæc ergo omnia amputentur, et manèant Diacones intra suam propriam mensuram, scientes quia Episcoporum quidem ministri sunt, Presbyteris autem inferiores. Accipiant ergo secundùm ordinem post Presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero, sacram communionem. Quòd si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, et edant.

CONCIL. CARTHAG. IV. *an.* 398. *can.* 38. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1203. Ut Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.

CONCIL. ARELAT. II. *an.* 452. *can.* 15. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1013. In secretario Diacono inter Presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat. Quòd si fecerit, ab officio Diaconatûs abscedat.

(C) S. CLEMENS, *seu quis alius Auctor Epist.* 1. *tom.* 1. *Concil. pag.* 86. Diaconi verò Ecclesiæ, tanquam oculi sint Episcopi, oberrantes, et circumlustrantes cum verecundia actus totius Ecclesiæ, et perscrutantes diligentiùs, si quem videant vicinum fieri præcipitio, et proximum esse peccato, ut referant hæc ad Episcopum, et commoneri ab eo possit is qui in præcipitium lapsurus est, ut revocetur, et non corruat in peccatum... Sed et eos qui secundùm carnem ægrotant, sollicitè perquirant, et plebi (si forte plebs ignorat) indicent de his, ut et ipsi visitent eos, et quæ necessaria sunt præbeant eis cum conscientia ejus qui præest. Quod tamen etiam si clam fecerint, non peccabunt. Sed et de peregrinis, similiter Episcopo suggerant, refovendis: cætera his similia, quæ ad cultum Ecclesiæ et disciplinam ejus pertinent, Diaconis curæ sint.

Lib. 2. *Constit. Apost. ibid. col.* 283. Ac Diaconus quidem de re omni ad Episcopum referat, ut Christus ad Patrem. Verùm quæcunque potest, factâ ab Episcopo potestate, moderetur per se, sicut Christus potestatem creandi et providendi à Patre accepit: Quæ verò majora sunt, Episcopus judicet. Cæterùm sit Diaconus Episcopi auris, et oculus, et ilem os, cor et anima, ne Episcopus sollicitudine multarum rerum, sed graviorum tantùm urgeatur, sicut Jethro Moysen instruxit, et Moyses consilium ejus amplexus est. (*Exod.* XVIII. 17. *et seq.*)

I. Quænam sunt virtutes Diaconorum propriæ ?

R. Easdem ferè virtutes Apostolus requirit in Diaconis, quas in Episcopis : *Abundare debet in iis* (ut postulat à Deo Ecclesia in eorum Ordinatione) *totius formæ virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritualis observantia disciplinæ* (*Pontific. Rom. pag.* 37.) ; debent esse casti, sobrii, ab omni cupiditate alieni : debet in eis esse spectata fides, charitas, prudentia, zelus, fervor, constantia, misericordia, humilitas, doctrina : uno verbo debent esse pleni Spiritu sancto, ut de septem primis Diaconis dicitur. (D)

I. Quænam sunt officia Presbyterorum ?

R. Ipsorum est, 1. offerre sacrosanctum Missæ Sacrificium.

2. Ministrare omnia sacramenta, exceptà Confirmatione et Ordinatione.

3. Prædicare verbum Dei.

4. Animas regere.

5. Benedicere populo, et pro illo intercedere apud Deum.

6. Benedictiones omnes rerum et personarum Episcopis non reservatas solemniter agere. (E)

I. Quænam sunt virtutes Presbyterorum propriæ ?

R. Virtutes omnes habere debent in statu perfecto. Sacerdos est homo Dei. Sacerdotis vultus ipse et habitus debet spirare religionem, et mundi contemptum. Omnia debent in Sacerdote vocem edere, omnia lucere, omnia ferre ad Deum. Charitas debet esse in eo summa. Charitas autem virtutes omnes complectitur. (F)

ORIGEN. *Tract.* 15. *in Matth. aliquantò post initium.* Diaconi autem qui non benè tractant Ecclesiasticarum pecuniarum mensas, sed semper de eis fraudant, et ipsas quas dispensant, non secundùm justitiam dispensant, et divitiores fiunt de rebus pauperum, ipsi sunt nummularii pecuniarum mensas habentes quas Christus evertit (*Matth.* XXI. 12.) ; quoniam autem mensis Ecclesiasticarum pecuniarum Diaconi præsunt, docent nos in actibus suis Apostoli. (*Act.* VI. 2.)

Idem adstruunt SS. Patres præsertim S. LEO *in Serm. S. Laurent etc. quos referre supersedemus.*

(D) ACT. VI. 3. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientiâ, quos constituamus super hoc opus.

1. TIMOTH. III. 8. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes : 9. habentes mysterium fidei in conscientia pura. 10. Et hi autem probentur primùm : et sic ministrent, nullum crimen habentes.

PONTIFIC. ROM. *in Ordinat. Diac. pag.* 31. Et vos, Filii dilectissimi... estote assumpti *à carnalibus desideriis*, à terrenis concupiscentiis, *quæ militant adversùs animam.* (1. *Petr.* II. 11.) estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. (1. *Cor.* IV. 1.)

(E) PONTIF. ROM. *in Ordinat. Presbyter. pag.* 41. Consecrandi, Filii dilectissimi, in Presbyteratûs officium, illud dignè suscipere, ac susceptum laudabiliter exsequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare.

(F) PONTIF. ROM. *ibid.* Vos siquidem in septuaginta viris et senibus signati estis ; si per Spiritum septiformem, Decalogum legis custodientes, probi et maturi in scientia similiter et opere critis. (*Exod.* XVIII. 17. *et*

I. Quænam sunt Episcoporum officia ?

R. Posuit Spiritus sanctus (*inquit D. Paulus Act.* XX. 28.) *Episcopos regere Ecclesiam Dei*, *quam* (Christus) *acquisivit sanguine suo.* Quidquid ergo necessarium est ad regimen, firmitatem, columen, propagationem Ecclesiæ, id Episcoporum munus et officium est. Episcopi in locum Apostolorum successerunt. (G)

I. Quænam sunt virtutes Episcoporum propriæ ?

R. Episcopatus est status summæ perfectionis. Debet ergo esse in singulis Episcopis cumulus virtutum omnium in statu perfectissimo. Elucere debet potissimùm in eis charitas effusa, prudentia eximia, scientia non vulgaris, animi constantia et firmitas insuperabilis, zelus indefessus, vigilantia quæ omnia et singula prospiciat, ingenium vastum et solers, et summa humilitas. (H)

XXIV. I. *etc.*) Sub eodem quoque mysterio, et eadem figura, in novo Testamento (*Luc.* X. 1 *et seq.*) Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in prædicationem misit; ut doceret verbo simul et facto, ministros Ecclesiæ suæ fide et opere debere esse perfectos, seu geminæ dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos.... Itaque.... servate in moribus vestris castæ et sanctæ vitæ integritatem. Agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis; quatenùs mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra à vitiis et concupiscentiis omnibus procurelis. Sit Doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei: sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est, familiam Dei; quatenùs nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari à Domino, sed remunerari potiùs mereamur.

Pag. 47. *Precatur Pontifex*, ut eluceat in eis totius forma justitiæ.

Pag. 48. *Deum precatur*, ut gravitate actuum, et censurâ vivendi probent se seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit: ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant: quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur; justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, cæterasque virtutes in se ostendant, exemplo præbeant, admonitione confirment; ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant; et per obsequium plebis tuæ, panem et vinum in corpus et sanguinem Filii tui immaculatâ benedictione transforment; et inviolabili charitate *in virum perfectum*, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV. 13.), in die justi et æterni judicii Dei conscientiâ purâ, fide verâ, Spiritu sancto pleni resurgant.

Vide suprà hujusce capitis §. 3. *litt.* (A *et* B) *quæ exscripsimus ex* S. GREGOR. NAZIANZ. *orat.* 1. *ex libris* S. JOAN. CHRYSOST. *de Sacerdot.* S. HIER. *ad Nepot. Epist.* S. AUGUST. *serm. de Past.* S. GREG. MAGN. *Pastoral. curæ libris*, *et ex variis* S. BERN. *opuscul. præsert. ex libris de Considerat. Quæ quidem opera Sacerdotibus medita nda sunt sæpiùs: potissimum verò ab ipsis legendæ sunt* D. PAULI *Epist. præsertim quas ad Titum et Timotheum scripsit*, *immò novum J. C. Testamentum*, *et vetus omne non perlegendum modò*, *sed et memoriter tenendum*; *quippè cujus interpretes sunt et ad populum dispensatores:* Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini Exercituum est, (*inquit Malach.* II. 7.)

(G) PONTIF. ROMAN. *pag.* 65. *Consecrator Episc. monet consecrandum*, quòd Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, et confirmare.

(H) *Cùm eadem Episcopis ac Presbyteris communes sint virtutis*, *vide quod notavimus suprà hocce 2. litt.* (F) *Quæ solos Episcopos spectant libi sistimus.*

ORIGEN. *in Matth. tract.* 31. *tom.* 2. *pag.* 101. *col.* 1. Peccat autem in Deum quicunque Episcopus, qui non quasi conservis servus ministrat, sed quasi dominus. Frequenter autem et quasi amarus dominus dominans

per vim, similis constitutus Ægyptiis qui affligebant vitam filiorum Israël cum vi. (*Exod.* 1. 10. *et seq.*) Ergo memores esse debent verborum Christi dicentis (*Joan.* XIII. 13. *et seq.*) : *Vos vocatis me Magistrum, et Dominum, et benè dicitis. Sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, et vos debetis alterutrûm lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut sicut ego feci, sic faciatis.* Et illud (Luc. XXII. 25. 26.) : *Principes gentium dominantur earum ; et majores eorum potestatem exercent in eis. Inter vos autem non sic erit, sed qui vult inter vos esse primus, erit novissimus, sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* (Matth. XX. 28.) Audire autem oportet et Paulum dicentem (1. Thessal. II. 7.), *Cùm possimus oneri esse ut Christi Apostoli, facti sumus parvuli in medio vestrûm, quemadmodum si nutrix foveat natos suos, sic desiderantes cupimus participari vobiscum non solùm Evangelium, sed etiam animas nostras.* Et non oportet percutere conservos, sed corripere inquietos, consolari pusillanimes, sustinere infirmos, et patientes esse ad omnes (1. *Thessal.* V. 14.) : quoniam *servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia docentem eos qui resistunt.* (2. *Tim.* II. 24.) Quasi recedens autem ipse à mala inductione conservorum, Paulus culpat eos qui non erant tales, qui superbis quidem erant subjecti, contemnebant autem mansuetos, hoc modo dicens (2. *Cor.* XI. 20.) : *Sustinetis si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit, quasi nos infirmi fuerimus.* Considera autem in istis quomodo eos qui in servitutem redigunt, et in faciem cædunt propter quòd amariùs principentur, reprehenderit ipse dicens se abstinere ab eis : non quia infirmus erat, quòd minùs faceret ea, sed ut faciat ipsa quæ docet. Decet autem cum modestia docere eos qui resistunt : Propter quòd et definiens quales debeant esse Episcopi, sic dicit : non litigiosi, non percussores, sed mansueti, ornati, et quæcunque inter fideles, et sapientes servos inveniuntur, et dispensatores (1. *Tim.* III. 3.), quos *constituit Dominus super familiam suam*, sicut dicit Lucas. (XII. 42.) Ex his autem cognoscere est, quoniam non solùm qui fideles sunt et sapientes, illos *constituit Dominus super domum suam*, sed etiam malos servos dicentes in cordibus suis, *semper moram facit Dominus meus venire* (*Ibid.* 45.) : propterea percutiunt conservos, manducant et bibunt cum ebriis, vel ebriosis, et inebriantur. Si quando ergo arbitrantur se esse in magno fastigio qui præsunt Ecclesiis Christi, propterea quòd constituit eos Dominus super familiam suam, cognoscant, quoniam non hoc eos salvat, quòd constituti sunt à Domino super familiam ejus, sed illud ut dent in tempore cibos, et ut abstineant se à percussionibus, et à comessationibus, et potationibus cum ebriosis. Si autem non se abstinuerint ab hujusmodi, et magnum sapuerint, propterea quòd constituit eos Dominus super familiam suam, sciant quoniam *venict Dominus eorum in die quâ non putant, et horâ quâ nesciunt, et dividet eos, et partem eorum cum hypocritis et infidelibus ponet* (*Ibid.* 46.) ; et cùm fuerint inter hypocritas et infideles positi, nihil eis proderit quòd constituti à Domino sunt super familiam ejus.

S. GREGOR. NAZIANZ. *Orat.* 1. *pag.* 6. At verò homini, cùm difficile sit scire parere ; tum multò difficilius esse videtur, scire hominibus imperare, ac præsertim in hoc nostro imperio, quod in lege divina situm est, et ad Deum ducit : cujus quò majus est fastigium, majorque dignitas, eò etiam majus periculum est, prudenti utique homini et cordato : quippè cui primùm illud curandum erit, ut argenti atque auri instar, omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus et rebus, nusquam adulterinum, aut subæratum quiddam tinniat, nihilque deterioris materiæ, flammàque acriori dignæ, in seipso gestet : nam alioqui tantò gravius malum fuerit, quantò pluribus imperarit. Siquidem major est ea improbitas, quæ ad multos serpit, quàm ea quæ in uno defixa hæret. Neque enim vel indelebilem tincturam pannus, vel fetidum aut suavem odorem res admotæ ita facilè contrahunt, vel exitialis quidam vapor tam facilè in aërem diffunditur, ac per aërem animantia occupat, (quod quidem pestis, et est, et appellatur,) quàm subditi Antistitis improbitate celerrimè impleri solent, et quidem multò faciliùs quàm virtute.

S. HIERON. *Epist.* 34. *aliàs* 2. *ad Nepot. tom.* 4. *part.* 2. *col.* 261. Gloria

Episcopi est, pauperum inopiæ providere. Ignominia omnium Sacerdotum est, propriis studere divitiis.... Episcopi, Sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent clericos quasi clericos, ut et ipsis à clericis, quasi Episcopis honor deferatur. Scitum illud est Oratoris Domitii: *Cur ergo te*, inquit, *habeam ut principem, cùm tu me non habeas ut senatorem?* Quod Aaron et filios ejus, hoc esse Episcopum et Presbyteros noverimus: unus Dominus, unum templum, unum sit etiam ministerium.

Epist. 82. *aliàs* 83. *ad Ocean. ibid. col.* 652. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* (1. *Tim.* III. 1.) Opus, non dignitatem; laborem, non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse.* (*Ibid.* 2.) Idipsum quoque ad Titum: *si quis est sine crimine* (*Tit.* 1. 7.), omnes virtutes in uno sermone comprehendit, et penè rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum etiam in otioso verbo reprehensione dignum est (*Matth.* XII. 36.); quis est ille qui absque peccato, id est, sine reprehensione, versetur in hoc mundo ?.... Antè vita, sic lingua irreprehensibilis quæritur, ut doctus meritò suscipiatur. Perdit enim auctoritatem docendi, cujus sermo opere destruitur.... (1. *Tim.* III. 2.) *Sobrium.... prudentem, ornatum, hospitalem, doctorem.* Sacerdotes qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum et siceram bibere (*Levit.* X. 9.): ne in crapula et ebrietate aggraventur corda eorum (*Luc.* XXI. 34.), et ut sensus officium exhibens, Deo vigeat semper, et tenuis sit. Quod autem infert *prudentem*, excludit eos, qui sub nomine simplicitatis excusant stultitiam Sacerdotum. Nisi enim cerebrum sanum fuerit, omnia membra in vitio erunt. *Ornatum* quoque, *epitasis* est prioris verbi, id est, *irreprehensibilis.* Qui vitia non habet, irreprehensibilis appellatur: qui virtutibus pollet, ornatus est. Possumus et aliud intelligere ex hoc verbo, juxta illud Tullii: *caput est artis, docere quod facias....* Quòd autem doctrina à Sacerdotibus expetatur, et veteris præcepta sunt legis, et ad Titum pleniùs scribitur. Innocens enim et absque sermone conversatio quantùm exemplo prodest, tantùm silentio nocet. Nam et latratu canum, baculoque pastoris, luporum rabies deterrenda est. *Non vinolentum, non percussorem* (1. *Tim.* III. 3.): virtutibus vitia opposuit. Didicimus quales esse debeamus: discamus quales non esse debeant Sacerdotes.... *Sed modestum:* duobus malis unum opposuit bonum; ut temulentia et ira, modestiâ refrenentur. *Non litigiosum, non avarum:* nihil enim impudentius arrogantiâ rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant; et parati semper ad lites in subjectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant. Avaritiam in Sacerdote vitandam, et Samuël docet (1 *Reg.* XII. 3.): nihil coram populo eripuisse se cuiquam probans: et Apostolorum paupertas, qui refrigeria sumptuum à fratribus accipiebant (1. *Cor.* IX. 1. *et seq.*), et præter victum atque vestitum nihil se aliud nec habere, nec velle gloriabantur. (1. *Thessal.* II. 9.) Quam ad Timotheum avaritiam, ad Titum turpis lucri cupiditatem apertissimè notat *Domum suam benè regentem* (1. *Tim.* VI. 8. *Ibid.* III. 8. *Tit.* I. 7. *et* 11. 1. *Tim.* III. 4.); non ut opes augeat, non ut regias paret epulas; non ut cælatas patinas struat; non ut phasides aves lentis vaporibus coquat, qui ad ossa perveniant, et superficiem carnis non dissolvant artifici temperamento: sed ut quod populo præcepturus est, priùs à domesticis exigat.... *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli....* (*Ibid.* 6.) Heri catechumenus, hodiè Pontifex: heri in amphitheatro, hodiè in Ecclesia: vesperè in circo, manè in altario: dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.... Quod autem ait, *ne in superbiam elatus, incidat in judicium diaboli*, quis non exemplo verum probet? Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem, et mansuetudinem rusticorum: ignorat blanditias christianas: nescit seipsum contemnere: de dignitate transfertur ad dignitatem: non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpè reprehendit, et assiduâ meditatione correxit: non substantiam pauperibus erogavit. De cathedra quodammodo ducitur ad cathedram, id est, de superbia ad superbiam. Judicium autem et ruina diaboli, nulli dubium, quin arrogantia sit. Incidunt in eam qui in puncto horæ, nec dum discipuli jam magistri sunt. *Oportet autem eum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt.* (*Ibid.* 7.) Quale principium, talis et clausula.... Talis ergo sit Pontifex Christi: ut qui religioni detrahunt, vitæ ejus detrahere non audeant.

Epist. 49. *aliàs* 13. *ad Paulin. ibid. col.* 565. Episcopi et Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, et Apostolicos viros: quorum honorem possidentes, habere nitantur et meritum.

S. AUG. *Serm.* 46. *de Pastorib. aliàs de temp.* 165. *cap.* 1. *n.* 2. Cùm ergo Præpositi ad hoc sint, ut his qui subjecti sunt consulant; non in eo quòd præsunt, omninò utilitatem suam attendant; sed eorum quibus ministrant. Quisquis ita Præpositus est, ut in eo quòd Præpositus est gaudeat, et honorem suum quærat, et commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves.

Cap. 13. *n.* 30. Omnes boni Pastores in uno sunt, unum sunt. Illi pascunt, Christus pascit: Non enim vocem suam dicunt amici sponsi, (*Joan.* III. 29.) *sed gaudio gaudent propter vocem sponsi.* Idem ergo ipse pascit, cùm ipsi pascunt; et dicit: Ego pasco; quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius. Nam et ipsum Petrum, cui commendabat oves suas quasi alter alteri (*Joan.* XXI. 15.), unum secum facere volebat, ut sic ei oves commendaret, ut esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est, Ecclesiæ, et tanquam sponsus et sponsa essent duo in carne una. (*Matth.* XIX. 5.) Proindè ut oves commendaret, quid ei priùs dicit, ne illi tanquam alteri commendaret? *Petre amas me* (*Joan.* XXI. 15.)? et respondit, *Amo....* Confirmat charitatem, ut consolidet unitatem. Ipse ergo pascit unus in his, et hi in uno.... Gloriantur Pastores: sed *qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. *Cor.* I. 31.) Hoc est, Christo pascere, hoc est in Christo pascere, et cum Christo pascere, præter Christum sibi non pascere.

Serm. 340. *in die Ordinat. suæ* 2. *aliàs* 39. *ex Sirm. n.* 1. *Enumerans Episc. officia:* Corripiendi sunt, *inquit*, inquieti, pusillanimes consolandi, infirmi suscipiendi, contradicentes redarguendi, insidiantes cavendi, imperiti docendi, desidiosi excitandi, contentiosi cohibendi, superbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adjuvandi, oppressi liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi.

S. JOAN. CHRYSOST. *lib.* 2. *de Sacerdot. pag.* 500. Multâ quidem opus est Pastori prudentiâ, sexcentis etiam, ut sic dicam, oculis: ut rectè undique humani animi habitum circumspicere possit. Nam sicut aliquoties usu venit, ut animum plerique despondeant, atque in suæ salutis proruant desperationem, non ob aliud nisi quòd ab amaris acerbisque medicamentis abhorreant: ita nonnullos reperias, qui hoc ipso quòd pœnas peccatis suis pares non luerint, in negligentiam ac contemptum dilabantur, ac longè deteriores facti, majorem peccandi licentiam sibi vindicent. Itaque nihil horum relinquendum est, quod probè non excutiat atque examinet Episcopus: quin omnia accuratè ac studiosè perscrutatum tum demùm illum oportet sua ipsius remedia congruè, aptè, accommodatè, afferre: idque ne operam fortè ludat. Cæterum non iis solùm quæ dixi, verùm etiam in abscissis Ecclesiæ membris committendis conjungendisque, multis illum negotiis distringi videas.... Sin verò à recto Christianæ fidei tramite aberraverit quis: hîc Pastori magnum certè opus incumbit, magnum negotium, magna tolerantia. Neque enim vis illi inferenda, neque terrore ille cogendus: verùm suadendus tantùm, ut de integro ad veritatem redeat, undè initio delapsus est. Itaque magnum ac generosum animum ad eam rem Episcopum afferre oportet: ut ne animo deficiat ac delassetur, ut ne errantium salutem despondeat ac desperet: denique ut nunquam non illud secum cogitet ac dicat, *si quando det illis Deus veritatis agnitionem, ac resipiscant è diaboli laqueo.* (2. *Tim.* II. 26.) Propterea Dominus cùm discipulos alloqueretur, ait: *Quisnam fidelis servus ac prudens?* (*Luc.* XII. 42.) etenim qui suum unius animum excolit, sibi duntaxat utilis est: at pastoralis functionis lucrum ad universum populum manat: et qui pecuniam indigentibus erogat, aut qui alioqui injuriâ pressos sublevat, is et proximos quidem juvat, sed tamen id tantò minùs præstat quàm Episcopus, quanto dissident inter se intervallo corpus atque anima. Non abs re igitur Dominus Pastoris studium adversùs gregem impensum, amoris ac charitatis erga se symbolum esse dixit.

Lib. 3. *pag.* 507. Idcircò necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret.

Pag. 510. Si igitur Paulus Dei mandata sic observans, ut majora etiam quàm ipsi à Deo injuncta fuisssent, præstaret, nunquam suo ipsius, sed subditorum tantùm commodo studens, sic ubique formidavit, magistratùs sui molem expendens (2. *Cor.* XII. 14. *etc.*) : quid facimus ipsi, qui multi ubique sumus in quærendis quæ nostra sunt? qui Christi mandata Pauli exemplo non solùm non superamus, sed ea majori quidem ex parte transgredimur. *Quis infirmatur*, inquit ille, *et ego non infirmor? quis offenditur, et ego non uror?* (2. *Cor.* XI. 29.) ejuscemodi sanè convenit Sacerdotem esse : quin imò non ejuscemodi tantùm : parva enim sunt ista, ac certè nulla præ eo, quod ipse sum dicturus : hoc autem quidnam esse potest? *Optarim*, inquit, *anathema esse à Christo pro fratribus meis, pro cognatis meis secundùm carnem.* (*Rom.* IX. 3.) Quòd si quis existit, qui vocem hanc obsecrans enuntiare possit, is demùm dignus quidem est, quasi oblatum Episcopi munus detrectet, insimuletur : sin à Pauli virtutibus illis pari nobiscum intervallo distat, is nimirùm odium ac vituperationem meretur, cùm munus idem delatum amplectitur, non cùm detrectat.

Pag. 513. (*Pontificatum*) conspurcavimus atque coinquinavimus, hominibus quibuslibet illius administrationem in manum tradentes : qui quidem neque viribus suis ipsorum priùs consultis, neque consideratà rei magnitudine, obviis statim ulnis munus oblatum amplectuntur : cùm autem eò ventum est ut negotiorum functioni manus admoveant, nimirùm inscitiæ caligine occupati, calamitatibus infinitis populos fidei suæ concreditos replent. Hoc ipsum, hoc ipsum certè est quòd nostrâ ætate propemodum accidisse vidimus, nisi nos repentè Deus è periculis illis asseruisset, partim suæ Ecclesiæ, partim animarum nostrarum saluti culpam eam condonans. Alioqui undenam, quæso, existimas tam multas in Ecclesiis turbas nasci? Equidem non aliundè opinor, quàm ex Episcoporum, Antistitumque electionibus, casu potiùs ac temerè, quàm diligenter atque accuratè factis.

Pag. 514. *Si quis Episcopi munus appetit, honestum opus desiderat.* (1. *Tim.* III. 1.) At ego non operis ipsius, sed dominationis ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi. Atque hoc ego desiderium sic toto studio ab animo abjiciendum esse censeo, ut ne animum quidem ipsum prorsùs permittas ab illo occupari, ut is rerum omnium libere agendarum potestatem habeat. Nam quam nulla cupiditas trahit, ut sese in eo munere collocatum ostentet, ac tanquam digito ab aliis monstretur, is certè ab eo solio deturbari non formidat. Porrò autem qui id non formidat, hic cum ea libertate quæ Christianas mentes decet, omnia exsequi potuerit : dura enim et acerba atque adeò multis referta incommodis illorum est servitus, qui honoris hujusmodi casum reformidant : ob quem sæpenumerò fit, ut et hominum et Dei optimi offensionem subire cogantur.

Pag. 515. Sobrium modestumque Episcopum esse oportet : eumdemque perspicacem, atque innumeros quoquo versùs oculos circumferre : quippè qui non sibi uni tantùm, sed et tam multis vivat populis... Neque sanè mirum tibi esse debet, si unà cum tanta tolerantia, alia quadam fortitudine Episcopi animum spectatum esse volo.... Nam Episcopum inediâ minimè cruciari extenuarive, tum eumdem nudis pedibus non ingredi : id certè nihil incommodabit Ecclesiæ universitati : at verò agrestioris animi ferocitas furorque tum Domino possessorique suo, tum etiam proximo ingentium calamitatum auctor sæpè fuit.

Pag. 516. Sic naturâ comparatum esse videmus, ut subditorum multitudo magna quidem ex parte Principum suorum mores tanquam exemplarem quamdam imaginem spectent, seque ad illos formare studeant. Qui ergo fieri possit, ut illorum tumores, et inflammationes sedet is, qui ipse tumescat? Quis verò plebeïus vir concupiscat statim temperans moderatusque fieri, Principem intuitus iracundum? Neque enim possunt Episcopum vitia dissimulari, sed vel parva atque exigua confestim manifesta fiunt.

Pag. 517. Quemadmodum ergo illorum officia rectique mores multis usui sunt, accenduntque ad studii æmulationem ejusdem : ita et vita ad virtutis cultum segniores reddunt, præstantque ut cæterorum animi

ab bonorum operum labores capessendos torpescant : quamobrem Sacerdotis animi pulchritudinem undique splendescere oportet, ut obtectare pariter et illustrare possit eorum animos, qui suos in illum óculos injiciunt.... Neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potiùs dignitate peccatum plerique omnes metiuntur. Ac certè Episcopum convenit et studio acri, et perpetuâ vitæ continentiâ tanquam adamantinis armis circumseptum, quoquo versùs circumspicere, nec ubi nudo quis aut neglecto loco deprehenso lethale vulnus afferat.

Pag. 522. Ecclesiæ tranquillitas, perditis hominibus admissis, turbulentiâ ac naufragiis permultis infestatur. Hic igitur animo expende qualem esse oporteat eum, qui tantæ tempestati opponendus, ac tam multa impedimenta rerum ad communem salutem spectantium probè temperaturus sit. Nam et gravem illum, sed minimè fastuosum et terrificum, sed humanum : et visendâ majestate principem, sed omnibus tamen appellandis comem eumdemque integrum, officiosum, humilem, sed minimè servilem, acrem quoque ac vehementem esse convenit : sed tamen et mansuetum, ut nullo ipse negotio contra illa, quæ dixi, omnia depugnaret, tum verò eum, qui idoneus visus fuerit, magna cum auctoritate ac libertate, quanquam omnibus reclamantibus, in medium promovere possit : rursùs eum qui alius compertus fuerit, cum eadem illa auctoritate ac libertate, ut etiam omnes conspirent, non admittere : denique ut nihil in cujusquam vel gratiam, vel odium facere conatus, Ecclesiasticæ unius ædificationis decus, commodumque tantùm spectet.

Lib. 4. *pag.* 536. Ingens adhibere studium oportet, ut Christi sermo in nobis largiter inhabitet : neque enim nobis pugnæ species una parata est, sed bellum nobis varium ac multiplex propositum, variis multiplicibusque adversariis constans atque instructum, qui ipsi neque iisdem armis utuntur omnes, neque uno eodemque nos artificio adoriri meditantur : eumque oportet, qui cum illis omnibus prælio decertaturus sit, omnium artes notas habere, eumdemque et sagittarium, et funditorem, et centurionem, et manipuli ductorem, et militem, et ducem, et peditem, et equitem, et navalis pugnæ peritum esse. Etenim in militaribus præliis quod quisque opus peragendum susceperit, hoc adorientes hostes defendit. At hic haudquaquam sic se res habet, nisi enim qui victoriam reportaturus est, dimicandi artes ad unam omnes sigillatim percalluerit, novit diabolus vel parte una aliqua, si ea fortè neglecta fuerit, piratis prædonibusque suis introductis pecudes diripere. At non ita usuvenit, cùm Pastorem ille senserit omni scientiâ esse præditum atque instructum, insidiarumque omnium suarum probè gnarum. Qua de causa omnibus nos ex partibus munitissimos esse oportet.

Pag. 542. Cùm autem de Sacerdotibus verba facit (*Paulus*) : *Qui benè præsunt*, inquit, *Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè ii qui laborant in sermone ac doctrina.* (1. *Tim.* v. 17.) Hic enim demùm doctrinæ terminus consummatissimus, cùm Sacerdotes tum factis, tum verbis eos, quos erudiunt, ad beatam illam vitam à Christo institutam conducunt. Neque enim nuda facta satis sunt ad hoc ut alios edoceas, nisi et cum his verba accedant : quæ vox non mea est, sed servatoris nostri Jesu. *Quisquis enim*, inquit, *fecerit simul ac docuerit, hic magnus vocabitur.* (*Matth.* v. 19.) Quòd si is qui facit, idem et doceret ; supervacaneum certè id foret, quod secundum additum est : dixisse enim satis erat, quisquis fecerit tantum. Itaque quòd utraque illa distinxerit, ostendit alias esse operum partes, alias sermonis, atque utrumque alterius subsidio indigere ad consummatam ædificationem.

Lib. 6. *pag.* 550. Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet : ut nequando Spiritus sanctus desolatum illum relinquat, ut dicere illi liceat (*Galat.* II. 20.) : *Vivo, equidem non amplius ego, vivit autem in me Christus.* Nam si qui eremum inhabitant, quique procul tum ab urbe, tum à foro, tum à tumultibus illinc enascentibus securi, liberique vivunt : denique qui perpetuâ portûs tranquillitate perfruuntur, tuto vitæ illius præsidio fidere nolunt, quin imò infinitas quoque alias addunt custodias, undique seipsos circumsepientes, magna adeò cum diligentia et dicere et facere omnia allaborantes, ut cum libertate ac

puritate quadam sincerâ, quantùm humanus captus ferre potest, ad Dei conspectum accedere possint : quantam putas Sacerdotem præstare debere tum vim, tum potentiam, ut animam suam ipsius ab omni vindicet fœditate, ut spiritualem pulchritudinem illæsam atque incolumem servet? Etenim multò major vitæ integritas huic quàm illis necessaria est. Cui porrò integritas major necessaria est, hic certè pluribus quàm illi iisdem casibus obnoxius esse cogitur, qui eum conspurcare possunt, nisi continentem sobrietatem, ac vehemens admodum studium adhibens, animum impervium impenetrabilemque præstiterit.

Pag. 552. Quòd si examinare ea quis volet, quæ illum præstare erga Deum oportet; quæ dixi, præ illis nihil prorsùs esse comperiet, tam ingens, tam sollicitum, tam exactum ea studium requirunt. Eum enim qui pro civitate tota, quid dico civitate? imò verò pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat : qualem quæso esse oportet? Equidem neque Mosis, neque Eliæ fiduciam fore unquam satis putaverim ad supplicationem hujusmodi peragendam : quandoquidem quasi mundus illi universus concreditus, atque adeò omnium sit pater, sic ad Deum ipse accedit, deprecans quidquid ubique bellorum est exstingui, turbas solvi, atque in horum locum pacem ac felicem rerum statum succedere : denique celerem malorum unicuique imminentium quà privatim, quà publicè defunctionem postulans. Porrò illum ipsum oportet tantò omnibus iis præstare, pro quibus intercedit, quantò par est ut subditos Præfectus excellat.

Pag. 553. Luminis instar universum orbem illustrantis Sacerdotis animum splendescere oportet.... Neque enim solùm, sicut dixi, purum mundumque Sacerdotem esse oportet, ut qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam inprimis prudentem, atque adeò multarum rerum experientiâ instructum ornatumque, in tantum ut secularia mundanaque omnia nihilominùs noscat, quàm norunt ii qui in media hominum turba versantur : rursùs rerum omnium mundanarum securior vivat, quàm Monachi ii qui montes ipsos habitandos occuparunt.

S. Bernard. *de Considerat. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. Non est quod blandiatur celsitudo, ubi sollicitudo major. Illa discrimen intendit, hæc amicum probat. Huic accingamur, si nolumus tandem cum rubore novissimum locum tenere. (*Luc.* xiv. 9.)

Cap. 6. *n.* 9. Nam et Propheta, cùm similiter levaretur, audivit, *ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes.* (*Jerem.* i. 10.) Quid horum fastum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur, ut multum sentiamus de nobis, impositum senserimus ministerium, non dominium datum.... Disce exemplo Prophetico præsidere non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse non sceptro, ut opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed exstirpaturus... Antecessores tui Apostoli audierunt, quia *messis quidem multa, operarii verò pauci.* (*Luc.* x. 2.) Paternam tibi vindicato hæreditatem. Nam si filius, et hæres. Ut probes hæredem, evigila ad curam; et non otio torpeas, ne et tibi dicatur; *Quid hîc stas totâ die otiosus?* (*Matth.* xx. 6.)

N. 10. Multò minùs inveniri oportet aut deliciis resolutum, aut resupinum pompis. Nihil horum tibi tabulæ testatoris assignant. Sed quid? Si illarum tenore contentus sis, curam potiùs hæreditabis et operam, quàm gloriam et divitias. Blanditur cathedra? specula est. Indè denique superintendis, sonans tibi Episcopi nomine non dominium, sed officium. Quidni loceris in eminenti, undè prospectes omnia, qui speculator super omnia constitueris? Enim verò prospectus iste procinctum parit, non otium. Quomodo libet gloriari, ubi otiari non licet? Nec locus est otio, ubi sedula urget *sollicitudo omnium Ecclesiarum.* (2. *Cor.* xi. 28.) Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? *Quod habeo*, inquit, *hoc tibi do.* (*Act.* iii. 6.) Quid illud? Unum scio : non est aurum neque argentum, cùm ipse dicat : *argentum et aurum non est mihi.* Si habere contingat, utere non pro libitu, sed pro tempore. Sic eris ulens illis,

quasi non utens. Ipsa quidem, quod ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala : usus tamen horum bonus, abusio mala, sollicitudo pejor, quæstus turpior. Esto, ut alia quacunque ratione hæc tibi vindices : sed non Apostolico jure. Nec enim tibi ille dare quod non habuit potuit. Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias. (2. *Cor.* XI. 28.) Nunquid dominationem? Audi ipsum. *Non dominantes*, ait, *in Clero, sed forma facti gregis.* (1. *Petr.* V. 3.) Et ne dictum solà humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio : (*Luc.* XXII. 25.) *Reges Gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent eos, benefici vocantur.* Et infert : *vos autem non sic.* Planum est : Apostolis interdicitur dominatus.

N. 11. Audiamus edictum. *Qui major est vestrûm, fiat sicut junior, et qui præcessor est, sicut qui ministrat.* (*Ibid.* 26.) Forma Apostolica hæc est : dominatio interdicitur, indicitur ministratio, quæ et commendatur ipsius exemplo legislatoris, qui secutus adjunxit : *Ego autem in medio vestrûm sum, tanquam qui ministrat.* (*Ibid.* 27.) Quis se jam titulo hoc inglorium putet, quo se prior Dominus gloriæ præsignivit? Meritò Paulus gloriatur in eo, dicens (2. *Cor.* II. 23.) : *Ministri Christi sunt, et ego.* Clamat Apostolus : *mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* (*Gal.* VI. 14.)

N. 12. Hoc glorieris opto semper optimo genere gloriæ, quod Apostoli, quod Prophetæ delegêre sibi, transmisêre tibi. Agnosce hæreditatem tuam in Christi cruce, in laboribus plurimis. Felix qui dicere potuit : *plus omnibus laboravi.* (1. *Cor.* XV. 10.) Gloria est, sed nil in ea inane, nil molle, nil resupinum. Si labor terret, merces invitet. *Unusquisque enim secundùm suum laborem mercedem accipiet.* (1. *Cor.* III. 8.) Et si ille plus omnibus laboravit, non tamen totum elaboravit : et adhuc locus est. Exi in agrum Domini tui, et considera diligenter, quantis hodieque de veteri maledicto silvescat spinis ac tribulis. Exi, inquam, in mundum : ager est enim mundus, isque creditus tibi. Exi in illum, non tanquam dominus, sed tanquam villicus, videre et procurare undè exigendus es rationem.

N. 13. Puta tempus putationis adesse (*Cant.* II. 12.), si tamen meditationis præivit. Si cor movisti, movenda jam lingua, movenda est et manus. Accingere gladio tuo, *gladio spiritûs, quod est Verbum Dei.* (*Eph.* VI. 17.) Glorifica manum et brachium dextrum *in faciendo vindictam in nationibus, increpationes in populis, in alligando reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* (*Psal.* CXLIX. 7. *et* 8.) Si hæc facis, honorificas ministerium tuum, et ministerium te. (*Rom.* XI. 13.) Non mediocris iste principatus. Exturbare est hoc malas bestias à terminis tuis, quò greges tui securi in pascua educantur. Domabis lupos, sed ovibus non dominaberis. Pascendas utiquè, non premendas suscepisti.

Cap. 7. *n.* 14. Monstruosa res gradus summus, et animus infimus : sedes prima, et vita ima ; lingua magniloqua, et manus otiosa : sermo multus, et fructus nullus ; vultus gravis, et actus levis ; ingens auctoritas, et nutans stabilitas. Admovi speculum : fœdus se in eo vultus agnoscat : tu tuum gaude dissimilem inveniri. Inspice tamen et tu, ne fortè, et si sit undè meritò placeas tibi, etiam in quo debeas displicere, non desit.

Lib. 3. *cap.* 1. Dispensatio tibi super illum (orbem terræ) credita est (1. *Cor.* IX. 17.) non data possessio. Si pergis usurpare et hanc, contradicit tibi qui dicit : *meus est orbis terræ, et plenitudo ejus.* (*Ps.* XLIX. 12.)

N. 2. Quid, inquis? non negas præesse, et dominari vetas? Planè sic. Quasi non benè præsit, *qui præest in sollicitudine.* (*Rom.* XII. 8.) Nunquid non et villa villico, et parvus dominus subjectus est pædagogo? nec tamen villæ ille, nec is sui domini dominus est. Ita et tu præsis ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves. Præsis ut prosis, præsis ut *fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* (*Matth.* XXIV. 45.) Ad quid? *ut des illis escam in tempore?* Hoc est, ut dispenses, non imperes. Hoc fac, et dominari ne affectes hominum homo, ut *non dominetur tui omnis injustitia...* (*Psal.* CXIII. 133.) Nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quàm libidinem dominandi.

Lib. 4. *cap.* 2. *n.* 2. Noli diffidere; curam exigeris, non curationem. Denique audisti: *Curam illius habe*: (*Luc.* X. 35.) et non, Cura, vel sana illud. Verum dixit quidam:

Non est in Medico semper relevetur ut æger. (*Ovid.* 1. *de Ponto* Eleg. 10.)

At melius propono de tuis tibi. Paulus loquitur; *Plus omnibus laboravi.* (1. *Cor.* XV. 10.) Non ait, Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissimè vitans. Aliàs autem noverat homo quem docuit Deus, quia unusquisque secundùm suum laborem accipiet (1. *Cor.* III. 8.), non secundùm proventum. Et ob hoc in laboribus potiùs quàm in profectibus gloriandum putavit, sicut alibi quoque habes ipsum dicentem: *In laboribus plurimis.* (2. *Cor.* XI. 23.) Ita quæso fac tu quod tuum est: nam Deus quod suum est satis absque tua sollicitudine et anxietate curabit. Planta, riga, fer curam; et tuas explicuisti partes. Sanè incrementum, ubi voluerit, dabit Deus (1 *Cor.* III. 6. *et* 7.), non tu. Ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scripturâ: *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* (*Sap.* X. 17.) Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus.

N. 3. Fuerunt ante te qui se totos ovibus pascendis exponerent, Pastoris opere et nomine gloriantes, nihil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti ovium obviare putarent: non quærentes quæ sua sunt, sed impendentes. Impendère curam, impendère substantiam, impendère et se ipsos. Undè unus illorum: *Et ego*, ait, *superimpendar pro animabus vestris.* (2. *Cor.* XII. 15.) Et tanquam dicerent, Non venimus ministrari, sed ministrare; ponebant, quoties oportuisset, sine sumptu Evangelium. Unus erat de subditis quæstus, una pompa, unaque voluptas, (*Luc.* I. 17.) si quo modo eos possent parare Domino plebem perfectam. Id omnimodis satagebant, etiam in multa contritione cordis et corporis, in labore et ærumna, in fame et siti, in frigore et nuditate. (2. *Cor.* XI. 27.)

N. 4. Longè in aliud mutata sunt studia, et utinam non in pejus. Cura tamen et anxietas, et æmulatio, et sollicitudo, fateor, perseverant. Translata hæc, non imminuta. Testimonium vobis perhibeo, quòd nec substantiæ parcitis, non magis quàm antè. Diversa autem locatio dissimilitudinem facit.

N. 5. Inter hæc tu Pastor procedis deauratus, tam multâ circumdatus varietate. Oves quid capiunt? Si auderem dicere; dæmonum magis, quàm ovium pascua hæc. Scilicet sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat? Vides omnem Ecclesiasticum zelum fervere sola pro dignitate tuenda. Honori totum datur, sanctitati nihil, aut parum. Si causa requirente paulò submissiùs agere, ac socialiùs te habere tentaveris; Absit, inquiunt, non decet tempori, non congruit, majestati non convenit, quàm geras personam attendito. De placito Dei ultima mentio est; pro jactura salutis nulla cunctatio. Nisi quod sublime est, hoc salutare ducamus: et quod gloriam redolet, id justum. Ita omne humile probro ducitur.

Cap. 3. *n.* 6. Evangelizare, pascere est. Fac opus Evangelistæ, et Pastoris opus impiesti.

N. 7. Dracones, inquis, me mones pascere, et scorpiones, non oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo, non ferro.

N. 8. Non sum, inquis, melior quàm patres mei. Quem illorum domus exasperans, non dico, audivit, sed non irrisit? Ideò tu insiste magis, si fortè audiant, et quiescant: insiste et resistentibus. Dicendo hæc, fortè nimius dicar. Num nostra illa vox: *Insta opportunè, importunè* (2. *Tim.* IV. 2.)? Hunc, si audes, nimium appellato. Prophetæ præcipitur: *Clama, ne cesses.* (*Isaï.* LVIII. 1.) Ad quos, nisi ad sceleratos et peccatores? *annuntia*, inquit (*Ibid.*) *populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.* Prudenter adverte et sceleratos perhiberi, et populum Domini. Puta de his idem... Si durâ fronte sunt, durato et tu è contra tuam. Nil tam durum, quod duriori non cedat. Dominus ad Prophetam (*Ezech.* III. 8.): *Dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Unum est quod te absolvit, si egisti cum populo illo, ut possis dicere: Populo meus, quid tibi debui facere, et non feci (*Isaï.* V. 4.)? Si sic fecisti, et non profecisti: est demùm quod facias, et quod dicas: Exi de Hur Chaldæorum,

et dicito, *quia oportet me et aliis civitatibus Evangelizare.* (*Luc.* IV. 43.) Puto nec pœnitebit exilii, orbe pro urbe commutato.

Cap. 6. *n.* 17. Vacuum prorsùs à sollicitudine rerum minorum et vilium oportet esse animum, tam magnis et tam multis intentum rebus. Oportet liberum, quem nulla sibi vindicet violenta occupatio. Oportet ingenuum, quem nulla deorsùm trahat indigna affectio. Oportet rectum, quem nulla seorsùm avertat sinistra intentio. Oportet cautum, quem nulla subeat furtiva suspicio. Oportet vigilem, quem nulla ab sese abducat peregrina et curiosa cogitatio. Oportet firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio. Oportet invictum, quem nulla fatiget vel continua tribulatio. Oportet amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amissio.

N. 18. His te non dubites et bonis privandum et feriendum malis, si animum divideus, et Dei rebus, et tuis pariter reculis volueris impertiri.

N. 19. Quid Episcopo turpius, quàm incumbere supellectili, et substantiolæ suæ.

N. 20. Mira res! satis superque Episcopi ad manum habent, quibus animas credant: et cui suas committant facultatulas, non inveniunt. Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. Sed, ut liquidò datur intelligi, patientiùs ferimus Christi jacturam, quàm nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, et continua Dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum et numero panum cum ministris quotidiana discussio est: rara admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum.... Quæso tu qui alios doces, doce te ipsum: si tamen jam non docuisti, pluris te habere quàm tua. Transitoria ista, quæ stare tibi nullo pacto queunt, fac ut à te transeant, non per te.... Omnimodis consulo studeas avertere à te concursum horum. Multa nescias, plurima dissimules, nonnulla obliviscaris.

N. 21. Sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumque et studia. Non oportet ut vitia domûs tuæ ultimus scias: quod quàm plurimis novimus contigisse. Quapropter, ut dixi, alius alia dispenset; de disciplina tu provide, illud nemini credas. Si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit: manus tua super ejusmodi; tu ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas: horum disciplina custos. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. In vultu, in habitu, in incessu illorum qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris. Discant à te Coepiscopi tui comatulos pueros et comptos adolescentes secum non habere. Certè inter mitratos discurrere calamistratos non decet.

N. 22. Nec austeritatem tamen suadeo tibi, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leviores. Illa, si adsit, odibilem, hæc si desit, contemptibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ego nec severiùs velim, nec dissolutiùs. Quid hac mediocritate gratius, ut nec de severitate sis oneri, nec de familiaritate contemptui? In palatio Papam, domi te Patrem-familias exhibe. Ament te domestici tui: si non, facito ut timeant. Utilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ergo ubique frenanda lingua præceps, maximè autem in convivio. Ille convenientior habitus, si tu actu quidem severus sis, vultu serenus, verbo serius. Capellani, et qui tecum jugiter Divinis intersunt officiis, non sint sine honore. Tuum est tales tibi providere, qui digni sint. Serviatur eis ab omnibus tanquam tibi. Necessaria de manu tua accipiant. His contenti sint quæ tu proviueris illis: tu vide ne egeant.

Cap. 7. *n.* 23. Te esse considera formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, Cleri ordinatorem, Pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem (*Job.* XXIX. 15.), tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium.... Canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, Sacerdotem altissimi, vicarium Christi, Christum Domini... Ubi malitiæ juncta potentia est, aliquid tibi

§. 12. Explicantur præcipui ritus Ordinationum.

I. Cur denuntiari solent multis in diœcesibus nomina eorum qui ad majores Ordines promovendi sunt?

R. 1. Ut inquiratur num sit in eorum vita quid reprehensibile. Oportet enim ex mente Apostoli (1. *Tim.* III. 2. 7. *et seq. Tit.* I. 7.) Sacerdotes et Diaconos irreprehensibiles esse, et *testimonium habere bonum* etiam *ab iis qui foris sunt.* Alioqui vix prodesse populis possent.

2. Ut oret pia plebs pro ordinandis et pro Episcopo ordines celebraturo. Magni Christianæ plebis interest *rogare Dominum messis ut mittat operarios* peritos *in messem suam* (*Matth.* IX. 38.); hinc pendet maximè salus populorum, ut jam diximus. (*Cap.* VI. §. 3. *Sect.* 4. *Part.* 2.)

I. Cur Archidiaconus ante ordinationem Diaconorum vel Presbyterorum ait, Ecclesiam postulare ut hi ab Episcopo ordinentur? *Reverendissime Pater*, inquit, *postulat sancta mater Ecclesia, ut hos præsentes Subdiaconos ad onus Diaconii, vel, ut hos Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.* (*Pontif. Rom. pag.* 30. *Ibid. pag.* 40.)

R. Ut intelligamus eos qui ordinandi sunt, non postulare sibi honorem ministerii vel Sacerdotii; quod nefas est ex Apostolo (A): sed ab Ecclesia ob eorum meritum postulari ad sacra munia.

I. Cur ait Episcopus Archidiacono nomine Ecclesiæ postulanti eorum ordinationem; *Scis illos esse dignos?* (*Pontif. Rom. ubi sup.*)

R. Quia Archidiaconorum olim erat invigilare moribus Clericorum et cæterorum Ecclesiæ Ministrorum. Et viget etiamnum ille mos in illis regionibus, in quibus jus habent Archidiaconi visitandi parochias (B): debent enim inquirere de vita et moribus Ministrorum Ecclesiæ, et ad Episcoporum referre quæ acceperint.

I. Cur postquam Episcopus petiit ab Archidiacono quid sentiat de vita et moribus Ordinandorum, postulat quoque ab adstante plebe num quid noverit in mox promovendis dignum reprehensione?

R. Ut illi solùm ordinentur, ex mente Apostoli (1. *Tim.* III. 2. 7. *Tit.* I. 7.) quorum irreprehensibilis vita fuerit, et qui testimonium bonum habeant ab omnibus. Simul et Christiana plebs hac interrogatione Episcopi intelligat quanti

supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. (*Ps.* XXXIII. 17.) Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum, et contra se paveat.

(A) Hebr. v. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.

(B) *In Occitania et quibusdam Galliæ Provinciis jure Parochias visitandi excidisse Archidiaconos nemo nescit: at in cæteris Galliæ Provinciis eo etiamnum jure gaudent.*

eorum intersit bonos habere Rectores animarum. (C)

I. Cur ante Ordinationem Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum et Episcoporum recitantur Sanctorum Litaniæ ?

R. Ut major cœlestis benedictionis abundantia ordinandis impetretur, junctis votis et intercessionibus Ecclesiæ cœlestis cum supplicationibus militantis Ecclesiæ.

I. Cur Episcopus Ordines agens porrigit singulis ordinandis instrumenta sacri ministerii quæ cuique Ordini competunt ?

R. Ut det singulis potestatem hæc ministeria obeundi, vel declaret jam ordinatos hanc habere potestatem, eosque veluti ponat in exercitio sui ministerii.

I. Cur Episcopus singulos Ordinatos induit vestibus sacris quæ unicuique Ordini propriæ sunt ?

R. Ut hoc ritu solemniter declaret eos jam esse initiatos illis Ordinibus, quorum vestes illæ insignia sunt. Sic in multis Universitatibus dantur solemniter insignia doctoralia recèns donatis laureâ doctorali.

I. In Presbyterorum ordinatione sic imponit Episcopus cuilibet casulam Sacerdotalem, ut hæc à parte anteriori deorsùm explicata pendeat, super humeros autem complicata remaneat, donec peracto Missæ sacrificio, datâ singulis potestate remittendi peccata, explicet singulis Sacerdotibus hanc casulam à tergo Episcopus : quæ hujus ritûs ratio est ?

R. Hujus ritûs rationem litteralem afferam infrà ubi de veteri sacrarum vestium formâ disputabo, in tractatu de Missæ sacrificio. (*Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 17. *hujusce Part.*)

Interea rationem hanc spiritualem subjicio, quam tamen huic ritui locum dedisse dicere non ausim.

Casulâ Presbyter induitur ab Episcopo : quâ veste designatur potestas Sacerdotalis : casula enim Sacerdotum vestis est. Est autem potestas Sacerdotum duplex : Altera in Corpus Christi naturale, quod Sacerdotali ore præsens sistitur in sa-

(C) *Id patet ex Allocut. Episc. ad populum in Ordinat. Presb.* PONTIF. ROM. *pag.* 40. Quoniam, Fratres charissimi, rectori navis et navigio deferendis eadem est, vel securitatis ratio, vel communis timoris : par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustrà à Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt consulatur etiam populus : quia de vita et conversatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur à paucis ; et necesse est, ut faciliùs ei quis obediendiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. Horum siquidem Diaconorum in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum conversatio (quantùm mihi videtur) probata, et Deo placita existit, et digna (ut arbitror) Ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortassè, vel paucos. aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque, quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, liberâ voce pandatis : et his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quàm affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum, cum fiducia exeat, et dicat. Verumtamen memor sit conditionis suæ.

crosancto Missæ sacrificio : Altera in Corpus Christi mysticum, fideles nimirùm, qui per Sacerdotem à peccatis absolvuntur. Donec ergo Episcopus novo Sacerdoti solemniter dixerit, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt*, (*Pontif. Rom. in Ordin. Presbyt. pag.* 54. *Joan.* XX. 22. *et* 23.) spectatur Sacerdos recèns ordinatus quasi acceperit solùm ex parte potestatem Sacerdotalem ; adeoque induitur solùm ex parte veste Sacerdotali. Cùm autem hæc verba pronuntiata sunt ab Episcopo, tunc censetur recèns ordinatus plenitudinem potestatis Presbyteralis accepisse, moxque Sacerdotali veste omninò induitur.

Ideò autem dicere non ausim rationem hanc spiritualem ritui illi locum dedisse ; quia non soli Sacerdotes olim casulà vestiebantur, sed et Diaconi, et Subdiaconi et cæteri inferiores Ministri Ecclesiæ, uti probabimus infrà (*Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 17.) dum de vestibus sacris disseremus ?

Fortè autem hic ritus ex eo solùm tempore introductus est, ex quo Casula Sacerdotalis vestis fuit, et vestibus sacris significationes mysticæ tributæ sunt, ut fit in Pontificali Romano. Id si ita est, nihil obstat rationem suprà dictam hujus ritûs litteralem videri.

Fortè etiam ritus ille originem habet aliam nobis parùm perspectam.

I. Cur non nisi post peractum Missæ sacrificium dat Episcopus Presbyteris cum manuum impositione Spiritum sanctum, et facultatem remittendi peccata, cùm jam ante Missæ celebrationem illi acceperint characterem Sacerdotalem, imò et Missam cum Episcopo celebraverint ?

R. Ut fiat quod à Christo ipso factum est circa Apostolos. Hos enim Christus his verbis in Eucharistiæ institutione prolatis (*Luc.* XXII. 19.), *hoc facite in meam commemorationem*, verè Sacerdotes instituit, deditque potestatem offerendi sacrosanctum sacrificium, ut definivit Tridentina Synodus (*Sess.* 22. *Can.* 2.) lato in id negantes anathemate(D); et tamen non nisi post Resurrectionem suam dedit Christus iisdem Apostolis potestatem remittendi vel retinendi peccata. (*Joan.* XX. 22. *et* 23.)

Hinc fit ut non desint Theologi (E), qui asserant Presby-

(D) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 22. *de Sacrif. Miss. can.* 2. Si quis dixerit, illis verbis, *hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII. 19.), Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes.... anathema sit.

(E) CATECHIS. CONCIL. TRIDENT. *part.* 2. *de sacram. Ordin. n.* 22. Quare Episcopus ei calicem cum vino et aqua, et patenam cum pane porrigens, qui Sacerdos ordinatur, inquit : *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.* (*Pontif.*) quibus verbis semper docuit Ecclesia, dum materia exhibetur, potestatem consecrandæ Eucharistiæ, characterc animo impresso, tradi, cui gratia adjuncta sit ad illud munus ritè, et legitimè obeundum.

N. 50. Posteà manus sacro oleo inungit, tum verò calicem cum vino, et patenam cum hostia tradit, dicens : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis, quàm pro defunctis.* Quibus cæremoniis, et verbis interpres, ac mediator Dei et hominum consti-

terum accipere quidem in Ordinatione characterem Sacerdotalem, et potestatem offerendi sacrosanctum Missæ sacrificium ante Missæ celebrationem ; sed nondum tamen accepisse potestatem absolvendi à peccatis, donec Episcopus ipsi denuò manus imponendo, post Missæ celebrationem, dixerit. *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis ; et quorum retinu ris, retenta sunt.* (*Pontif. Rom. in Ordin. Presbyt. pag.* 54. *Joan.* XX. 22. *et* 23.)

Alii probabiliùs (F), ut mihi quidem videtur, existimant

tuitur : quæ præcipua Sacerdotis functio existimanda est. Ad extremum verò, manibus iterùm ejus capiti impositis : *Accipe*, inquit, *Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt :* eique cœlestem illam, quam Dominus Discipulis suis dedit peccata retinendi, ac remittendi potestatem tribuit.

(F) S. THOM. *Supplem.* 3. *part. Quæst.* 34. *art.* 5. *in corp.* Respondeo dicendum, quòd materia in Sacramentis exteriùs adhibita, significat virtutem in Sacramentis agentem, ab extrinseco omninò advenire. Undè cùm effectus proprius hujus sacramenti (scilicet character) non percipiatur ex aliqua operatione ipsius qui ad sacramentum accedit, sicut erat in pœnitentia, sed omninò ex extrinseco adveniat, competit et materiam habere : Tamen diversimodè ab aliis Sacramentis quæ materiam habent : Quia hoc quod confertur in aliis Sacramentis derivatur tantùm à Deo, non à Ministro, qui Sacramentum dispensat : sed illud quod in hoc sacramento traditur (scilicet spiritualis potestas) derivatur etiam ab eo qui sacramentum dat, sicut potestas imperfecta : Et ideò efficacia aliorum Sacramentorum principaliter consistit in materia, quæ virtutem divinam et significat et continet, ex sanctificatione per Ministrum adhibità : sed efficacia hujus sacramenti principaliter residet penès eum qui sacramentum dispensat : Materia autem adhibetur magis ad demonstrandam potestatem quæ traditur particulariter ab habente eam completè, quàm ad potestatem causandam : Quod patet ex hoc quòd Materia competit usui potestatis.

Quæst. 37. *art.* 2. *in corp. versùs finem.* Ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum, ut Dionysius dicit. Sicut enim templum, et altare, et vasa, et vestes ; ita et Ministri qui ad Eucharistiam ordinantur consecratione indigent : Et hæc consecratio est Ordinis sacramentum : Et ideò distinctio Ordinum est accipienda secundùm relationem ad Eucharistiam ; quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut aliquod ministerium ordinatum ad hoc sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est *Ordo Sacerdotum ;* et ideò cùm ordinantur, accipiunt calicem cum vino, et patenam cum pane, accipientes potestatem conficiendi corpus et sanguinem Christi : Cooperatio autem Ministrorum est, vel in Ordine ad primum sacramentum, vel in Ordine ad suscipientes : si primo modo, sic est tripliciter. Primò enim est ministerium quo Minister cooperatur Sacerdoti in ipso sacramento, quantùm ad dispensationem, sed non quantùm ad consecrationem, quam solus Sacerdos facit : Et hoc pertinet ad *Diaconum :* unde in littera (4. Sent. dist. 24.) dicitur quòd *ad Diaconum pertinet ministrare Sacerdotibus in omnibus quæ aguntur in Sacramentis Christi ;* Unde et ipse Christi sanguinem dispensat. Secundò, est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti : Et hoc pertinet *ad Subdiaconum ;* unde dicitur in littera (ut sup.) quòd *vasa corporis et sanguinis Domini portant, et oblationes in altari ponunt ;* et ideò accipiunt calicem de manu Episcopi, sed vacuum, cùm ordinantur. Tertiò est ministerium ordinatum ad præsentandum materiam sacramenti : Et hoc competit Acolytho, ipse enim, ut in littera (ubi sup.) dicitur, urceolum cum vino et aqua præparat : unde accipit urceolum vacuum. Sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos ; quia qui mundi sunt, jam sunt ad sacramenta perci-

pienda idonei. Triplex autem est genus immundorum, secundùm Dionysium lib. de cœlest. Hierarch. cap. 3. Quidam enim sunt omninò infideles credere nolentes : Et hi totaliter etiam à visione divinorum et à cœtu fidelium arcendi sunt : Et hoc pertinet ad *Ostiarios* : Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet catechumeni : Et ad horum instructionem ordinatur ordo *Lectorum*; et ideò prima rudimenta doctrinæ fidei, scilicet vetus Testamentum eis legendum committitur. Quidam verò sunt fideles et instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumeni : Et ad hoc habet ministerium ordo *Exorcistarum*. Et sic patet ratio et numeri et gradûs Ordinum.

Art. 5. *in corp.* Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est (art. 4.) ejusdem est formam aliquam inducere, et materiam de proximo præparare ad formam. Undè Episcopus in collatione Ordinum duo facit : præparat enim ordinandos ad Ordinis susceptionem, et Ordinis potestatem tradit. Præparat quidem et instruendo eos de proprio officio, et aliquid circa eos operando, ut idonei sint ad potestatem accipiendam : Quæ quidem præparatio in tribus consistit ; scilicet benedictione, manûs impositione, et unctione. Per benedictionem divinis obsequiis mancipantur ; et ideò benedictio omnibus datur. Sed per manûs impositionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia sint idonei ; et ideò solis Diaconis et Sacerdotibus fit manûs impositio, quia eis competit dispensatio Sacramentorum ; quamvis uni, sicut principali ; et alteri sicut Ministro : sed unctione ad aliquod sacramentum tractandum consecrantur : Et ideò unctio solis Sacerdotibus fit, qui propriis manibus corpus Christi tangunt ; sicut etiam calix inungitur qui continet sanguinem ; et patena, quæ continet corpus ; sed potestatis collatio fit per hoc quòd datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet : Et quia principalis actus Sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideò in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character Sacerdotis imprimitur.

Guillelm. Estius *in lib.* 4. *Sentent. distinct.* 24. §. 2. Ex doctrina Concilii Florentini discimus hujus sacramenti materiam id esse, per cujus traditionem in manus ejus qui ordinatur, unusquisque ordo confertur. Quid autem sit, posteà per singulos Ordines erit explicandum. Verumtamen tale esse debet per quod significetur proprium cujusque Ordinis ministerium.

Quatenùs autem necessarius sit contactus rei ab Episcopo traditæ, disputatur à Scholasticis. Probabile est eum ad essentiam sacramenti non requiri : quandoquidem neque in decreto Florentino, neque in Pontificali Romano ponitur tanquam necessarius ; tametsi debet is qui ordinatur, manum porrigere ad contingendum id quod traditur : non quasi sine contactu non accepturus sacramentum, sed ut ritè ordinationis cæremonia perficiatur.

§. 19. Hæc indubitatâ fide tenendum est, esse in Ecclesia Sacerdotium quoddam externum ac propriè dictum, quod ad ejusdem rationis sacrificium offerendum destinatur, videlicet corpus et sanguinem Domini. Nec minùs certò credendum est, externum hoc Sacerdotium non omnium fidelium multitudini commune esse, sed quibusdam proprium : iis nimirùm qui ad tale sacrificium offerendum legitimè consecrati sunt : id est, Apostolis et eorum in hoc munere successoribus ; cujusmodi sunt omnes et soli in Presbyterii gradu constituti. Adeò ut ne Diaconis quidem, nec jure, nec ullâ commissione seu dispensatione potestatis Ecclesiasticæ commune sit, aut fieri possit : ac multò minùs cæteris quibuscunque vel laïcis Christi fidelibus. Quòd autem quibusdam hoc proprium sit et non omnibus commune, primùm convincitur ex ipsa ordinatione tum Apostolorum, tum eorum qui Apostolis successerunt. Nam sicut non omnibus Christianis sed Apostolis tantùm à Domino dictum est : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* xxii. 19.), quibus verbis eos creavit Sacerdotes, ut rectè definitum est, Sess. 22. can. 2. Conc. Tridentini ; ita non cuilibet ab Episcopo dicitur, *accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.* (*Pontif. Rom.*) Quibus verbis post Christum, ut habetur in Decreto Florent. ordinatio Sacerdotum in Ecclesia perficitur.

§. 20. Secundo loco accipit is qui Presbyter ordinatur, potestatem remittendi ac retinendi peccata, proferente Episcopo hæc verba : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, etc.* (*Pontif. Rom. Joan.* XX. 23.) His enim verbis eamdem potestatem Apostolis suis contulit Dominus post resurrectionem. Joan. 20.... Cæterùm quæstionem hîc movent Doctores, quando ei qui Sacerdos ordinatur, conferatur gratia et character imprimatur : utrùm tunc dum priora verba proferuntur significantia potestatem dari offerendi sacrificii, an verò dum hæc posteriora : et utrùm altera potestas ab altera separari possit. Ad quod breviter videtur respondendum, utrobique dari eam potestatem cum gratia illi respondente quæ verbis ipsis significatur. Cujus ratio est, quia in Ordinatione hoc confertur quod verba ordinantis significant, et quidem confertur per verba hoc ipsum significantia, velut per formam sacramenti, id quod non solùm in Sacerdotio, verùm etiam in inferioribus Ordinibus locum habere perspicuum est ex Concilio 4. Carthaginensi. Hanc omninò apparet esse sententiam Catechismi parochorum, in quo habetur quòd Episcopus post traditam prioribus verbis potestatem sacrificandi, posteà dicens ; *Quorum remiseritis, etc.* tribuit peccata retinendi ac remittendi potestatem. Neque absurdum est duos hic agnoscere caracteres, cùm sint duæ potestates, concurrentes tamen ad ejusdem Ordinis perfectionem. De facto quoque certum est harum potestatum alteram ab altera separatam fuisse in Apostolis : quibus unam ante passionem suam Dominus, alteram dedit post resurrectionem. Judas autem priorem tantùm habuit. Quamvis de jure in Ecclesia Christi separari eas non ita contingit, quin semper altera post alteram detur, velut unâ quasi continuâ ordinatione.

§. 24. Ordinari Presbyterum per manûs impositionem, certum apparet ex sacris litteris. Nam in utraque ad Timotheum epistola ordinatio ejus per manûs impositionem designatur 1. 4. et 21. et eidem Presbyteros ordinaturo dicitur, *Manus citò nemini imposueris.* 1. Timoth. 5. 22.

Confirmatur hoc ipsum testimoniis Patrum.

Nam Dionysius Areopagita Ecclesiast. Hierarch. capite 5. part. 2. ordinationem Sacerdotis describens, manum Pontificis capiti ejus imponendam docet ; et parte 3. mysterium per manûs impositionem significatum explicat, videlicet protectionem Dei eum consecratur foventis, et contra adversarias potestates defendentis.

Similiter Hieronymus in caput 58. Isa. scribens, testatur Ordinationem quæ Græcis *Cheirotonia* dicitur, non solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem manûs impleri.

Item Synodus quarta Carthaginensis, cui Augustinus interfuit, can. 3. Presbyterum ordinari dicit Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente.

Quòd si ad veteris populi gesta recurramus, inveniemus hunc ritum etiam ibi simile aliquid habuisse. Legimus enim Moysen jubente Domino manus imposuisse Josue, quando eum populi ducem designavit. Num. 27. 18. et Deut. ult. 9.

Sed contra hæc in promptu est objectio ex Decreto Florent. In quo dicitur Presbyteratum conferri per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem, nullâ manûs impositionis factâ mentione. Atque id Apostolorum Ordinationi in cœna factæ conforme est, quibus porrecto corpore et sanguine suo dixit Dominus : *Hoc facite, etc.* (*Luc.* XXII. 19.) Respondendum videtur omninò tenendum esse quod Florentini Patres statuerunt : neque tamen decreto illi adversari quæ de manûs impositione dicta sunt, quin potiùs alterum in altero contineri. Nam manûs impositio sive sacramentum Ordinationis, sive chrismatis, sive reconciliationis designet (ad hæc enim omnia usu veteris Ecclesiæ vocabulum illud extenditur) non nudam illam actionem significat, quâ manum capiti alterius quis imponit, sed totum illum agendi ritum et ordinem quem servandum esse ex traditione didicit is qui sacramentum confert. Alioqui enim et orationem exclusam intelligere oportebit, cùm ejus Apostolus nullam faciat mentionem : quam tamen in Presbyterorum ordinatione ab Apostolis adhibitam fuisse, non est ambigendum, cùm adhibitam legamus in ordinatione Diaconorum Actor. 6. 6. Sed ad occultandum infidelibus sacramenta Christiana, unius cæremoniæ vulgò satis

notæ ac receptæ nomine Scriptura voluit etiam cæteras occultiores minimèque publicandas subintelligi. Quam rem disertè explicat commentarius Ambrosio inscriptus in 1. Timoth. 4. docens hoc generali nomine etiam mystica verba comprehendi.

Concilium quoque Milevitanum can. 12. eo vocabulo utitur pro precibus aliisque Sacramentorum ritibus, dum vetat manûs impositiones alias celebrari, quàm quæ in Concilio probatæ essent.

Quòd si manûs impositionem solam intelligas ritibus aliis exclusis, ea sicut in Confirmatione et Pœnitentium absolutione, ita et in Ordinatione, neque sacramentum constituit, neque ad sacramenti substantiam necessaria est: id quod non tantùm ex decreto Florentino, verùm etiam ex rescripto Gregorii 4. doceri potest, qui sacramentum ordinationis iterari prohibet, si manûs impositio fuerit prætermissa, sed eam statuto tempore vult suppleri, ut est libro primo Decret. titulo *de sacramentis non iterandis*, capite *Presbyter*.

An autem Apostoli statim initio in ordinandis Presbyteris fuerint usi rebus et verbis prorsùs iisdem quibus nunc Ecclesia utitur, non omninò certum est, et fieri potest ut dispensatione quâdam divinâ aliquid eorum omitterent, sicut de Confirmationis sacramento dictum est. Id quod de Diaconorum ordinatione dici potest: tametsi testatur Augustinus sermone 4. de beato Stephano, Stephanum tanquam Diaconum Evangelia legisse. Quo posito non improbabile videri debet eum qui Evangelia in Ecclesia legebat, per traditionem libri Evangeliorum fuisse ordinatum. Sed in contrarium est quòd Evangelia nondum erant conscripta. Quanquam illud non dubitandum, quin ritus hujus sacramenti, quos ut essentiales hodie servat Ecclesia, ab Apostolis Christo auctore fuerint Ecclesiæ traditi, etiamsi forte iis Apostoli non semper fuerint usi.

Cæterùm quare Diacono solus Episcopus manum imponat, Presbytero autem Episcopus unà cum aliis Presbyteris: rationem indicat quarta Synodus Cathaginens. can. 4. *quia nimirum Diaconus non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur, Presbyter autem ad Sacerdotium*: et proindè à compresbyteris velut in consortium paris dignitatis assumitur.

JOAN. MORINUS. Cong. orat. D. J. Presb. *Tract. de sacr. Ordination. Part.* 3. *Exercit.* 7. *de Presbyter. cap.* 1. *n.* 1. Primùm quæ fuerit Sacerdotii materia perpetuò necessaria inquiremus.

V. 2. Quatuor feruntur de hac re scholasticorum Doctorum opiniones. Prima et vulgatissima Doctorum numero et auctoritate celebris, docet Sacerdotii materiam esse traditionem calicis cum vino et aqua, et patenæ cum pane, atque in traditione ejusmodi instrumentorum characterem imprimi, et Sacerdotem creari. Fit autem illa traditio in fine ritûs, postquam Sacerdotis manus oleo consecratæ sunt, ut est legere in Pontificali, et quotidianâ experientiâ discitur. Istorum Doctorum magna pars expressè improbat eorum sententiam, qui manuum impositionem tradunt esse Sacerdotii veram materiam, contenduntque cæremoniam tantùm esse ordini accidentariam. De hac sententia ita censet Joannes Maldonatus eximius et celebris Societatis Jesu Theologus tom. 2. de Sacramentis, tractatu de Ordine, quæst. 3. parte 2. « Impositio manuum » non est habenda tanquam cæremonia non necessaria; sed tanquam » pars essentialis sacramenti, idque videtur tenendum fide Catholicâ. » Primùm quia in Scriptura ubicunque fit mentio de ordinatione declaratur per impositionem manuum. Et videtur mihi esse temerarium » Scripturam deserere, et consectari chimeras, id est, rationes naturales. Secundò, qui veterem Ecclesiam nunquam ordinasse sine imposi» tione manuum ex omnibus Auctoribus antiquis perspicuum est. De » traditione autem Calicis et Hostiæ nulla est mentio apud illos. Tertiò, » quia videtur durum nimis esse, cæremoniam quam nobis perspicuè » tradunt Apostoli excludere à natura sacramenti, et inducere illam, » de qua nulla mentio fit in Scriptura. » Judicio et argumentis quæ Maldonatus de hac sententia protulit, nihil habemus nunc addendum.

V. 3. Secunda eorum est qui hanc materiam censent esse tantùm partialem, et ei jungi volunt manuum impositionem, ut ex utraque constituatur materia integra. Judicant enim absurdum esse ab essentia Sacerdotii illud excludere quod unicum commemorant sancta Scriptura,

Concilia, Patresque omnes, cui soli tribuunt Sacerdotii originem, causam, virtutem; aliudque ejus loco solum invehere, quod sacra Scriptura, Patresque omnes profundissimo silentio involvunt, quod eos aliquando cognovisse nullo indicio demonstrari potest. Hoc argumento persuasus Domitius Chamerota, postquam plurimas auctoritates impositionem manuum ad Ordinis substantiam pertinere demonstrantes retulit, tandem concludit in re tam dubia se nihil velle definire; nihil esse tutius quàm Pontificale Romanum sequi, in quo et impositio manuum et instrumentum traditio conjunguntur. Ideò eam potiùs sententiam amplectitur; ita tamen ut per traditionem instrumentorum character imprimatur, et propriè fiat Sacerdos; Per manuum verò impositionem detur gratia, et potestas Sacerdotalis ad remissionem peccatorum quâ Sacerdotium completur, tractatu II. cap. 3. de septem Sacramentis.

N. 4. Tertia opinio idem tradit quod præcedens, sed insuper addit ita separatas esse duas istas materias partiales, ut materia priùs tradita nullo casu effectum posterioris supplere possit. Aiunt autem prioris materiæ sive traditionis instrumentorum proprium effectum esse, sacrificandi, et Eucharistiæ consecrandæ potestatem; posterioris verò, seu, manuum impositionis effectum, Confessiones audiendi, et absolvendi à peccatis auctoritatem: sive priore traditione potestatem dari in Corpus Christi verum; posteriore in corpus Christi mysticum. Interest autem inter utriusque materiæ traditionem satis longum temporis spatium. Nam instrumenta dantur post lectionem Epistolæ antequam tractus finiatur. Manûs autem illa impositio fit post Episcopi celebrantis et omnium ordinatorum communionem. Quærunt autem si contingeret Episcopum celebrantem post prioris materiæ traditionem fortuitò mori antequam posteriorem tradidisset, an ordinati illi essent perfecti Presbyteri; respondentque hoc casu dimidiatos fore Presbyteros, id est, habituros sacrificandi quidem potestatem, non autem absolvendi à peccatis auctoritatem; ideò necessarium illis fore ad Sacerdotii munus perfectè consequendum, ut alter Episcopus manus ipsis imponeret, et quod prior morte impeditus imperfectum reliquerat, compleret. Hinc variæ pullularunt quæstiones: Qua parte materiæ producatur character, an duplex character juxta duplicem formam duplicisque materiæ traditionem in Presbytero producatur. Si unus, qua ratione posterioris materiæ traditionem extendatur. Extensionis autem illius varii modi explicantur. In ejusmodi quæstionibus exagitandis ludunt recentiores, ita ut non abs re dixerit Philippus Gammachæus cap. 8. de Ordine, « Observant hinc etiam Doctores omnes eum Sacerdotem qui non suscepisset ab Episcopo impositionem manuum, sed solum calicem, etc. posse quidem Eucharistiam verò consecrare, quamvis id agendo peccaret mortaliter; sed tamen non posse ullo modo à peccatis absolvere per illam jurisdictionem sibi à quocunque Episcopo etiam à summo Pontifice delegatam, quia esset contra jus divinum, et contra institutionem Christi, qui seorsim hanc potestatem dedit Apostolis. » Non equidem omnes Doctores hoc philosophemate ducuntur et delectantur; At sanè recentiorum plerique, Vasquez, Tannerus, Meratius, Puteanus, Isambertus, Estius, Sylvius, et alii qui sine fructu, sed non sine labore enumerarentur, ante Concilium Tridentinum, licèt non tanto apparatu, easdem movebant quæstiones: Guillelmus de Rubione in 4. in fine dist. 24. postquam hæc edisserit, colligit; *Ex quo videtur corollariè concludendum, quòd posset esse Sacerdos aliquis ordinatus habens potestatem conficiendi sine aliqua absolvendi.* Quod iterùm posteà multis probat. Idem Nicolaus de Nisse tract. 6. pag. 3. quæst. 1. de sacra Ordinatione. Nicolaus de Orbellis in 4. dist. 24. q. 1. Joannes Eckius homil. 59. de Sacramentis, et alii.

N. 5. Antequam ulteriùs progrediamur, præmonendus est lector in ritu ordinationis Presbyteralis hodierno triplicem fieri manûs impositionem, ut ex Pontificali Romano colligitur. Priores duæ statim fiunt post dictas Litanias: tum nullo cantu nullaque oratione præmissis, Episcopus simul utramque manum imponit super caput cujuslibet ordinandi successivè, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt. Hæc est prima manûs impositio. Quâ peractâ statim

sequitur secunda, quâ tam Pontifex quàm Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos, et Pontifex stans cum Mitra dicit orationem antiquissimam quam nobis etiam nunc exhibet Pontificale. Tertia in fine ordinationis habetur, tumque super unumquemque ordinatum hæc verba profert Episcopus: *accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* (*Joan.* XX. 23.) Prima sententia omnes has manuum impositiones repudiat. Tertiæ auctores hanc tertiam impositionem solam admittunt, ut Ordini substantialem, duas priores quasi in unum confundunt, censent esse purè cæremoniales, et accidentarias. Idem faciunt secundæ sententiæ plerique auctores, aut ad eam impositionis manuum distinctionem mentem non advertunt.

N. 6. Quarta opinio manuum impositioni conjungit in unitatem materiæ unctionem Presbytero in ordinatione factam. Sententiam istam amplexus est Cardinalis Hosius. Paucissimi aut nulli eum secuti sunt, licèt præcedentibus omnibus longè sit probabilior, utpotè, Patrum dictis et antiquis Ritualibus multò conformior.

N. 7. Postrema opinio, ea est quæ materiam Sacerdotii constituit solam manuum impositionem. Hanc solam omnis Ecclesia Latina, Græca, Barbara semper agnovit. Hanc solam commemorant omnes antiqui Rituales, Latini, Græci, omnes antiqui et recentiores Patres, Græci, Latini. Propositum nostrum non est in unamquamque separatim inquirere. Frustrà hoc fieret, cùm argumenta quibus ulimur generalia sunt, et tres priores ex æquo evertant. Quarta ex iis quæ capite præcedente demonstrata sunt, satis confutata est. Aliis argumentis ab auctoribus trium priorum sententiarum confutari solet, sed nos ejusmodi argumenta pauci facimus. Duobus igitur argumentis, seu potiùs demonstrationibus probabo primam falsam omninò esse, duas sequentes falsas esse quà cum prima conveniunt. Deindè demonstrabo secundam et tertiam etiam falsas esse eâ parte quà cum prima dissentiunt, eo quòd eam manuum impositionem eligunt, quæ antiquis Auctoribus et Ritualibus penitùs incognita est.

N. 8. Græci, ut demonstratum est, legitimè, et validè Presbyteros consecrant: semper Ecclesia Romana eorum ordinationes probavit. At apud eos incognita est ista instrumentorum traditio, et semper incognita fuit. Ergo ea non pertinet ad Ordinationis Presbyteralis substantiam. Minor propositio non secùs ac major indubitatæ est fidei, satisque demonstrata est, et quotidie Romanæ ipsa praxi demonstratur. Legantur et relegantur præcedentes Græcarum ordinationum *Acoloυthiai*, seu Rituales; legatur S. Clemens, sanctus Dionysius, nihil aliud sedulò lectione deprehendes præter manuum impositionem et orationem, quod materiæ et formæ rationem inducre possit. Sed consideretur præsertim S. Dionysius qui ritus istos diligenter persequitur, mysticè et tropologicè multis verbis explicat; versentur, et revolvantur ipsius verba, nihil aliud præter manuum impositionem et orationem, aut si vis addere genuflexionem, tibi occurret, cui substantiale aliquid possis affingere. Eorum testimonia hùc non referemus, cùm suprà initio secundæ partis textus integer relatus fuerit. Eadem ratio Dionysii Interpretum, S. Maximi et Pachymeræ; horum instrumentorum traditionis in ordinatione ignarissimi fuerunt.

N. 9. His igitur prætermissis argumentum evidens hujusce rei è duplici praxi desumemus. Refert Theodoretus in Philotheo, cap. 19. hanc de Salamano sanctissimo Eremita historiam, « Porrò Pontifex civitatis cujus » erat vicus, cùm viri didicisset virtutem, accessit volens ei donum dare » Sacerdotii: et domunculæ perfossâ aliquâ parte est ingressus, manum- » que imposuit, et peregit precationem. Et sæpè quidem ei dixit, et quæ » ad eum adveneral gratiam significavit. » Ex hoc testimonio multa consequuntur. Primum ad Sacerdotii ordinem tradendum nihil apud Orientales præter orationem et Episcopalem manuum impositionem, requisitum fuisse. Secundum quod indè sequitur, nullum traditionis instrumentorum usum illis fuisse, non solùm ex eo quòd eo loco dicitur ille Monachus sine ulla instrumentorum mentione Sacerdotium consecutus, sed etiam ex eo quòd instrumentorum traditio cum eo quod accidit subsistere non potest: Sacerdos enim factus hoc nescivit, et sæpè hoc illi ab Episcopo

repetendum fuit. At si tradita fuissent illi, Calix cum vino, Patena cum Hostia, procul dubio se factum Presbyterum ignorare non potuisset: Imò factus Presbyter non fuisset: Tangere enim instrumenta recusasset, aut vis illi ad contactum inferenda fuisset, quod factum Theodoretus non commemorat. Tertium, preces consecratorias et ordinationis effectrices mysticè, hoc est, secretò fuisse eo tempore pronuntiatas, quod etiam nunc sedulò faciunt Græci. Nam si altâ voce pronuntiatæ fuissent, cum Sacerdotem creatum celare non potuissent. Denique colligitur, *anarrhesin* illam, seu proclamationem ordinationis Sacerdotali formam non esse: Nam eâ Episcopus ille usus non est; intellexisset enim se Sacerdotem creari. *Anarrhesis* enim est, *Divina gratia promovet hunc N. in Sacerdotem.* Quò sanè conficitur proclamationem illam ad electionis factæ pronuntiationem pertinere, quâ tum opus non erat, cùm solus Episcopus privatim eligeret, et consecraret.

N. 10. Eadem colliguntur et evidentiùs ex eodem Theodoreti libro cap. 13. ubi Macedonii alterius solitarii Monachi, et hominis simplicissimi ordinationem refert. Scribit enim eum ordinatione factâ nescivisse prorsùs quid contigisset. Cùm autem assistentium aliquis hoc indicasset, gravissimè exanduisse, et, obvios convitiis et baculo cui innitebatur, lacessivisse.

N. 11. Eodem argumentationis genere idem evidenter deducitur ex verbis sancti Hieronymi, in versum 9. cap. 58. Isaiæ: sic scribit, « Plerique » nostrorum, *cheirotoniam*, id est, ordinationem Clericorum, quæ non » solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manûs, » ne scilicet, ut in quibusdam visimus, vocis imprecatio clandestina » Clericos ordinet nescientes, sic intelligunt, ut assumant testimonium » Pauli scribentis ad Timotheum (1. *Tim.* v. 22.): » Manus citò nemini imposueris, neque communicaveritis peccatis alienis. *Non enim peccatum leve mittere margaritas ante porcos, etc.* Dicit quosdam Episcopos clandestinas ordinationes fecisse, neve ordinantes deprehenderentur, manus ordinandis non imposuisse. Hanc ordinandi fraudem ait sanctus Hieronymus se risisse; eo quòd Ordinatio non solùm ad imprecationem vocis, sed etiam ad manûs impositionem consummatur. Si tum instrumentorum usus viguisset, num ejusmodi clandestinas ordinationes quibus nescientes consecrabantur, aliquis tentare potuisset? Manus variis admodum de causis imponuntur; deindè possunt imponi sine contactu: ideò facilè potest quis etiam manum imponens ordinatum celare. Præterea in hac occasione tam urgente sanctus Hieronymus instrumentorum non esset oblitus, quorum traditione istorum hominum temerarius ausus multò meliùs et validiùs quàm manuum impositione confutabatur.

N. 12. Secundò antiqui Rituales Latini, non secùs ac Græci, istam instrumentorum traditionem nobis non exhibent. Quidquid spectat ad illam materiam et formam ab iis abest. Duo ritus ordinationis editi, unus Romæ in sancti Gregorii Sacramentario ex Bibliotheca Vaticana; alter Parisiis ab Hugone Mainardo, ex Bibliotheca Corbeïensi, quos hîc cum aliis editos habes, ista omnia nobis non repræsentant. Duo antiquissimi Pelaviani litteris uncialibus scripti, qui præ cæteris eminent: Duo alii secundùm istos antiquissimi, et egregiè, splendidèque scripti, qui ampli sunt, et multa in ordinationibus illis exhibent, quæ videri possunt non necessaria, quorum unus est Rothomagensis, alter Rhemensis: Tres alii quorum primus Senonensis est, duo alii Corbeïenses, unus à Rodrado scriptus nunc vertitur annus octingentesimus primus; alter à Rotaldo præcedente multò junior, sed copiosissimus, qui quæcunque noverat ad ordinationes pertinere, iis dilavit Sacramentarium suum. Deniquè unus è Bibliotheca Thuana perantiquus; alter Bellovacensis regnante Roberto Francorum Rege scriptus. Illi omnes antiquissimi Sacramentarii libri, et istorum instrumentorum, et formæ, seu verborum solemnium quæ nunc pronuntiari solent, cùm Ordinandis traduntur, *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis; In nomine Domini. Amen*, non meminerunt: profundum et mirum est de hâsce rebus apud eos silentium. Quis adeò desipit, ut sibi persuadeat istos scribas, et Episcopos qui eorum libris in sacris agendis utebantur, ea omisisse quæ sola Presbyterum creabant: Innumera verò quæ ad

rem nihil pertinebant, tam diligenter et tam magnificè descripsisse?

N. 13. Nec tantùm antiqui Rituales ista instrumenta prorsùs ignoraverunt; verùm etiam eorumdem temporum et præcedentium Auctores eorum nunquam ne verbulo quidem meminerunt, Isidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, Valfridus Strabo, licèt de Officiis Ecclesiasticis amplissimè scripserint. Nonnulli Auctores qui ab anno millesimo scripserunt, istorum instrumentorum in ordinatione Presbyteri mentionem faciunt, sed in eorum traditione ordinationis naturam consistere nemo dixit, nec leviter indicavit, imo potiùs contrarium. Ita Hugo à sancto Victore lib. 2. de sacram. fidei part. 3. cap. 12. « Accipiunt et Calicem cum vino, et Patenam cum Hostiis de manu Episcopi, quatenùs » his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi. » Ipse Lombardus Scholasticorum princeps lib. 4. dist. 24. contrarium videtur asserere: « Accipiunt etiam Calicem cum Hostiis, » ut per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles Deo Hostias offerendi. » Documenta hæc sunt potestatis acceptæ, et pignora exercendæ. Eumdem sensum exprimunt, licèt minùs evidenter, Stephanus Æduensis, et Ivo Carnut. in Sermone de excellentia sacrorum Ordinum.

N. 14. Nonnulli etiam Canones apud Latinos occurrunt, ex quorum tenore manifestè colligitur nullam tum fuisse apud eos in Presbyteri et Diaconi ordinatione instrumentorum traditionem. Concilium Toletanum 5. cap. 27. « Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si à gradu suo indignè » dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod » fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopo» rum. Si Episcopus est, orarium, annulum, et baculum; si Presbyter, » orarium et planetam; si Diaconus, orarium et albam. » Presbyter igitur Calicem et Patenam in ordinatione non receperat, cùm ei non reddantur in restitutione sua. Quâ ratione ei restituta non fuissent, si, ut volunt, in eorum traditione Presbyter creetur. Sed evidens hoc argumentum evidentius fiet, si quæ sequuntur de Subdiacono et reliquis inferioribus gradibus considerentur. « Si Subdiaconus, Patenam et Cali» cem sic et reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quæ cùm » ordinarentur, receperant » Si tradita fuissent Presbytero Calix cum vino, Patena cum Hostia, illi consimiliter in reparatione reddita fuissent, ut factum est postquam iste traditionis usus invaluit. Ita enim nunc Pontificale Romanum, *Ministri tradunt in manus degradandi Calicem cum vino et aqua, ac Patena, et Hostia, quem Pontifex degradator aufert de manibus degradandi*, etc. Canon 5. Concilii Hispal. 2. idem alio modo demonstrat, sed illum capite sequente examinamus. Concilium Carthagin. 4. eòdem evidenter conspirat: nulla enim instrumenta commemorat in Ordinatione Presbyteri et Diaconi, sed solam orationem et manùs impositionem. Deindè can. 5. dicit instrumenta Subdiacono tradenda, eò quòd manûs impositionem non accipit. Itaque ipsorum erat axioma, Ordines qui instrumentis gaudent, manûs impositionem non habere: et vice versâ, Ordines qui manûs impositionem accipiunt, instrumenta non habere.

N. 15. Hoc observarunt sedulò antiqui omnes Rituales. Referunt enim semper illos Concilii Carthaginensis Canones, et nusquam in ritu conferendorum majorum Ordinum, instrumentorum meminerunt, ut nusquam in minorum collatione quæ instrumenta habent, impositionis manuum.... Concilium Meldense sub Carolo Calvo Francorum Rege an. 845. celebratum, istius observationis et distinctionis praxim luculenter demonstrat can. 41. « Chorepiscopus modum suum juxta Canonicam » institutionem teneat, et nec sanctum chrisma, etc. nec Ecclesias consecret, neque ordines Ecclesiasticos qui per impositionem manûs tribuuntur, id est, nonnisi ad Subdiaconatum, etc. » Suprà igitur Subdiaconatum Ordines conferuntur per manûs impositionem; Subdiaconatûs et inferiores per instrumentorum traditionem.

N. 16. Interrogabis forsan, Quando igitur hic ritus et illius formula superaddita sunt? Difficile dictu, cùm ista sæpè non fiant aliquo Provinciali decreto, sed alicujus Episcopi pii doctive et famosi instinctu, qui religiosis et devotis aliquot rationibus ductus hoc addendum esse arbitratur: Deindè paulatim vicini Episcopi id probantes, cùm rituales novos

exscribi curant, id in iis addi procurant, aut etiam novâ descriptione non exspectatâ, antiquorum margini. Indè est quòd posteriores Rituales semper sint prioribus ampliores et cæremoniis augustiores. Tandem ab aliquot seculis Romani Pontifices his additamentis modum imposuerunt, et à Ritualibus et Pontificalibus quæ superflua judicata sunt, resecuerunt. Si tamen conjecturis locus est, anni sunt septingenti vel circiter cùm initium huic additamento factum est. Reperitur enim in codice Abbatis Constantini Caëtani, cujus character hanc ætatem sapit, et videtur planè scriptus ante annum Christi millesimum. Est autem hodiernis similis, « Hoc » facto, (id est, unctione peractâ,) accipiat Patenam cum oblatis, et » Calicem cum vino, dicat : Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, » Missamque celebrare tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine Do- » mini. » Eodem modo reperitur in Ordine Romano edito, unâ aut alterâ voculâ additâ. Videntur autem exemplaria manuscripta de quibus expressa est illius Ordinis editio, recentiora esse eo codice quem citamus, cùm Ordo ille editus sit idem cum illo codice, sed multò amplior et abundantior. Ex caractere de ordinis editi antiquitate judicare non possum, cùm editionis istius prototypon non viderim.

N. 17. In secundo codice Bellovacensi, licèt post sexcentos annos scripto, hoc additamentum non erat; sed post libri scriptionem in infima margine aliâ manu et caractere additum erat, in hunc modum qui à vulgato multùm abest, « Posteà dat eis Episcopus Calicem, ita dicens : Accipite » Calicem, et habetote potestatem, atque licentiam offerre sacrificium » Deo tam pro vivis quàm et pro defunctis fidelibus. » Nihil de Patena et oblata, nihil de vino in Calice. In Moguntino annorum 450. non dantur illa instrumenta omnibus, sed tantùm quibusdam omnium nomine. « Post hæc Episcopus offert Calicem cum patena præparata, cum Hostia » et vino, duobus, vel pluribus ad tangendum, dicens : Accipite calicem, » et habetote potestatem, etc. » Omnes codices post annos quingentos scripti hoc habent additamentum uniforme in textu : vix aliquis eo carens deprehendetur. Nullibi tamen reperi in illa instrumentorum traditione vinum aquâ mixtum, ut Pontificalis Romani rubrica præcipit.

N. 18. Silentio prætereundum non est, cùm primùm reperitur in Ritualibus ista instrumentorum traditio cum sua formula, eam de Presbyteris non enuntiari, sed de Episcopis. Itaque si materia est et forma substantialiter Ordinem, constituens, non Presbyterum, sed Episcopum primò constituebat. Nam in Sacramentario Gregoriano ex Bibliotheca Vaticana inter sancti Gregorii opera Romæ edito, ista instrumentorum traditio cum sua formula deprehenditur, sed in Ordinatione Episcopi, non Presbyteri; et in eo Ordinationis Episcopalis loco qui materiam et substantiam Ordinationis præscribit : « Episcopus cùm ordinatur, duo » Episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput ejus, et » uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui » adsunt, caput ejus laudant. Hoc facto accipiat Patenam cum oblatis, et » Calicem cum vino, et det ei dicens, Accipe potestatem offerre sacrifi- » cium Deo, Missamque celebrare tam pro vivis quàm pro defunctis. » Hic autem codex omnium in quibus istud additamentum reperitur, est antiquissimus. Qui primùm illud addiderunt, Ordinationi Episcopali addi voluerunt, eo quòd sacrificium Episcopo primùm convenit, deinde Presbytero permittente Episcopo, ut adnotant Rituales et Canones.

Cap. 2. *n.* 1. Aggrediamur nunc secundæ et tertiæ opinionis posteriorem partem, et dispiciamus, an illa postrema manûs impositio cum qua jungitur illa formula, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, etc. sit formaliter vera et antiqua Sacerdotii forma, aut pars illius, quam Apostoli, et antiqui nobis tradiderunt. Formaliter dixi, quia si nudè manuum impositionem spectemus, et solum verborum additorum sensum, ritus Græcus et Latinus, seclusis et deletis illis verbis et illâ manûs impositione de quibus litem intendimus, expressè et sæpiùs idem complectitur. Itaque contendimus hanc postremam manûs impositionem ut sic, cum ista formula, nullomodo ad Sacerdotii substantiam pertinuisse, sed esse cæremoniam recèns à Latinis additam. In hanc posteriorem materiæ partem eodem modo argumentamur ut in priorem. Nihil prorsùs horum nobis repræsentant antiquissimi, et hodierni Græcorum Rituales,

ut videre est singulos legentibus ; cæremonia est illis prorsùs incognita. Veram tamen habent Ordinationem, et ab Ecclesia Romana probatam. Non igitur pertinet ad Sacerdotii substantiam, sed ad cæremoniam quæ ordinationis decorem auget et ornat.

N. 2. Deindè tota illa cæremonia, et secundùm materiam, et secundùm formam, et secundùm circumstantias mille ducentis annis incognita fuit in Ecclesia Dei : Nulli Rituales ante hoc tempus illius meminerunt, licèt copiosi sint, et singulos ritus pauci momenti sigillatim describant. Imò nonnulli sunt eo tempore longè recentiores, et diffusi admodum qui illam prætereunt.

N. 3. Hoc quod nunc de antiquis Pontificalibus adnotamus ex parte animadvertit Joannes Major, qui anno 1516. Commentarios suos in 4. Sententiarum Parisiis edebat. Distinctione enim 24. q. 1. ex eo præsertim probat hanc manuum impositionem ad Presbyteratûs substantiam non pertinere, quòd « aliqua Pastoralia hæc non habeant, nec sit probabile » quòd deficerent in aliquo tam necessario ad sacramentum. »

N. 4. Auctores quoque qui ante quingentos annos de his scribebant, nullam istius manûs impositionis mentionem faciunt, et ita sermonem suum distribuunt, ut nullibi in ritu Ordinationis illis cognito locum habere possit. Stephanus Æduensis c. 4. « Isti cùm ordinantur, ab Episcopo » super capita eorum manus tenente benedicuntur. Omnes autem Pres» byteri adstantes cum Episcopo manus levant, et Spiritum sanctum in» vocant. Invocatione factâ stola super utrumque humerum ponitur, etc. » Singula persequitur, nec verbum ullum de posteriori manûs impositione, et ejus formula. Similiter Ivo Carnutensis in fine sermonis de excellentia sacrorum Ordinum, et Hugo à sancto Victore in Speculo Ecclesiæ, c. 5. qui Ordinationis Presbyteralis compendium eodem modo struunt, et iisdem sæpè verbis. Micrologus c. 21. de observationibus Ecclesiasticis manifestè per consequentiam negat hoc in ritu Ordinationis haberi, « Item » et susceptionem Pœnitentium non ex sua consecratione, sed ex Epis» coporum concessione Presbyteri habere meruerunt. Quod illum non la» tebit, quicunque ordinem consecrationis eorum, sive statuta sanctorum » Patrum diligenter inspexerit. » Si legisset Micrologus in Ritualibus temporis sui hæc verba Presbyteris dicta cùm ordinantur, *Quorum remiseritis peccata*, etc. qua fronte dicere ausus fuisset Pœnitentium susceptionem Presbyteros ex ordinatione sua non accipere, atque id ex Rituallium lectione manifestum esse, si ejusmodi verba pronuntiata fuissent, quibus ea auctoritas illis evidentissimè confertur ?

N. 5. Honorius Augustodunensis in Gemma animæ lib. 1. cap. 181. videtur negotium facessere ; ait enim, « His Episcopus in ordinatione manus » imponit, potestatem ligandi atque solvendi tradit, quatenùs ipsi ita vi» vant, ut alios ligare ac solvere valeant : » videtur alludere ad ea verba, *Quorum remiseritis peccata*, etc. Sed hoc concesso res est ad quæstionem istam indifferens, loquitur enim Honorius, sive quisquis sit illius libri Auctor, de prima manuum impositione quæ verè est Presbyteri constitutiva : statim enim sequitur, « Jugum Domini suave eis imponit, dum » collum illorum stolâ cingit, quatenùs sic legi Dei obediant, ut alios » regere queant : Manus eorum chrismate ungit, etc. » Itaque hinc tantùm colligeretur, hæc verba, *accipe Spiritum sanctum*, etc. dicta fuisse in prima manûs impositione, quod nonnullos Rituales exhibere jam monuimus. Nec tamen hoc affirmare necesse est : alludit enim ad ea verba quæ in omnibus antiquis Sacramentariis habentur sub titulo, *Consecratio Presbyteri*, et eodem modo in Pontificali Romano hodierno, sed sine titulo, *Da quæsumus omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem : innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis, ut acceptum à te, Deus, secundi meriti munus obtineant ; censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent, etc.* Finitâ prece illâ, statim Episcopus, ut etiam nunc, orarium reflectit super utrumque humerum.

N. 6. Idem efficacissimè probat canon 3. Concilii Carthag. 4. « Presbyter » cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus » tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta » manus Episcopi super caput illius teneant. » Manifestum est hoc de priore manûs impositione esse intelligendum, id est, de ea in qua Presbyteri

manus simul cum Episcopo super ordinandum imponunt. Auctorum hodiernorum maxima pars censet istam manuum impositionem esse tantùm cæremonialem : Ita sit, sed nobis ostendant aliam : Deindè dicent nobis, quamobrem cùm materiam Patres illi exactè in Episcopo, et inferioribus omnibus ordinibus designaverint, Sacerdotio quod est omnium fundamentum et causa, illam omiserint, illiusque loco nobis cæremonialem substituerint ? Prætereà scire velim, si manûs illa impositio ad Presbyteratûs substantiam nihil pertinet : quare canone sequente adnotatur de ordinatione Diaconi, « solus Episcopus qui eum benedicit, manum super » illius caput ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium con» secratur. » Cùm Presbyter ordinatur, adstantes omnes Presbyteri manum simul cum Episcopo imponere debent, quia ad Sacerdotium consecratur : Cùm verò Diaconus, solus Episcopus manus imponit, quia ad ministerium consecratur. Manûs igitur impositio Episcopi et Presbyterorum secundùm Concilium necessaria est Presbytero ordinando ; sed solius Episcopi, Diacono. Quà ratione dici potest neutram neutrius ordinationi necessariam ?

N. 7. Denique omnes illi fatentur in Ordinatione Subdiaconi, substantialem esse traditionem Patenæ et Calicis vacui. Sed idem Concilium jubet Episcopum hæc Subdiaconis tradere, cùm ordinantur, eo quòd manus ipsis non imponuntur. Est igitur illis vice manûs impositionis, quæ Presbyteris et Diaconis confertur, instrumentorum traditio. An substantialis ritus vicem tenet ceremoniolæ, et tanta cum diligentia Patribus de ceremoniola præcautum est et provisum ; de summa verò rei statuà sunt taciturniores ? Denique in ipso illo actu quo Presbyteri manus cum Episcopo imponunt, formam sive orationem pronuntiat Episcopus, juxta Concilii præceptum : ita enim canon, « Presbyter cùm » ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus » tenente, etiam omnes Presbyteri, etc. » Quid aliud, *Episcopo eum benedicente*, quàm solemnia verba pronuntiante ?

N. 9. Denique Concilium Tridentinum eamdem sententiam confirmat Sess. 14. c. 3. ubi Extremæ-unctionis Ministros docet esse solos Episcopos, « aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum Pres» byterii. Loquitur evidenter Concilium de priore manuum impositione. Nam in posteriore solus Episcopus manum imponit : De ea igitur non est intelligendum Concilium. Deindè ea manûs impositio de qua verba facit est Sacerdotio substantialis, nec poterat hoc clariùs Concilium significare, quàm cùm dicit Sacerdotes ritè per manus Episcopi et Presbyterii ordinari. His denique accedat quòd instrumentorum Patres Tridentini nunquam meminerint.

Gasp. Juenınus Congreg. Orat. D. J. Sacerdos *in suo Comment. hist. et dogmat. de Sacrament. dissert.* 8. *Quæst.* 3. *cap.* 2. Tres sunt Scholasticorum sententiæ de materiâ Presbyteratûs. Nonnulli censent traditionem Calicis cum vino et aquâ, Patenæ cum pane superimposito esse materiam essentialem Presbyteratûs : nec mirum (inquiunt) cùm per eam traditionem perspicuè exprimatur effectus qui Presbyteratu producitur. Placet aliis sententia quæ docet solam materiam ex quâ essentialiter constet sacramentum de quo agitur ; nituntur verò hoc argumento, nempe quòd (dicente Concilio Tridentino) immutabilis sit cujusque sacramenti materia essentialis : at vetera monumenta, cùm de consecrando Sacerdote loquuntur, solius impositionis manuum meminerunt. Alii denique mediam sententiam eligunt, contendentes materiam Presbyteratûs essentialiter ex utroque ritu constare, impositione scilicet manuum et vasorum traditione. Confirmant ex sex priorum seculorum Conciliis, quæ ubi agunt de Presbyteratu, definiunt dari ipsum per impositionem manuum. Confirmant iterùm ex Eugenio Papa 4. qui in decreto pro instructione Armenorum definit materiam sacramenti ; de quo est hic quæstio, esse vasorum de quibus mox dictum est, traditionem : qui verò urgentur antiquis Canonibus qui hujusmodi traditionis non meminère, respondent Christum non determinasse in specie infima materiam et formam sacræ ordinationis, ab ipso Ecclesiæ factam fuisse facultatem, ut prout suggereret Spiritus eas determinaret : undè concludunt nullum esse argumentum quod contra vasorum traditionem à veterum silentio desumi-

tur. Quam nos sententiam eligamus subsequentibus conclusionibus declarabitur.

Conclusio prima. Ante annum millesimum traditio calicis cum vino et aqua, traditio patenæ cum pane superimposito non erant materia Presbyteratûs.

Probatur : Ille ritus non fuit per mille priores annos materia Presbyteratûs, quo Patres qui tunc vixere, nequaquam usi sunt in conferendo Presbyteratu. Atqui Patres mille priorum annorum nusquam in conferendo Presbyteratu usi sunt traditione de qua agitur. Nam primò illius non meminerant qui decem prioribus seculis de ordinatione Presbyterorum scripsere. 2°. Qui expressè egerunt de Ordinationum ritu, ut Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, Alcuinus in lib. de divinis officiis, Amalarius, Rabanus Maurus, aliique noni seculi Auctores, nullibi referunt illam sacrorum vasorum porrectionem, quæ nunc fieri solet ab Episcopis dum consecrant Presbyteros. 3° Correctionem, seu traditionem hujusmodi vetera monumenta Ecclesiastica excludunt à Presbyteratûs collatione, ut patet ex 5. canone Concilii Carthaginensis 4. ubi hæc habentur : « Subdiaconus cùm ordinatur, quia manûs impositionem non » accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam. De manu verò » Archidiaconi, urceolum cum aqua, et mantile et manutergium. »

Nec audiendi sunt ii Scholastici, qui, ut argumenti mox relati vim eludant, reponunt antiquos Scriptores porrectionem vasorum sacrorum obscurè saltem expressisse per impositionem manuum, cujus meminerunt agentes de Presbyteratûs collatione. Non sunt (inquam) audiendi. Nam primò in laudatis 4. Concilii Carthaginensis verbis porrectio vasorum aperlè opponitur manuum impositioni : *Subdiaconus quia manûs impositionem non accipit, etc.* 2° Ideò Scholastici quos hic confutamus, asserunt instrumentorum porrectionem inclusam fuisse in impositione manuum de qua locuti sunt antiqui Patres, quòd Pontifex dum vasa porrigit Presbytero quem ordinat, tunc extendat manum. Sed, pace adversariorum dixerim, ea responsio absurda est quàm maximè : si enim valeret, dici posset, quòd Presbyter baptizet Catechumenos per impositionem manuum ; quippè quòd dum eos abluit, extendat manum. Rursùs dici posset quòd Extrema-unctio datur per manuum impositionem : siquidem Sacerdos non potest infirmum inungere nisi in illum manus extendat.

Conclusio secunda. A Christo usque ad annum millesimum sola manuum impositio fuit essentialis materia Presbyteratûs.

Probatur : Scriptura, Patres, Canones, ritum, de quo est quæstio, retulêre, ubi Presbyterorum ordinationis meminerunt, illique adscripserunt gratiæ sanctificantis productionem, nec non potestatis Sacerdotalis collationem : *Manus* (inquit Paulus 1. ad Timoth. v. 22.) *citò nemini imposueris.* Sacrum illum ritum refert Dionysius Ecclesiasticæ Hierarchiæ c. v. ubi Presbyterorum ordinationem ex professo describit : refert Hieronymus in caput LVIII. Isaiæ : *Ordinatio* (inquit) *non solùm ad invocationem vocis, sed etiam ad impositionem impletur manuum :* refert Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali cap. v. refert Concilium Carthaginense quartum : refert Concilium Tridentinum sess. 14. de Extremaunctione cap. 3. ubi sic loquitur : *Quo nomine* (Presbyterorum) *eo loco* (Jacobi v.) *non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniant, sed aut Episcopi aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum Presbyterii :* referunt tandem omnes libri Sacramentales, omnia Ritualia, Pontificalia quæ Sacerdotalem ordinationem describerunt.

Nec alicujus est ponderis quod à nonnullis respondetur, in antiquis scilicet monumentis fieri mentionem impositionis manuum tanquam ritûs ordinationi Presbyterorum accidentalis. Non est (inquam) alicujus ponderis, cùm enim ea monumenta nullius alterius ritûs per quem Sacerdotes ordinentur, meminerint, signum est unum manuum impositionis ritum à Patribus fuisse judicatum essentiale ordinationi Presbyterorum. Præterea (argumentum est Doctissimi Hugonis Menardi Benedictini Monachi ex inclyta Congregatione sancti Mauri) quis in animum inducet suum Concilia, Patres, Scriptores Ecclesiasticos de iis tantùm locutos fuisse quæ accidentalia essent ordinationi, prætermisisse verò

quæ sunt essentialia, iis etiam in libris, ubi expressè Sacerdotalis ordinationis ritum describunt, ut videre est tum in quarto Concilio Carthaginensi, quod quidem clarè ac minutim ea omnia refert quæ pertinent ad singulorum Ordinum collationem : videre est etiam in Gregorio Magno, qui cærimoniam suo tempore in ordinandis Presbyteris usurpari solitam describit in libro Sacramentorum, ubi refert Canonem Carthaginensem de manuum impositione cum exclusione porrectionis instrumentorum : videre est tandem in Ritualibus, Pontificalibus quæ decem prioribus seculis exarata sunt, et à pluribus Ecclesiasticis Scriptoribus explicata.

Quæres quænam manuum impositio decem prioribus seculis esset materia Presbyteratûs? An ea quæ nunc in Pontificali Romano fit statim post Litanias ab Episcopo silente et Presbyteris adstantibus ; an ea quæ immediatè post illam priorem impositionem fit ab omnibus, qui adsunt, Sacerdotibus et ab Episcopo qui in Diaconum electum in Presbyterum divinam omnipotentiam invocat ; an verò ea quæ post communionem fit à solo Episcopo sic Presbyterum alloquente : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, et quorum retinueris retenta sunt.* (*Joan.* XX. 23.)

Resp. 1° Priorem et tertiam manuum impositionem quarum quæstio meminit, non fuisse in usu decem prioribus seculis, cùm nullus eorum temporum Scriptor Ecclesiasticus eas referat. Resp. 2° Secundam, de quâ mox dictum est, impositionem manuum fuisse unicam et veram materiam Presbyteratûs. Nec mirum : sola enim adhibebatur, eam solam Gregorius Magnus in suo Sacramentorum libro describit. Prætereà eam comitabatur Episcopalis benedictio, seu orationes quæ erant Presbyteratûs forma, ut capite sequenti dicetur : *Presbyter, cùm ordinatur* (ait Gregorius Magnus in lib. Sacramentorum, post quartum Concilium Carthaginense) *Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.*

Conclusio tertia. Certissimum est solam impositionem manuum, his etiam temporibus esse apud Græcos materiam essentialem Presbyteratûs.

Probatur 1° Ecclesia Orientalis nusquam in ordinatione Presbyterorum usa est, nec modò utitur vasorum traditione, quæ pluribus ab hinc seculis in Ecclesia Occidentali adhibetur. 2° Nullam unquam adhibuit nec jam adhibet unctionem ; neutrum ex illis ritibus referunt antiqua aut recentia Græcorum Euchologia. Ecclesiæ Orientalis Patres testati sunt semper dari Presbyteratum per impositionem manuum : undè nullum alium ritum, per quem conferatur, describunt Euchologia quæ in Græcia tum Catholica tum schismatica sunt in usu.

Nec est quòd quis ad nostrum argumentum reponat, irritas esse ac nullas quæ nunc tentantur à Græcis Presbyterorum ordinationes. Nam 1° Ecclesia Romana nusquam Græcorum ordinationes improbavit, imò nusquam de illarum validitate dubitatum fuit aut in Concilio Lugdunensi, aut Florentino quibus Græci cum Latinis adfuere, nec in Armenorum cum Ecclesia Romana unione. 2° Quæ nunc à Græcis celebrantur Presbyterorum ordinationes, implicitè et indirectè probatæ fuerunt à Clemente Papa 8. qui Russorum Episcopos, Presbyteros et Diaconos ad unitatem Catholicam admisit cum ordinibus, quibus secundùm ritum Græcum insigniti fuerant in suo schismate. 3° Ecclesia Romana, his temporibus, Presbyteris Græcè ordinatis facultatem facit Missas celebrandi, quibus Latini tum in Occidente tum in Oriente sese præsentes sistunt ; quod quidem idololatria esset intolerabilis, si ii qui secundùm Græcum ritum ordinati sunt, non essent veri Presbyteri.

Conclusio quarta. Non solùm antiquitùs, sed his etiam temporibus, sola manuum impositio est apud Occidentales sola essentialis materia Presbyteratûs.

Probatur 1° Per decem priora secula manuum impositio fuit (ut superiùs ostensum est) sola essentialis materia Presbyteratûs : Ergo, hoc etiam seculo, sola est essentialis materia, cùm ex Concilio Tridentino, Sacramentorum substantia ab Ecclesia mutari minimè possit. 2° Materia alicujus sacramenti debet ubique esse eadem, cùm (ut hujus operis

dissertatione primâ probatum est) ipsemet Christus singulorum Sacramentorum materiam et formam non in genere tantùm, sed etiam in specie infimâ determinaverit. Atqui sola manuum impositio est hujusmodi : Ergo, etc. 3° Qui negant manuum impositionem adæquatam esse materiam essentialem Presbyteratûs, nec ex Scriptura, nec ex Traditione probare possunt per decem priora secula apud Occidentales verè ordinatos fuisse aliquos Sacerdotes : siquidem iis seculis instrumentorum porrectio, quam adversarii putant pertinere modò ad essentialem, licèt inadæquatam, Presbyteratûs materia, nequaquam fuit in usu. 4° Non alterius ritûs quàm impositionis manuum meminit Concilium Tridentinum, ubi explicat Presbyterorum nomen quo Jacobus de Extrema-unctione agens utitur in Epistola Canonica cap. 5. *Ritè ordinati* (inquit) *per impositionem manuum Presbyterii.*

Nec solvunt argumentum ii Scholastici qui ultrò confessi Presbyteratum antiquitùs collatum fuisse per solam impositionem manuum, modò per instrumentorum porrectionem conferri contendunt, nixi hoc principio, quòd « Ecclesia quater centis saltem ab hinc annis usa sit acceptâ à » Christo potestate mutandi secundùm speciem ordinis materiam, quam » Christus ipse in genere tantùm determinavit. » Non solvunt (inquam) argumentum ; Nam 1° falsum (ut suo loco probatum est) supponunt. 2° Nullâ antiquorum auctoritate probari potest quòd Christus eam facultatem, cujus concessione nititur adversariorum responsio, Ecclesiæ fecerit. 3° Dato quòd Christus eam potestatem Ecclesiæ suæ fecerit, nullo quod alicujus sit roboris, argumento, adversarii probare possunt Ecclesiam aliquando eâ potestate usam fuisse : quæ enim objiciunt tum ex Eugenio, 4° tum ex Romanis Pontificalibus, tum ex Scholasticorum ingenti (ut aïunt) numero, facilè solvi possunt.

PONTIF. ECCLES. GRÆCÆ, *part.* 8. *de Ritu ordinationis Presbyterorum.* Pronuntiat Patriarcha omnibus audientibus, habens etiam dexteram super ipsius (*Presbyteri nempe*) caput positam ; Divina gratia, quæ infirma sanat, et imperfecta perficit, promovet hunc N. reverendissimum Diaconum in Sacerdotem. Pro eo igitur oremus ut super eum veniat gratia Spiritûs sanctissimi. Tum omnes dicunt ter, Domine miserere. Ac rursùs consignans ter ipsum, et manum impositam habens ejus capiti, Diacono dicente, oremus Dominum : orat Patriarcha, dicitque hanc orationem secreto : Deus principii et finis expers, omni creaturâ antiquior, quia appellatione Presbyteri decorasti eos qui hoc gradu prædili sunt ad sacra peragenda Verbi veritatis tuæ : Tu ipse omnium dominator hunc etiam quem à me promoveri tibi placuit, in conversatione inculpata et fide inviolabili velis magnam hanc gratiam suscipere sancti Spiritûs tui. Redde etiam perfectum servum tuum in omnibus tibi acceptum et dignè se gerentem magno hoc honore Sacerdotali à providentiæ tuæ virtute ipsi concesso. Quia tua est potentia, tuum regnum, tua potestas, et gloria Patris et Filii et sancti Spiritûs nunc et semper, et in secula seculorum.

ISAAC. HABERT. Doct. Sorbon. *ad part.* 8. *Liturg. Ordin. de Ordinat. Presbyt. observ.* 2. Quotiescunque verò in Scriptura fit mentio ordinationis sacramentalis, non alio symbolo, non aliâ notâ, non aliâ cærimoniâ quàm manuum impositione designatur : ergo illa inter cæteras cærimonias maximè (*ousiodes*) substantialis est ordinis sacramento, ac proindè ordini, de quo hîc agitur, Presbyteratûs : aut nullus planè ordo, aut Presbyteratus est apprimè sacramentum, quod omnes Theologi profitentur.

Divinus ille Paulus, cap. IV. 14. primæ ad Timotheum Epistolæ : *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Si manuum impositio non est necessaria, dic ô bone Dominice, per quid aliud Timotheus Presbyter vel Episcopus ordinatus est ? Quid insuper Paulus (2. *Tim.* I. 6.) ? *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Per quid aliud Paulus ipse, ipse, inquam, Paulus Timotheum consecravit ? Quos quidem Apostoli locos respiciens D. Hieronymus Commentariis in Esaïam docet *ordinationem Clericorum* duabus rebus impleri, *Impositione manûs et imprecatione vocis* : quid clariùs

doceri potuit, de impositione manûs ut materia, de pronuntiatione verborum ut forma? Sacramenta enim duplici parte substantiali constant, verbo et elemento, ut aïunt Patres, rebus et verbis, ut Scholastici loquuntur.

Nec mirum si Concilia, eodem, quo Scriptura dictata est, spiritu loquentia, Ordinationum substantiam satis se declarasse putant, cùm manûs impositionem nominavère. Nicænum primum can. 10. Neocæsariense can. 9. Antiochenum can. 10. Ancyranum can. 10. Chalcedonense 2. et 6. Nicænum sec. can. 14. Concil. octavum generale can. 8. alia denique omnibus ferè canonibus ad ordinationem spectantibus, quorum collectio infrà habetur.

Quid porrò dicent Doctores illi *agraphoi*, non dicam ad Clementis Romani auctoritates è libro Constitutionum 8. nec ad Epistolas Anacleti, Felicis, Damasi et alias ejuscemodi: sed ad hæc verba S. Dionysii? *Pontificiæ manûs impositio habitum et facultatem Sacerdotalem largitur.* Est igitur ordinationis pars essentialis cùm ipsum characterem, de quo hic sermo est, producat. S. Basilius clarissimè hunc esse Ecclesiæ sensum exprimit, in Epistola canonica ad Amphilochium, ubi de hæreticorum falsa ordinatione cum ea quæ Ecclesiæ est, comparata; sic habet: locus quidem est difficilis propter aliam controversiam, sed in hac materia clarus: « Qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent » ampliùs in se gratiam Spiritûs: Defecit enim transmissio eo quòd con» secratio discissa sit: qui enim primi recesserunt, ordinationem à Patri» bus habebant et per manuum impositionem spiritalem gratiam susce» perant. Qui autem abrupti sunt laïci effecti, nec baptizandi, nec ordi» nandi habent facultatem » Mutuatus est insiguem locum, B. Gregorii Nysseni orat. de S. Baptismate, Jovius Monachus lib. de Mysteriis, « Illud » in Sacerdotio permaximum ac ineffabile, ut cùm heri et nudiustertius » è vulgo quispiam et plebeius exstiterit, modò et hodie virtute Spiritûs » sancti et voce Pontificis ac impositione dexteræ, tantam in melius » conversionem suscipiat: isque evadat, qui divina mysteria conficere » possit, qui Dei hominumque Mediator fiat, seque ipsum et alios sanc» tificet. » Hæc ego verba non tam ut in utriusque Patris, Gregorii videlicet et Jovii monumentis conscripta, quàm ut ab eis ex Ecclesiæ sensu et loquendi more studiosè observata considero.

Neque etiam alio dicendi genere Græci Ecclesiasticæ rei Scriptores et historici ordinationem significare solemne habent: Eusebius l. 6. Novati (*mataiam cheirepithesian*) *vanam manuum impositionem* vocat, ut eam à vera et legitima distinguat. Idem lib. 7. de Theotecno loquens sibi per manûs impositionem successorem ordinante. Undè, quando S. Gregorius Nyssenus narrat Phædimum Amasææ Episcopum, precibus Antistitem Neocæsareæ ordinasse S. Gregorium Thaumaturgum, etiamsi absentem, *vice manûs adhibuit sermonem quo eum absentem Deo consecrabat*, quam tamen impositionem manûs unà cum aliis ritibus posteà in ejusdem Gregorii persona celebratam innuit. Hinc illud Marciani dictum, cùm eum pœniteret Sabbathii ambitiosi in Presbyterum ordinati: « Errori suo circa ordinationem indignatus et ægrè ferens dixit, » multò fuisse satius manus suas in spinas imposuisse, quàm earum impo» sitione Sabbathium in Presbyterum promovisse. » Sic etiam narrat Theodoretus Antiochum, dum ordinaretur, à se repulisse manum Joviani Pergæi Episcopi Ariani, qui erat inter alios Episcopos consecrationi præsentes; Mosen pariter hoc dixisse Lucio Episcopo ariano, « Statim ac » vidit Lucium sibi manum imponere tentantem, Absit, inquit, me manu » tuâ ordinari: non enim te invocante, gratia Spiritûs sancti descendit. » Idem disertissimus historicus in Philotheo seu historia Religiosa in vita Salamanæ: « Civitatis, cui vicus suberat, Antistes, viri cognitâ virtute, » Sacerdotii donum impertire illi cupiens ad eum venit effractâ domun» culæ parte, ingressus, manum imposuit, precationemque perfecit, » multisque illum verbis affatus, gratiam quâ donatus fuerat, signi» ficavit, nullâque ab eo expressâ voce discessit. » Hoc esto tantùm specimen, reliqua infinita sunt apud Historicos sive universales sive eos qui SS. vitas scripsère.

Nimius essem si Latinos quoque Auctores adducerem, impositione

manûs ordinationem significantes : quod in primis facit Cyprianus qui duo distinguit, *Episcopatum deferre*, scilicet per electionem, et *manum imponere*, per consecrationem. Innocent. 1. Epist. 22. S. Ambr. lib. de mysteriis. S. Augustinus lib. 5. de Baptism. contra Donatistas.

Formosus Pontifex de Photio loquens, *impositionem obliquæ manûs* eum habuisse scribit. In cæteris nubes testium est, quâ non oculos excæcari, sed potiùs frontem obduci oportuit contentiosi illius Doctoris qui primus impositionem manûs ordinationi externam et accidentariam asseruit: quasi verò per colorem homo definiatur. At nemo propriè magis ordinationem, quàm impositione manûs apud Ecclesiam expressit : hæc enim Spiritûs sancti vox est, hoc Ecclesiæ idioma, hic sanctorum omninò stylus : præsertim apud Græcam Dialectum, quæ ordinationem χειροτονίαν, χειροθεσίαν, χειρῶν ἐπίθεσιν, χειρεπιθεσίαν vocat.

Præbuêre verò Scholasticis istis occasionem aberrandi DD. Canonistæ ex illo Gregorii IX. loco qui habetur cap. 3. de Sacrament. non iterandis, (quo in titulo cap. Pastoralis Innocentii III. hic locum non habet, cùm de ordine solùm Subdiaconatûs agat) sed ita Gregorius : « Presbyter et » Diaconus, cùm ordinantur, manûs impositionem tactu corporali, ritu » ab Apostolis introducto recipiunt : quod si omissum fuerit, non est » aliquatenùs iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi ordines » conferendos, cautè supplendum, quod per errorem exstitit prætermis- » sum. » Quo ex loco concludunt primò impositionem manûs non esse de jure divino, nec à Christo sed ab Apostolis institutam, nec igitur esse sacramento essentialem : secundò cùm ex omissione illius, *non sit aliquatenùs iterandum sed cautè supplendum*, ad integritatem vel potiùs ad substantiam sacramenti non esse necessariam.

Sed quo sensu manuum impositio dicitur ab Apostolis introducta, non sanè intelligunt qui in ritibus Ecclesiæ sunt peregrini et barbari : hoc enim aliud nihil est quàm impositionem manuum ab Apostolis ordinantibus primò fuisse celebratam, sicut à Domino acceperant, et Spiritu sancto suggerente. Quod autem Gregorius IX. addit non esse aliquatenùs iterandum, sed cautè supplendum, quod fuerat prætermissum : satis mentem suam aperit de necessitate manuum impositionis, quam certè ut momentaneam, si tantùm cærimonia esset, non ita sollicitè et cautè suppleri mandaret ; haud iteratis tamen aliis ordinationis Sacerdotalis partibus, quæ seorsim adhiberi possunt.

Parergon hîc esset disserere, an utraque impositio manûs quæ apud Latinos in usu est sit ordinationi intrinseca : Prior quâ Episcopus unà cum præsentibus Presbyteris, manum imponit : altera, quâ solus, dicens : *accipe Spiritum sanctum.* Existimo nunc utramque intrinsecam, nec de priori mihi dubium, cùm illa semper in omnibus libris Pontificalibus et Sacramentalibus reperiatur : posterior non ita vetustioribus : uti in libro Sacramentorum S. Gregorii (in quo habetur Oratio quam in priori recitat Episcopus, ut responderi possit iis qui illam mutam esse opponunt.) Imò nec in Concil. vulgò Carth. 4. nec apud Isidorum, Amalarium et alios Rituum theoreticos Scriptores. Prior ergo certissima est, adeoque nota, ut eam tanquam in Ecclesia notissimam Conciliam Florentinum in decreto non expresserit Armenis, sed ea solùm, quâ præter illam Romana Ecclesia porrigebat, instrumenta. Quod autem ad ritum impositionis manuum, ejusque celebrandæ formam accuratam pertinet : primò certum est, ambarum manuum impositionem non omninò necessariam esse, quamvis in B. Apostoli et reliquis Scripturæ locis pluralem numerum legamus, quia scilicet de plurium Episcoporum, ibi ut plurimùm ordinantium, numero agitur. Enim verò præterquàm quòd in constitutionibus Apostolicis lib. 8. manus una requiritur in consecratione Diaconi, licèt plurium mentio sit in Subdiaconi ordinatione : B. quoque Dionysius cap. 5. de Eccles. Hierarch. in triplici ordinatione Hierarchica manûs unius imponendæ meminerit : adhuc, libri Rituum Græci, unius mentionem faciunt, dextræ nimirùm imponendæ, ut etiam in præsenti Liturgia habetur. Cujus Ethicam rei significationem optimè S. Dionysius enarrat his verbis : « Pontificiæ manûs » impositio demonstrat pariter eam quæ mysteriis præest, protectionem, » quâ tanquam sancti filii paterno affectu fovemur, ipsis quidem habi-

per primam manuum impositionem et orationem Episcopi, quando omnes Presbyteri adstantes manus quoque imponunt Ordinando, et orante Pontifice manum extentam tenent; per illam, inquam, manuum impositionem Presbyterii, ut ait Apostolus (1. *Tim.* IV. 14.) (G), verè conferri Presbyteratûs ordinem et potestatem tam offerendi sacrificium quàm peccata remittendi : sed tamen posteà fieri ab Episcopo uberiorem et distinctiorem declarationem utriusque potestatis novo Presbytero concessæ. 1° Quidem quoad oblationem Sacrificii, dum unctis et consecratis ejus manibus et et tradito ipsi calice cum vino et aqua, superpositâ patenâ cum pane, ait Pontifex ; *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* (*Pontif. Rom. Ibid. pag.* 50.) 2° Quoad peccatorum remissionem, dum peracto sacrificio manus denuò imponens novo Sacerdoti, ait : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, et quorum retinueris retenta sunt.* (*Ibid. pag.* 54. *Joan.* XX. 22. *et* 23.)

I. Cur ungit Pontifex oleo sacro manus novi Sacerdotis ?

R. Quæ sit sancti illius ritûs ratio patet ex verbis ab Episcopo prolatis, dum fit isthæc unctio.

Consecrare, inquit, (*Pontif. Rom. ibid.*) *et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem, et nostram † benedictionem;.... ut quæcunque benedixerint, benedicantur, et quæcunque consecraverint, consecrentur, et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi.*

Cur autem consecrari et sanctificari dicentur manus per

» tum et facultatem sacri ordinis impertiente, adversasque ab ipsis potestates abigente. » Docet etiam consecratos sic obire sacras omnes ordinis functiones, tanquam sub Deo illas obeant, quem omnibus actionum suarum ducem habent. (*Sumbolon gar e cheir praxeos.*) Manus enim actionis symbolum est, addit Pachymeres in paraphrasi.

Aliam verò rationem non est quòd aspernemur, quòd hæc scilicet manuum impositio potestatis et auctoritatis spiritalis, quæ consecrando Presbytero tribuitur, signum est. S. Cyrillus lib. 5. in Esaïam, et S. Augustinus expositione in Psalmum 72. *Quid est*, mitte manum tuam ? (*Ps.* CXLIII. 7.) *Da potestatem. Manum Dei, potestatem Dei dixit ; sicut scriptum est alio loco*, mors et vita in manibus linguæ. (*Prov.* XVIII. 21.) *Nunquid lingua manus habet ? Quid est, in manibus linguæ ? in potestate linguæ ; hoc etiam dicimus, quemquam habere in manu, quod habet in potestate.*

Unum opponi forsan queat : quomodo stare possit diversa illa tum forma tum materia, apud Græcos et apud Latinos ? Responsio obvia, facilis et vera : In Sacramentis, quorum materia et forma in sacris Scripturis expressa non est : supponendum planè Christum utramque in genere solùm Apostolis instituisse, relictà Ecclesiæ potestate eas variis modis, ut liberet, designandi, constituendi ac determinandi, dummodò præcipuum Institutionis caput, intentio, scopusque servetur, ac generalis quædam aptitudo et analogia ad significandum sacramenti effectum, gratiam et characterem. Quæ quidem analogia par omninò est et integra in utroque ritu, Romano et Græco.

(G) 1. TIM. IV. 14. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.

2. TIM. 1. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

unctionem sacri olei patet ex jam dictis et ex infrà dicendis. Nimirùm gratia Spiritùs sancti solet unctionis nomine designari in Scripturis (H) : unde Christi, id est, uncti nomen Messiæ inditum, quia requievit super eum plenitudo Spiritùs sancti. *Spiritus Domini super me*, inquit, *propter quod unxit me.* (*Isaï.* LXI. 1. *Luc.* IV. 18.) Cùm autem consecrari nihil et sanctificari possit nisi per Spiritùs sancti unctionem et gratiam, solet Ecclesia spiritalem hanc unctionem sacri olei inunctione designare, quidquid ergo orationibus Ecclesiæ consecratur id inungitur semper sacro oleo.

I. Cur novi Sacerdotes simul cum Pontifice Missam celebrant et consecrant ?

R. Hìc habes vestigium antiquissimi ritûs. Olim quoties solemniter celebrabat Episcopus, toties simul cum eo celebrabant et consecrabant omnes Presbyteri circumstantes. Ut hinc omnes intelligerent unum esse sacrificium tam Episcopi quàm Presbyterorum offerentium et omnium circumstantium de illo simul junctis animis et precibus participantium. Id fusiùs infrà dicemus ubi de Missæ sacrificio. (*Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 18. *hujusce Part.*)

I. Cur peracto sacrificio novi Sacerdotes recitant stantes Symbolum Apostolorum ?

R. Ut solemniter *profiteantur fidem quam prædicaturi sunt*, ut fert Pontificale Romanum. (*Pag.* 54. *in Rubr.*)

I. Cur novi Sacerdotes peracto ordinationis ritu coram Pontifice genuflexi, promittunt illi et successoribus ejus reverentiam et obedientiam ?

R. Quia ex sacrorum Canonum sanctionibus tenentur Sacerdotes omnes suo Episcopo deferre reverentiam et omnimodam subjectionem, et ex animo obedientiam in iis quæ pertinent ad sacrum ministerium. Ut ergo id sanctè exsequantur, nec transeant ad alienas Diœceses inconsulto, nec permittente suo Episcopo, vult Ecclesia hanc promissionem, quæ voti instar est, solemniter fieri intra Missarum solemnia in ipso ordinationis ritu ab omnibus Sacerdotibus mox ordinatis. (I)

(H) ACT. X. 38. Jesum à Nazareth : quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute.

2. CORINTH. I. 21. Et qui unxit nos Deus.

1. JOAN. II. 20. Sed vos unctionem habetis à sancto.

27. Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.

(I) CANON. APOST. *can.* 14. *tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 27. Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex Clericorum catalogo, relictâ suâ parochiâ, in aliam abscesserit, et cùm penitùs transierit, præter sui Episcopi sententiam in alia parochia maneat, eum non ampliùs celebrare jubemus, maximè si eum adhortante Episcopo ut rediret, non paruerit, in contumacia et insolentia perseverans : is tamen ut laïcus communicet.

Can. 15. Sin autem Episcopus nihil faciens adversùs eos decretam à munere cessationem, eos ut Clericos receperit, segregetur ut immodestiæ et insolentiæ magister.

CONCIL. ARELAT. *an.* 314. *can.* 21. *tom.* 1. *Conc. Labb. col.* 1429. De Pres-

I. Quid facto opus illis qui testes sunt ordinationis ?

R. Quod postulat à Deo Episcopus pro ordinatis, id et Populus adstans junctis cum Pontifice mentibus enixè petere debet.

§. 13. Explicantur præcipui ritus consecrationis seu Ordinationis Electi in Episcopum.

I. Cur electus in Episcopum à tribus Episcopis ordinatur ?

R. Is ritus ex Apostolica traditione descendit ; hunc Ecclesia servavit et sanxit semper (A), quamvis fateantur omnes

byteris, aut Diaconibus : qui solent dimittere loca sua in quibus ordinati sunt, et ad alia loca se transferunt, placuit ut eis locis ministrent, quibus præfixi sunt. Quòd si relictis locis suis ad alium se locum transferre voluerint deponantur.

CONCIL. NICÆN. *an.* 325. *can.* 16. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 49. Si quis verò sine respectu Dei agentes, et timorem Dei ante oculos non habentes, neque Ecclesiastica statuta custodientes, recesserint ab Ecclesia sua, sive Presbyter, sive Diaconus, vel in quocunque Ecclesiastico ordine positi fuerint, non debent suscipi in alia Ecclesia ; sed cum omni necessitate cogantur ut redeant ad Ecclesiam suam. Quòd si permanserint, excommunicare eos oportet.

S. LEO MAGN. *Epist.* 6. *aliàs* 86. *ad Aquileiens. Ep. cap.* 5. Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinæ, quâ olim à sanctis Patribus et à nobis sæpè decretum est, ut nec in Presbyteratûs gradu nec in Diaconatûs ordine, nec in subsequenti officio Clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revoces, admonemus : ut unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est, perseveret : ita ut si quis sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem et Ecclesiam suam redire neglexerit ; et ab honoris privilegio, et à communionis vinculo habeatur extraneus.

Epist. 12. *aliàs.* 84. *ad Anastas. Thessal. Episc. cap.* 9. Alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet : nisi fortè ex placito charitatis id inter dantem accipientemque convenerit. Nam gravis injuriæ reus, qui de fratris Ecclesia id quod est utilius aut pretiosius, audet vel allicere, vel tenere. Itaque si intra provinciam res agitur, transfugam Clericum ad suam Ecclesiam Metropolitanus redire compellet : si autem longiùs recessit, tui præcepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 23. *cap.* 16. *De reform.* (*clericus*) si locum inconsulto Episcopo deseruerit ; ei sacrorum exercitium interdicatur. Nullus prætereà Clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda et Sacramenta administranda admittatur.

Idem statuunt innumera Concilia quorum effata collegit Doctissimus DD. ANDREAS DE FLEURY FOROJULIENSIS *olim* Episcopus, *nunc* Majestatis suæ Christianissimæ dignissimus Institutor *in Mandato ad Clericos diœcesanos dato* 15. *Martii anni* 1705. *quod veluti sacræ antiquitatis ea de re promptuarium potes consulere.*

(A) 1. TIM. IV. 14. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositionem manuum Presbyterii.

CONCIL. ARELAT. *an.* 314. *can.* 20. *tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 1429. De his qui usurpant sibi quòd soli debeant Episcopos ordinare, placuit ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis. Si tamen non potuerit septem, infra tres non audeat ordinare.

CONCIL. CARTHAG. II. *an.* 397. *can.* 12. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1162. Placet omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet provinciæ, tam facilè nemo præsumat, licèt cum multis Episcopis, in quocunque loco sine ejus (ut dictum est) præcepto Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocunque loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.

validam esse consecrationem ab uno factam.

Episcopus à duobus vel tribus Episcopis ordinetur : verba sunt primi Canonis Apostolici.

Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in provincia ordinari : si autem hoc difficile fuerit , aut propter instantem necessitatem , aut propter itineris longitudinem , tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus , et absentibus quoque pari modo decernentibus , et per scripta consentientibus , tunc ordinatio celebretur. Sic sanxit Nicæna prima Synodus œcumenica canone quarto.

His Concilii verbis videtur innui hanc esse Ecclesiæ mentem ut si fieri posset , omnes omninò totius orbis Pontifices convenirent ad ordinationem unius Episcopi ; ut sic pateret evidentiùs unitas Episcopatûs ; et consensus totius orbis accederet in unius Episcopi consecrationem ; cujus ordinationi si vel unus Episcopus contradiceret , audiendæ essent rationes intercessionis antequam ulteriùs procederetur.

Cùm autem nec expediat, nec fierit possit omnes omninò totius orbis Episcopos ad unius Pontificis ordinationem simul convenire ; saltem cujusque Provinciæ Pontifices totius orbis Episcoporum collegium exhibent. Hinc ait Nicæna Synodus , idque ex Apostolicâ traditione , conveniens esse quemlibet Episcopum ordinari maximè ab omnibus Provinciæ Episcopis. Sed quoniam et difficile est omnes unius

CONCIL. HIPPON. *seu* CARTHAG. III. *an.* 397. *can.* 59. *ibid. col.* 1181. Ut Episcopus minus quàm à tribus Episcopis non ordinetur.

EUSEB. *Hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 43. *Ex* CORNEL. PP. *ad Fabium Antioch. Patriarch. Epist.* Et is qui se Doctorem et Ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem ferebat , cùm Episcopatum sibi à Deo minimè concessum rapere ac vindicare conaretur , duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit : ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret , atque illinc accitos tres Episcopos , homines planè rudes ac simplices , fraudulentâ quadam molitione deciperet ; constantissimè affirmans ipsos quamprimùm Romam proficisci oportere, ut omnis undecunque orta discordia, ipsorum unà cum aliis Episcopis interventu atque arbitrio sedaretur. Qui cùm advenissent , homines , ut jam diximus , simplicioris ingenii , nec in his perditorum hominum artibus ac fallaciis satis triti : eos ille à quibusdam sui similibus quos ad id comparaverat , inclusos horâ decimâ , temulentos et crapulâ oppressos , adumbratâ quadam et inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim coegit , eumque nullo sibi jure competentem per fraudem atque insidias vindicat.

S. GREG. MAGN. *Epist.* 64. *aliàs* 31. *ad August. Anglor. Episc. Octava interrogatio Augustini.* Veto si longinquitas itineris magna interjacet , ut Episcopi facilè non possint convenire , an debet sine aliorum Episcoporumpræsentia Episcopus ordinari.

Responsio Beati Gregorii Papæ. Et quidem in Anglorum Ecclesia , in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris , ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis potes. Nam quando de Galliis Episcopi venient , illi in ordinationem Episcopi testes tibi assistent. Sed Fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Episcopos ordinare , ut ipsi sibi Episcopi longo intervallo minimè disjungantur : quatenùs nulla sit necessitas ut in ordinatione alicujus Episcopi convenire non possint. Pastorum quoque aliquorum præsentia valdè est utilis , ut facillimè debeant convenire. Cùm igitur , Deo auctore , ita fuerint Episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati , per omnia Episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor Episcopis fieri non debet.

Provinciæ Episcopos ad ordinationem convenire, vult saltem ex iis tres convenire, cæteris scripto consentientibus.

I. Cur senior assistentium Episcoporum versus ad Consecratorem ait : *Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatûs sublevetis.* (*Pontif. Rom. pag.* 59.)

R. 1. Ut serventur Canones, quibus cautum est ne quis Episcopus ordinetur nisi ad Ecclesiæ vacantis regimen.

2. Deindè ut intelligatur electum non ultrò appetere onus Episcopale Angelicis humeris formidandum, sed ad id postulari et ritè vocatum et electum fuisse.

I. Cur jubet consecrator exhiberi et legi mandatum Apostolicum de consecratione facienda ?

R. Quia ex recepto in Occidente Ecclesiæ more, nemo consecrari potest in Episcopum nisi electione priùs à summo Pontifice confirmatà et obtentis ab eo litteris, quæ Bullæ dicuntur.

I. Cur electus in Episcopum ante consecrationem legit *formam juramenti* in libro Pontificali descriptam ?

R. Quia id summi Pontifices sanxerunt, ut servetur ab omnibus Episcopis communio cum sancta Sede Apostolica, ipsique ab omnibus exhibeatur, ut par est, debita reverentia et subjectio juxta sacrorum Canonum placita.

I. Cur consecrator recepto electi juramento, ipsum solemniter interrogat de fide et minoribus cæterisque quæ habentur in formula examinis præscriptâ in Pontificali Romano ?

R. Quia ex sacrorum Canonum sanctione (B) nemo debet

(B) Concil. Carthag. IV. *ann.* 398. *can.* 1. Qui Episcopus ordinandus est anteà examinetur, si naturâ sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vitâ castus, si sobrius, si semper suis negotiis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus : et ante omnia, si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum esse confirmans, totamque Trinitatis Deitatem coessentialem, et consubstantialem, et coæternalem, et coomnipotentem prædicans : si singularem quamque in Trinitate personam plenum Deum : si Incarnationem divinam non in Patre neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantùm credat, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris Filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens, et animam humanam rationalem, simul in eo ambæ naturæ, id est, Deus et homo, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Dominus creator omnium quæ sunt, et auctor, et dominus, et rector, cum Patre et Spiritu sancto, omnium creaturarum : qui passus sit verâ carnis passione, mortuus verâ corporis sui morte : resurrexit verâ carnis suæ resurrectione, et verâ animæ resumptione, in qua veniet judicare vivos et mortuos. Quærendum etiam ab eo, si novi et veteris Testamenti, id est, legis et Prophetarum, et Apostolorum unum eumdemque credat auctorem et Deum ; si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus. Quærendum etiam ab eo si credat hujus quam gestamus, et non alterius, carnis resurrectionem ; si credat judicium futurum, et recepturos singulos pro his quæ in carne gesserunt, vel pœnas, vel gloriam : si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem

Episcopus ordinari quin rectam habeat fidem, omniaque et singula servare et tenere et agere spondeat quæ habentur in hoc examine.

I. Cur ait consecrator Electo, antequam incipiat ordinationis ritum, *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, et confirmare?* (*Pontific. Rom. p.* 65.)

R. Ut exhibitis sibi solemniter Episcopatûs jam jàm suscipiendi officiis, ea sanctiùs et diligentiùs obeat quoad vixerit. Idem fit in ordinatione Presbyterorum, Diaconorum, cæterorumque omnium Ecclesiæ ministrorum, uti diximus §. superiore.

I. Cur recitantur ante ordinationem Litaniæ Sanctorum?

R. Id jam dixi suprà (§. *præcedenti.*), Nimirùm ut accedente triumphantis Ecclesiæ intercessione ad supplicationes Ecclesiæ militantis, faciliùs impetretur à Deo benedictionis cœlestis cumulus Episcopo mox consecrando. Nihil potest Ecclesia postulare quod majoris momenti sit. Quantum vix dici potest quot bona fieri possint in Ecclesia per sanctum Episcopum; quot mala consequantur ex Episcoporum vel negligentia, ne dicam pravitate.

I. Cur consecrator adjuvantibus Episcopis assistentibus, imponit super cervicem et humeros Electi librum Evangeliorum? (C)

non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in Baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur: si extra Ecclesiam Catholicam nullus salvetur. Cùm in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè instructus, tunc cum consensu Clericorum et laïcorum, et conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximèque Metropolitani vel auctoritate vel præsentiâ ordinetur Episcopus.

(C) PONTIF. ECCLES. GRÆC. ISAAC. HABERT, *ad part.* 7. *Liturg. Ordinum observat.* 1. *de impositione libri Evang.* Mirari sæpè contingit quod Albinus Flaccus Alcuinus aliàs, et Amalarius Fortunatus lib. de Ecclesiast. offic. II. scripsêre. « Dicit libellus, (*inquit*,) secundùm cujus ordinem » celebratur Ordinatio apud quosdam: ut duo Episcopi teneant Evange» lium super caput ejus: quod neque vetus auctoritas intimat, neque » Apostolica traditio, neque canonica auctoritas. » Alcuinus verò, *neque in Romana traditione est.* Imò sanè vetustissimum esse tum apud Ecclesias Occiduas tum apud Orientales ritum, nullatenùs ambigimus.... Ac primùm ego vix quidem in hac causa uterer testimonio Constitutionum B. Clementis, pace dixerim eruditiorum; quod excerpi solet ex lib. octav. ubi hæc habentur., « Unus ex primis Episcopis unà cum duobus » aliis prope altare stans, reliquis Episcopis et Presbyteris tacitò pre» cantibus: Diaconis autem divina Evangelia supra Ordinati caput apertè » tenentibus, dicat ad Deum, *Domine Deus*, etc. » Hoc enim contra normam ac morem Ecclesiæ, ut Episcopis precantibus, Diaconi scilicet Evangelia cervicibus Episcopi consecrandi interim applicent. Neque juvat excusatio nonnullorum, ut Diaconi Episcopos hac oneris parte allevare credantur: neque enim hic Episcopus consecrans, neque alii Pontifices, sed Diaconi soli codicem Evangelii contrectare et imponere memorantur, quod est præposterùm; quò fit, ut permultas propter alias causas, hic liber octavus Constitutionum, meritò si quis alius, judicio utriusque partis Ecclesiæ Apocryphis accenseatur.

Multò quidem rectiùs S. Dionysii de Ecclesiastica Hierarchia liber, cujus ætatis ignoro, sed ad scopum nostrum satis antiquus. *Pontifex ad*

R. Ut Electus intelligat imponi sibi per Ordinationem suave jugum Evangelii libenter et ultrò ferendum ab Episcopo quoad vixerit.

I. Quid hoc rei est ferre jugum Evangelii ?

R. Hoc est quod Christus ait (*Matth.* XI. 29. 30.), *Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Porrò jugum Christi, jugum Evangelii ferre, nihil aliud est quàm præcepta Evangelica mente et corde retinere, et ad eorum normam mores, vitam, verba, facta sua omnia componere.

I. Cur Consecrator et assistentes Episcopi manus imponunt super caput Electi ?

R. In hac manuum impositione et oratione huic conjuncta positam esse formam, ut aiunt, Episcopalis Ordinationis, ex Scriptura sacra et certissima traditione constat. (D)

Hierarchicam *ordinationem adductus, pedes ambos inflectens ad altare, supra caput accipit à Deo tradita oracula et manum Pontificiam.* Utrumque scilicet conjunxit et librum Evangelii et Pontificis consecrantis manum. Sic et Pachymeræ eumdem in locum Paraphrasis, *Supra caput accipit divina et sacra Evangelia unà cum Ordinantis manu.*

Verùm hæc satis superque ex incerti ævi Auctoribus delibata. Veniendum est omnibus tandem ad auctoritatem B. Chrysostom. Homil. quadam de laude Evangelii : « Dum ordinantur Sacerdotes Evangelium capiti » imponitur, quò discat Ordinatus veram se accipere Evangelii tiaram : » discat etiam, tametsi omnium sit caput, sed tamen esse sub legibus, » et cùm omnibus dominetur, legis imperio subjici : cumque omnibus » legem ponat, à lege gubernari. Quamobrem unus ex antiquis nobilis, » cui nomen Ignatio, Sacerdotio simul ac Martyrio insignis, scribens » alicui Sacerdoti dixit : *nihil absque voluntate tua geratur, neque tu etiam* » *præter Dei voluntatem quidquam facias.* Quòd igitur Evangelium accipiat » Pontifex, significat eum esse sub potestate constitutum. »

Veram tamen aliam causam attexit B. Dionysius in Theoria, nimirùm Evangelii intelligentiam, meditationem et promulgationem... Undè haud immeritò, Ecclesiæ Romanæ Oratio simul cum Evangeliorum impositione hæc verba quæ formæ locum tenent, ore consecrantium Episcoporum pronuntiat : *Accipe Spiritum sanctum :* et posteà dum Evangelium ipsum in manus ei traditur, *accipe Evangelium, vade, prædica populo tibi commisso :* adeò ut Evangelii supra cervices impositio materiæ respondeat : secùs profectò quàm apud Græcos, quibus nempè Episcopus, ante hanc Evangeliorum impositionem jam consecratus est.

(D) 1. TIM. IV. 14. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.

2. TIM. I. 6. Propter quam causam admonco te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

S. JOAN. CHRYSOST. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam ;* doctrinam hìc intelligi voluit *; cum impositione manuum Presbyterii :* non de Presbyteris hoc in loco, sed de Episcopis loquitur. Neque enim profectò Presbyteri ipsum ordinarant.

CONCIL. CARTHAG. IV. *an. Christi* 398. *can.* 2. Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput et cervicem ejus, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.

S. AUG. *lib.* 5. *de Baptismo, contra Donat. cap.* 20. *n.* 28. Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Evangelio (*Joan.* IX. 31.), *Deus peccatorem non audiet*, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur : quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur ?

PONTIF. ECCLES. GRÆC. *part.* 3. *de Ordin. Metropol.* Stans ante Patriar-

cham legit propriam fidei confessionem coram omnibus. Post lectionem consurgens magnus Chartophylax accedit ad locum in quo stat Electus : tenetque dextrà caput ipsius et ipsum inclinans apertum exclamat, Jubete. Et omnibus exsurgentibus consurgit et ipse Patriarcha, et habens manum super ipsum porrectam exclamat, Gratia sanctissimi S piritûs per nostram mediocritatem promovet te Metropolitam civitatis talis à Deo sospitatæ. Tum Psaltæ canunt ter, Ad multos annos Domine. Magnus verò Chartophylax tenens caput Ordinati, ascendit per Aquilam ad Patriarcham : Electoque innuit ut osculetur genu dextrum, manumque dextram, ac dextram genam Patriarchæ. Deindè abit ad Pontifices eosque in os osculatur. Ac rursùs Cartophylax ipsum ad consuetum locum sistit, et iterùm caput ipsius inclinans exclamat, Jubete. Exsurgens rursùm Patriarcha, humiliterque extensam habens manum dicit, Gratia sanctissimi Spiritûs sit tecum : iterumque cantores ter dicunt, Ad multos annos Domine.

In Ordin. Euchолog. ordo qui observari solet in ordinatione Episcopi. Absoluto trisagio hymno in sacro, ascendit Pontifex ad gradum, qui est ante sacrum altare, et adducitur ad ipsum à præsentibus tribus Pontificibus qui consecrandus est ex parte dextera : ibi fronte incumbens sacræ aræ utrumque genu flectit. Chartophylax verò, hoc est, Præfectus scriniorum, ex parte sinistra Pontifici consecranti exhibet chartam, in qua.... hæc scripta sunt.... Suffragio et approbatione Deo amabilissimorum Episcoporum et reverendorum Presbyterorum. Divina gratia quæ semper infirma sanat, et imperfecta perficit, promovet N. Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum à Deo custodilæ civitatis N. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritûs. Hac igitur porrectâ chartâ Pontifici, et Charlophylace vel Archidiacono dicente, Attendamus : Pontifex unà cum pallio impositâ manu, recitat quæ sunt scripta, respondentibus ter. Kyrie eleïson ; Pontifex aperit librum Evangeliorum et imponit capiti ac cervici illius qui ordinatur, simul unà tangentibus aliis quoque Pontificibus, deindè factâ trinâ cruce in capite illius, impositâque manu sic precatur, etc.

Ad rit. ordinat. Euchолog. Observ. 2. Quod igitur ad ordinationum materiam spectat, in Apostolorum Litteris ea in manuum impositione constituitur, in Actis et Epistolis Apostolicis, ut anteà ostendimus : in quibus aut nullus de ordinatione, aut disertissimus de manuum impositione sermo est. Sic Patres, sic Concilia, sic Ecclesiæ Doctores loquuntur. Multos anteà adduximus : addendus S. Chrysostom. Hom. 14. in Acta : *Hoc enim est ordinatio. Manus viro superponitur, totum autem Deus operatur : Et illius est manus, quæ ejus qui ordinatur caput contingit, si quemadmodum oportet, ordinatur.* Theodoretus in Philothei Macedonio : *Non potest bis fieri manuum impositio.*

Unus igitur aut alter, Victoria et Soto legem scilicet loquendi sentiendique omnibus novam imponent : si res ita habeat, actum est de Scripturis, de Synodis, de sanctissimo inter Theologiam positivam et scholasticam fœdere : Quarum prima est scientia Principiorum : altera Conclusionum, ut ait S. Thomas, utraque simul sacram Doctrinam in genere sapientiæ constituit. Hortatur itaque eximios scholæ Doctores, *fortes illos Ecclesiæ qui ambiunt lectulum Salomonis, omnes gladios et scuta tenentes et ad bella doctissimos*, ut levem illam et ludicram sententiam *Impositioni manuum* insidiantem, tanquam saltatriculam ex castris Theologicis explodant : Theologorum antiquiorum Thomæ, Scoti, Bonaventuræ, Durandi et aliorum unanimem sensum auctoritati suæ restituant : nec à recentiorum adstipulatione descendos sese formident. Intrinsecam namque et essentialem Ordinibus sacramentalibus manuum impositionem asseruêre, inter eos qui ævo nostro scripserunt, doctissimi, Bellarminus de sacramento Ord. cap. 9. Vasquesius tract. de Ordine, Arcudius lib. 6. de sacramento Ordinis, Philippus Gamachæus Sorbonæ lucerna ardens de Ordin. cap. III. Hallierius in opere de Ordinationibus, Martinus Becanus 4. parte de sacram. de Ordin. quæst. 4. conclusione 3. » Impositio manuum videtur esse materia essentialis hujus sacramenti » et à Christo instituta : porrectio verò instrumentorum videtur esse acci» dentalis et ab Ecclesia introducta. Concilium enim Florentinum in

I. Cur inungitur sacro chrismate caput Episcopi post supradictam manuum impositionem ?

R. Ut servetur ritus sacer quo jam ex veteri lege ungebantur Sacerdotes (E), ad significandam et postulandam cœlestis benedictionis plenitudinem, ut jam diximus (§. *superiori*) in Ordinatione Presbyterorum. Unde Pontifex inungens caput ait, *Ungatur et consecretur caput tuum cœlesti benedictione, Ordine Pontificali. Ibid. pag.* 71.) Moxque versus ad Deum fundit orationem planè divinam et ex solis Scripturæ verbis constantem, in qua mirè elucet ratio hujus unctionis. Totam hanc orationem hîc subjicere non abs re fuerit.

(*Pontif. Rom. Ibid.*) « Hoc, Domine, copiosè in caput ejus » influat; hoc in oris subjecta decurrat; hoc in totius cor- » poris extrema descendat; ut tui Spiritûs virtus et interiora » ejus repleat, et exteriora circumtegat. Abundet in eo » constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Sint » speciosi munere tuo pedes ejus ad Evangelizandum pacem, » ad Evangelizandum bona tua. Da ei, Domine, ministe- » rium reconciliationis in verbo et in factis, in virtute sig- » norum et prodigiorum. Sit sermo ejus et prædicatio, non » in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in os- » tensione spiritûs et virtutis. (1. *Cor.* II. 4.) Da ei, Domine, » claves regni cœlorum, ut utatur, non glorietur potestate, » quam tribuis in ædificationem, non in destructionem. » Quodcunque ligaverit super terram, sit ligatum et in cœ- » lis; et quodcunque solverit super terram, sit solutum et » in cœlis. (2. *Cor.* III. 10. *Matth.* XVI. 19. *et* XVIII. 18.) Quo- » rum retinuerit peccata, retenta sint; et quorum remise- » rit, tu remittas. (*Joan.* XX. 23.) Qui maledixerit ei, sit » ille maledictus (*Gen.* XXVII. 29.), et qui benedixerit ei, » benedictionibus repleatur. (*Matth.* XXIV. 45.) Sit fidelis » servus et prudens, quem constituas tu, Domine, super

» instructione Armenorum solùm meminit materiæ accidentalis quæ ab » Ecclesia fuit instituta; non autem substantialis, quam Christus præ- » scripsit: Quia hæc ex Scripturis et antiquis Patribus erat satis cognita, » non autem illa. Addo si hoc argumentum valeret, posset optimè ita » retorqueri: antiqua Concilia non assignant aliam materiam nisi ma- » nuum impositionem. » Contra quæ postrema Becani verba, quia proferri possent Canones Ordinationum Concilii 4. Carthaginensis, in quibus porrectionis instrumentorum fit aliqua mentio: monendus est Lector, primò fieri mentionem solius manuum impositionis in trium ordinum Hierarchicorum, Episcopi, Presbyteri et Diaconi consecratione: porrectionis verò calicis et aliorum instrumentorum in aliorum ordinatione. Secundò, Canones illos primos non esse Concilii Carthaginensis nec temporis illius: sed ex libris Ritualibus posterioris seculi illùc transpositos.

(E) Exod. xxviii. 41. Et cunctorum (*filiorum Aaron*) consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut Sacerdotio fungantur mihi.

xxix. 4. Et Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii.... 7. Oleum unctionis fundes super caput ejus: atque hoc ritu consecrabitur.

Levit. viii. 10. Tulit (Moyses), et unctionis oleum.... 12. Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, et consecravit.

Eccli. xlv. 18. Complevit Moyses manus ejus (Aaronis), et unxit illum oleo sancto.

» familiam tuam (*Luc.* XII. 42.); ut det illis cibum in tem-
» pore opportuno, et exhibeat omnem hominem perfectum.
» (*Coloss.* I. 28. *Rom.* XII. 11.) Sit sollicitudine impiger; sit
» spiritu fervens; oderit superbiam; humilitatem ac veri-
» tatem diligat, neque eam unquam deserat, aut laudibus
» aut timore superatus (*Isaï.* V. 20.); non ponat lucem
» tenebras, nec tenebras lucem; non dicat malum bonum
» nec bonum malum. Sit sapientibus et insipientibus debitor
» (*Rom.* I. 14.); ut fructum de profectu omnium consequa-
» tur. Tribuas ei, Domine, Cathedram Episcopalem ad re-
» gendum Ecclesiam tuam et plebem sibi commissam. Sis
» ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas. Multiplica
» super eum benedictionem et gratiam tuam; ut ad exoran-
» dam semper misericordiam tuam tuo munere idoneus, et
» tuâ gratiâ possit esse devotus. Per Dominum, etc. »

Habes in hac Oratione omnia Episcoporum officia divinitùs tradita.

I. Cur unguntur etiam sacro chrismate manus et digiti novi Episcopi?

R. Jam diximus (§. *superiori*) quæ sit hujus ritûs ratio, ubi de Presbyterorum egimus unctione. Patet autem hæc uberiùs in his verbis quæ simul à Pontifice proferuntur.

« Deus, *inquit*, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui
» te ad Pontificatûs sublimari voluit dignitatem, iste te
» chrismate, et mysticæ delibutionis liquore perfundat, et
» spiritualis benedictionis ubertate fœcundet. Quidquid be-
» nedixeris, benedicatur; et quidquid sanctificaveris, sanc-
» tificetur; et consecratæ manus istius, vel pollicis imposi-
» tio cunctis proficiat ad salutem. Amen. (*Pontif. Rom. ubi suprà.*)

Presbyteris unctio fit ex oleo Catechumenorum, Episcopis autem ex sacro chrismate; ut intelligatur Spiritum sanctum pleniùs et abundantiùs infundi in Episcopos quam in Presbyteros, ex vi Ordinationis. Nam sacrum chrisma specialiùs significat consecrationem et Spiritûs sancti unctionem quàm oleum Catechumenorum.

I. Cur tradit Pontifex Episcopo consecrato baculum Pastoralem?

R. Ut hoc ritu significet tradi ipsi Pastoralem auctoritatem et jurisdictionem, cujus hoc baculum signum est. (F)

I. Cur tradit ei Annulum?

R. Ut significet inter Ecclesiam et ejus Episcopum iniri fœdus quod sit instar vinculi conjugalis, cujus Annulus indicium est (G)

(F) PONTIF. ROM. *de Consecrat. Elect. in Episc.* Accipe baculum pastoralis officii; ut sis in corrigendis vitiis piè sævicns, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.

(G) PONTIF. ROM. *ibid.* Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenùs sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemeratâ fide ornatus, illibatè custodias.

I. Cur tradit ipsi librum Evangeliorum ?

R. Ut significet ei unum ex præcipuis Episcopi officiis esse Evangelii prædicationem. *Accipe*, inquit, *Evangelium ; vade et prædica populo tibi commisso ; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.* (*Pontif. Rom. Ibid.*) (H)

I. Cur tenetur liber Evangelii suspensus supra caput et humeros novi Episcopi, donec liber ille tradatur ipsi in manus.

R. Ut intelligat Episcopus ab eo solùm posse cum fructu Evangelium prædicari, qui ipse jugum Evangelicum diù tulerit, fueritque in præceptis Evangelicis observandis diù multumque exercitatus. (I)

I. Cur novus Episcopus Missam simul cum Episcopo consecratore celebrat ?

R. Ritum hunc semper observavit Ecclesia tam Orientalis

(H) MATTH. XXVIII. 18. Et accedens Jesus locutus est eis (discipulis suis post resurrectionem suam), dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. 19. Euntes ergo docete omnes gentes.... 20. Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.

ACT. VI. 2. Non est æquum nos (*Apostolos*) derelinquere verbum Dei.... 4. Nos verò orationi, et ministerio verbi instantes erimus.

1. COR. I. 17. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. IX. 16. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria : necessitas enim mihi incumbit : væ enim mihi est, si non evangelizavero. 17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo : si autem invitus, dispensatio mihi credita est.

CONCIL. CARTHAG. IV. *an.* 398. *can.* 20. Ut Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni et orationi et verbi Dei prædicationi tantummodò vacet.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 5. *de reformat. cap.* 2. Quia verò Christianæ reipublicæ non minùs necessaria est prædicatio Evangelii quàm lectio, et hoc est præcipuum Episcoporum munus ; statuit et decrevit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium.

Sess. 24. *de reformat. cap.* 4. Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens sancta Synodus quò frequentiùs possit ad fidelium salutem exerceri.... mandat ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitimè impediti, per eos quos ad prædicationis munus assument,.... saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festis, tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, et adventûs Domini quotidiè, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas, divinamque legem annuntient ; et aliàs, quotiescunque id oportunè fieri posse judicaverint.

(I) S. GREG. MAGN. *Reg. Pastor. part.* 3. *cap.* 40. *aliàs* 64. Prædicator quisque plus actibus quàm vocibus insonet, et benè vivendo vestigia sequacibus imprimat potiùs, quàm loquendo quò gradiantur ostendat. Quia et gallus iste, quem pro exprimenda boni prædicatoris specie in locutione sua Dominus assumit, cùm jam edere cantus parat, priùs alas excutit, et semetipsum feriens vigilantiorem reddit : quia nimirum necesse est, ut hi qui verba sancta prædicationis movent, priùs studio bonæ actionis evigilent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce : priùs se per sublimia facta excutiant, et tunc ad benè vivendum alios sollicitos reddant : priùs cogitationum alis semetipsos feriant ; quidquid in se inutiliter torpet, sollicità investigatione deprehendant, districtà animadversione corrigant ; et tunc demùm aliorum vitam loquendo componant ; priùs punire propria fletibus curent, et tunc quæ aliorum punienda sunt denuntient ; et antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt operibus clament.

quàm Occidentalis, ad significandam unitatem Episcopatûs et sacrificii. In Ecclesia Occidentali Episcopus consecrans Communionem tradit Episcopo consecrato ; in Orientali Episcopus consecratus corpus et sanguinem Christi porrigit Episcopo consecranti ; et cùm ea à consecrante accepit, deindè cæteris Episcopis distribuit. (K) Prior verò consecratus sacro corpori communicat, sed consecrans prior sacrum sanguinem ter haurit à calice.

I. Cur peracto Missæ sacrificio imponitur Mitra capiti novi Episcopi, et dantur ei in manus Chirothecæ ?

R. Quia solent, ut diximus, dari solemniter unicuique Ordinato insignia illius ordinis ad quem promotus est : Mitra autem et Chirothecæ sunt indumenta Pontificalia.

« Mitra imponitur quasi galea munitionis et salutis, ut » Pontifex, velut armato capite cornibus utriusque Testa- » menti, terribilis appareat adversariis veritatis, et Deo lar- » giente, impugnator eorum robustus existat. (*Pontif. Rom.* » *pag.* 81.)

» Chirothecæ sacræ, quibus manus Antistitis vestiuntur, » significare videntur munditiam novi hominis quâ Pontifex » indutus esse debet. Ut oblatâ per manus suas hac puritate » circumdatas hostiâ salutari, gratiæ Dei benedictionem » impetrare mereatur. » (*Pontif. Rom. pag.* 82.)

Hæc ex Pontificali Romano sumpta sunt.

I. Cur novus Pontifex solemniter collocatur in cathedra Pontificali ?

R. Ut ponatur solemniter in illius possessionem.

I. Cur canitur posteà hymnus *Te Deum ?*

R. Ut agantur gratiæ Deo de consecratione novi Pontificis.

I. Cur novus Pontifex ducitur ab assistentibus Episcopis per Ecclesiam, dum canitur hymnus *Te Deum ?*

R. Ut videatur novus Pontifex à populo et salutetur ; et populus vicissim recipiat ejus benedictionem.

I. Cur finito hymno, novus Episcopus dat solemniter benedictionem ?

(K) Pontif. Eccles. Græc. *Liturg. Ordin. part.* 10. *Mysteriorum communio.* Deindè Pontifex qui ordinatus est, accedens, vel qui primus reperiatur aliorum, aliter si non sit ordinatio, accipit particulam sancti Panis, et dat Patriarchæ. Hic autem ipsam dextrâ manu suscipiens et tribus digitis eam contingens in palma, duobus aliis digitis accipit aliam partem, ipsique tradit. Hic autem inferiùs quidem constituens sinistram, superponens verò ipsi dextram, excipit eam particulam et constringit digitos, ne quid excidat, et osculatur manum et genua Patriarchæ dicentis : Christus in medio nostri. Pontifex respondet, Et est et erit. Tum utrique inclinati ante sanctam mensam secretò precantur dicentes : Cœnæ tuæ, etc. Tum communicant singuli quod habent in manibus, cum timore et omni cautione, habentes manus supra sanctam mensam, dein ipsas extergunt cum corporali. Pontifex autem qui primùm sumpsit, Calicem priùs porrigit Patriarchæ tenenti operculum supra barbam et pectus. Acceptoitaque utraque manu Calice cum operculo, Patriarcha sumit ter ex ipso, et posteà labia tum sua tum sancti Calicis operculo quod in manibus habet extergens, et labium Calicis exteriùs osculatus, accipit ipse Calicem, dat operculum Pontifici, atque ita sumit et ipse, eadem faciens.

R. Hunc ei honorem deferunt cæteri Episcopi, ut sic aliquatenùs incipiat obire munus Episcopale.

I. Cur peracto consecrationis ritu, novus Pontifex cum mitra et baculo ter genuflexus et accedens versùs Consecratorem, canit, *Ad multos annos ?*

R. His verbis gratias agit Pontifici consecratori, ipsique multos annos precatur ad Ecclesiæ utilitatem.

I. Quid agere debent ii qui præsentes adsunt, dum fit Episcopi consecratio ?

R. Enixè orare debent Deum pro Pontifice consecrato. Et maximè decet unumquemque habere præ oculis librum Pontificalem, ut faciliùs possit Episcopum consecrantem sequi, postulare quod postulat, et rituum omnium rationem intelligere.

§. 14. Quid debeat populus Episcopis, Presbyteris, cæterisque Ecclesiæ Ministris.

I. Quid debet populus Episcopis ?

R. Honorem, reverentiam, amorem, subjectionem, obedientiam, orationes pro illis ad Deum. (A)

(A) MATTH. XXIII. 3. Omnia quæcunque dixerint vobis, servate et facite.

LUC. X. 16. Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.

EPHES. VI. 18... In ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis ; 19. Et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii : 20. pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.

COLOSS. IV. 3. *Vide infrà hocce* §. *litt.* (B)

1. THESS. V. 12. Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos. 13. Ut habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum : pacem habete cum eis.

2. THESS. III. 1. De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos : 2. et ut liberemur ab importunis, et malis hominibus.

HEBR. XIII. 17. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes : hoc enim non expedit vobis. 18. Orate pro nobis : confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus benè volentes conversari.

S. IGNAT. *Vide suprà hujusce Capitis* §. 1. *litt.* (H)

Epist. ad Smyrnæos pag. 7. Honorans Episcopum, à Deo honoratus est : qui occultans ab Episcopo aliquid operatur, diabolo præstat obsequium.

Ad Ephes. pag. 29. Mementote mei, ut vestri Jesus-Christus. Orate pro Ecclesia quæ in Syria.

Ad Magnes. pag. 37. Mementote mei in orationibus vestris, ut Deo fruar ; et ejus quæ in Syria Ecclesiæ, undè non dignus sum vocari. Superindigeo enim unità vestrà in Deo oratione et charitate : in dignificari eam quæ in Syria Ecclesiam per Ecclesiam vestram irrorari.

Ad Philadelph. pag. 41. Fratres mei, valdè effusus sum diligens vos, et superexsultans corroboro vos : non ego autem, sed Jesus-Christus in quo vinctus timeo magis, ut adhuc imperfectus. Sed oratio vestra me perficiet, ut in qua hæreditate propitiationem habuero, potiar.

Ad Trallesios, pag. 52. Deprecantur vos vincula mea, quæ pro Jesu Christo fero, petens Deo frui. Permanete in concordia vestra, et ea quæ cum ad invicem oratione. Decet enim vos singulos præcipuè et Presbyteros, refrigerare Episcopum ; in honorem Patris Jesu Christi et Apos-

I. Quandonam maximè pia plebs orare debet pro Episcopis ?

R. 1. In die anniversaria eorum consecrationis, ut magis ac magis in dies, Deo miserante, repleantur spiritu Sacerdotali.

2. Dum instat tempus Ordinationum, ut eligant solùm et promoveant quos Deus ipse vocaverit.

3. Dum res magnas suscipiunt pro Ecclesia, ut Deus eos ad finem usque adjuvet.

4. Dum pro veritate certant, et contradictionem seu persecutionem patiuntur propter justitiam; (Quod Episcopis omnibus suo munere rectè fungentibus usuvenit:) ut det illis Deus robur et virtutem et patientiam ad superandos hostes Ecclesiæ et veritatis.

5. Dum versantur in quocunque periculo, ut eos Deus adjuvet et eripiat à malo.

6. Dum visitant Parochias, ut det illis Deus intelligentiam, prudentiam, sapientiam, solertiam, virtutem, constantiam, valetudinem, quibus opus est ut omnibus provideatur ut par est. Simul orandum ut *exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus; et fugiant qui oderunt eum à facie* Pontificis. (*Ps.* LXVII. 1.)

7. Dum sedent in Conciliis aliisve conventibus Ecclesiasticis vel politicis, ut Deo adjuvante, prospiciant, ut par est, Ecclesiæ et regni et populorum rebus, nihilque agant indignum caractere Sacerdotali.

8. Dum ægrotant, ut impetretur eorum sanitas; vel si morituri sunt, eorum salus æterna.

tolorum. Oro vos in charitate audire me; ut non in testimonium sim in vobis scribens. Sed et pro me orate ea, quæ à vobis, charitate indigente in misericordia Dei, ad dignificari me hæreditate, quâ conor potiri, ut non reprobus inveniar.

Pag. 53. Mementote in orationibus vestris ejus quæ in Syria Ecclesiæ, undè non dignus sum dici, existens extremus illorum.

Ad Roman. pag. 61. Petite pro me, ut attingam... Mementote in oratione vestra ejus quæ in Syria Ecclesiæ, quæ pro me Pastore Deo utitur.

S. IGNATIUS MARTYR *seu* AUCTOR *Epist. interpolatæ ad Magnesios.* Dignum est ergo et vos obedire Episcopo vestro, et in nullo ei contradicere. Terribile est enim tali contradicere. Non enim istum visibilem quis spernit; sed illum invisibilem in eo contemnit, qui non potest ab aliquo contemni. Hic autem non ab homine, sed à Deo habet promotionem. Dicit enim Deus Samueli de contemptoribus ejus: *Non te spreverunt, sed me.* (1. *Reg.* VIII. 7.) Nam et Moyses populo adversùs se murmuranti ait: *Non enim adversùs nos murmurastis, sed adversùs Dominum Deum.* (*Exod.* XVI. 8.)

Epist. interpolatæ ad Philadelph. Principes, subditi estote Cæsari: milites Principibus: Diaconi Presbyteris et Sacerdotibus. Presbyteri vero et Diaconi atque omnis Clerus, simul cum omni populo et militibus atque Principibus, sed et Cæsare, obediant Episcopo. Episcopus vero Christo; sicut Christus Patri: et ita unitas per omnia servatur.

Epist. interpolatæ ad Smyrnenses. Ego autem dico, Honorare quidem Deum, ut auctorem omnium et Dominum: Episcopum autem tanquam principem Sacerdotum, imaginem Dei ferentem: principatum quidem secundùm Deum; Sacerdotium verò secundùm Christum. Et post hunc honorare oportet etiam Regem.

Sic debent in omni loco et tempore et occasione, populi pro Sacerdotibus, Sacerdotes vicissim pro populis orare. *Alterius sic altera poscit opem res et conjurat amicè.* (*Horat. de Poëtica versùs fin.*) (B)

I. Cùm moritur Episcopus, quid agere debent populi huic subjecti ?

R. 1. Orare pro Pontifice mortuo.

2. Rogare Dominum assiduè ut mittat in ejus locum *Pastorem secundùm cor suum.* (*Jerem.* III. 15.) (C)

3. Non desistere ab oratione donec novus Pastor advenerit.

I. Quid faciendum moriente summo Pontifice ?

R. Idem quod moriente Episcopo, idque multò magis : cùm agatur res totius Ecclesiæ.

Prætereà orandus Deus ut electio summi Pontificis quàm primùm et sine dissensione fiat.

I. Quæ maximè peccata fugienda sunt populo christiano, quod spectat ad Episcopos ?

R. Cavendum maximè homini Christiano ne Episcopos temerè reprehendat et criminetur, ne de iis temerè judicet, ne leges eorum et mandata et sanctiones parvipendat, vel contemnat ; ne contra suum Episcopum mussitet, et sensim deindè prorumpat in odium veritatis, in calumnias, in apertam persecutionem, quod non rarò usuvenit. Peccata hujusmodi gravia sunt, et divinam provocant ultionem, quæ manifestis quandoque se prodit argumentis, ut multa ex Scripturis exempla demonstrant. (D) Sed alia major ultio

(B) Rom. x. 1. Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.

Coloss. i. 9. Ideò et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituli.

iv. 3. Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi : (propter quod etiam vinctus sum) 4. ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.

Ephes. i. 16. Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis. 17. Ut Deus, Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus : 18. Illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, 19. Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus.

Philipp. i. 3. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, 4. semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, 5. super communicatione vestra in Evangelio Christi à prima die usque nunc. 6. Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu... 9. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu : 10. Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi.

2. Timoth. i. 3. Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus in conscientia pura, quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die.

Jacob. v. 16. Orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.

(C) Matth. ix. 38. Rogate ergo Dominum missis, ut mittat operarios in messem suam.

(D) Exod. xxii. 28. Principi populi tui non maledices.

Num. xii. 8. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi ? 9. iratusque contra eos, abiit : 10. nubes quoque recessit quæ erat super Tabernaculum : et ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix.

xiv. 2. Et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israël... 4. Dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum. 5. Quo audito Moyses et Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israël. 6. At verò Josuë filius Nun, et Caleb filius Jephone, qui et ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua, 7. et ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt.... 9. Nolite rebelles esse contra Dominum.... 10. Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israël. 11. Et dixit Dominus ad Moysen : Usquequo detrahet mihi populus iste ? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis ? 12. Feriam igitur eos pestilentiâ, atque consumam : te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quàm hæc est. 13. Et ait Moyses ad Dominum : Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum, 14. et habitatores terræ hujus.... 15. quòd occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, et dicant ; 16. Non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat ; idcircò occidit eos in solitudine. 17. Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti, dicens : 18. Dominus patiens et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. 19. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. 20. Dixitque Dominus : Dimisi juxta verbum tuum. 21. Vivo ego : et implebitur glorià Domini universa terra. 22. Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, 23. non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.... 26. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : 27. Usquequò multitudo hæc pessima murmurat contra me ? Querelas filiorum Israel audivi. 28. Dic ergo eis : Vivo ego, ait Dominus : sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. 29. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis à viginti annis et suprà, et murmurastis contra me, 30. non intrabitis terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, et Josuë filium Nun. 31. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis quòd prædæ hostibus forent, introducam : ut videant terram, quæ vobis displicuit. 32. Vestra cadavera jacebunt in solitudine. 33. Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto. 34. Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram : annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, et scietis ultionem meam : 35. Quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversùm me : in solitudine hac deficiet, et morietur. 36. Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, et qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ quòd esset mala, mortui sunt atque percussi in conspectu Domini.

xvi. *Vide suprà hujusce Cap.* §. 3. *litt.* (G)

Psal. cv. 16. Et irritaverunt Moysen in castris : Aaron sanctum Domini. 17. Aperta est terra, et deglutivit Dathan : et operuit super congregationem Abiron. 18. Et exarsit in Synagoga eorum : flamma combussit peccatores.

Eccli. xlv. 21. Et dedit illi (Moysi) in præceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israel. 22. quia contra illum steterunt alieni, et propter invidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan et Abiron, et congregatio Core in iracundia. 23. Vidit Dominus Deus, et non placuit illi, et consumpti sunt in impetu iracundiæ. 24. Fecit illis monstra, et consumpsit illos in flamma ignis.

nulla est, nulla terribilior, quàm ea quam Deus in pœnam hujusmodi peccatorum exercet sæpissimè; nimirùm vocatis ad se bonis Pastoribus, eorum loco dat alios in furore suo, qui gregem Dominicum non pascant in scientia et doctrina, sed prædentur et dilacerent et dissipent. (E)

I. Quid agere debet populus Christianus, si fortè contingat datum ipsi fuisse Pastorem non secundùm cor Dei, qui disperdere potiùs et dissipare, quàm pascere et regere et ædificare videatur?

R. Cogitandum est talem Pastorem dari non potuisse nisi in ultionem vindictamque peccatorum. Itaque agenda ex animo pœnitentia, ut avertatur furor Domini, vacandum occultis gemitibus et orationi, ut placetur supremum numen. Cæterùm tunc cavendum ne temerè prodantur peccata Christorum Dei. Operienda pallio verenda Patris et Pastoris, ne fortè eàdem maledictione feriamur quæ in Cham ejusque posteros lata est. (F)

I. Quæ sunt officia populi christiani in Parochos cæterosque Rectores animarum?

R. Eadem ferè quæ in Episcopos. Quibus adde providendum esse honestæ eorum sustentationi, si aliundè non habeant. *Dignus enim est operarius cibo suo.* (*Matth.* x. 10.) Hinc introducta est obligatio decimarum solvendarum. (G)

(E) Job. xxxiv. 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

Isai. lvi. 10. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. 11. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam; omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum.

Osee. xiii. 11. Dabo tibi Regem in furore meo, et auferam in indignatione mea.

Zachar. xi. 16. Ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, et contritum non sanabit, et id quod stat non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet.

(F) Genes. ix. 24. Evigilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, 25. ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. 26. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus. 27. Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.

(G) 1. Cor. ix. 7. Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? 8. Nunquid secundùm hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? 9. Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bonus cura est Deo? 10. An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi. 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 12. Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare, non potiùs nos? Sed non usi sumus potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. 13. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant: 14. Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

1. Tim. v. 17. Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni ha-

I. Quid debent populi cæteris Sacerdotibus, qui pastorali munere non funguntur ?

R. 1. Debent illis honorem et reverentiam ut Ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum Dei. (H)

2. Cavendum ne id exigatur vel postuletur à Sacerdotibus, quod sacris Canonibus et caracteris Sacerdotalis decoro adversetur.

3. Etiamsi ipsi præ ignorantia, vel cupiditate, vel alio quovis pravo affectu offerent se ad ea exercenda vel facienda quæ minùs Sacerdotem decent, cavendum ne id ab ipsis fieri permittatur.

4. Servandus honor, adhibenda reverentia characteri Sacerdotali; etiam in iis qui vitâ et moribus adducunt semetipsos in contemptionem, et cadunt in offensionem Ecclesiæ.

5. Occultanda eorum peccata, non prodenda.

6. Orandum pro illis sive boni sint sive mali.

§. 15. De statu Religioso. Quâ mente statum hunc amplecti oporteat. Quid facto opus sit ut rectè et sanctè in eo vivatur.

I. Nunquid aliud est genus hominum quod Deo consecratum sit non secùs ac Ministri Ecclesiæ et Sacerdotes ?

R. Consecrantur Deo Christiani omnes per Baptismum. Sed specialius adhuc consecrantur duo hominum genera, nimirùm Ministri Ecclesiæ, et Religiosi.

I. Quid censes de amplectentibus religiosæ vitæ institutum ?

R. Admiror illos et veneror, utpotè qui sanctissimam et penè Angelicam vitæ rationem amplectantur. Quid enim sanctius, quid dignum magis admiratione quàm solemni voto adstringere se ad deponendum divitiarum et voluptatum et propriæ voluntatis pondus, quàm ultrò abjicere et affectum et possessionem omnium vitæ commodorum, et spoliare se suâ libertate, et subjicere se in perpetuum alteri, et Deo uni perpetuò famulari.

Illud autem fit ab omnibus Religiosis per tria vota solemnia. Abjiciuntur per votum castitatis omnes mundi voluptates; per votum paupertatis, omnes mundi divitiæ; per votum obedientiæ, propria libertas et voluntas. Primo concupiscentia carnis, altero concupiscentia oculorum, tertio superbia vitæ coërcetur. Atque ita peccatorum omnium fons obstruitur.

I. Quandonam cœpit in Ecclesia Monasticæ, seu, ut dicimus, Religiosæ vitæ institutum ?

beantur : maximè qui laborant in verbo et doctrina. 18. Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti. Et : Dignus est operarius mercede suâ.

(H) 1. Cor. IV. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.

S. Ignat. Martyr. *Epist. ad Tralles. pag.* 48. Oportet autem et Diaconos, ministros existentes mysteriorum Jesu Christi, secundùm omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum et potuum sunt ministri; sed Ecclesiæ Dei ministri. Opportunum igitur vos observare accusationes, ut ignem.

R. Hujus quantùm ad aliqua, typus exstitit in Ecclesia Hierosolymitana in Judæis ad Christum recèns conversis, statim atque Spiritus sanctus in Apostolos effusus est : inter illos enim erant omnia communia, nec erat qui quidquam suum esse diceret. (A)

Sed si strictè loquamur non nisi sub finem persecutionum Ecclesiæ, desinente seculo quarto, Antonio magno duce, cæterisque viris sanctitate conspicuis angelicum illud vitæ institutum promoventibus, congregatæ sunt in Ægypto aliisque regionibus Orientis numerosæ familiæ Monachorum. (B) S. Benedictus qui seculo quinto et sexto floruit,

(A) ACT. IV. 32.... Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una : nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

(B) S. ATHANAS. *in vita S. Anton.* Recordabatur quomodo et Apostoli omnibus spretis seculi fuissent Salvatorem (*Luc.* V. 9.), et multi, ut legitur in Actis Apostolorum (*Act.* IV. 34.), facultatibus suis venditis, pretia ad pedes eorum detulissent egentibus partienda, quæve, aut quanta spes iisdem reposita esset in cœlis. Talia secum volvens intravit Ecclesiam, et accidit ut hoc legeretur Evangelium, in quo Dominus dicit ad divitem (*Matth.* XIX. 21.), *si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua quæcunque habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo.* Quo audito, quasi divinitùs hujusmòdi ante memoriam concepisset, et veluti propter se hæc esset scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperium : statimque regressus, possessiones quas habebat, vendidit.... paucis tamen ob sororem reservatis; quæ et sexu, et ætate videbatur infirmior. Rursùs autem Ecclesiam ingressus, cùm audisset Dominum in Evangelio dicentem : *nolite cogitare de crastino* (*Matth.* VI. 34.) : reliquam quoque portionem pauperibus distribuit, neque se versari passus est domi, sed sorore fidelibus ac doctis virginibus commendatà, ut earum nutriretur exemplo, ipse jam omnibus seculi vinculis liber, asperum atque arduum arripuit institutum. Necdum autem tam crebra erant in Ægypto monasteria, neque omninò quisquam aviam solitudinem noverat, sed quicunque in Christi servitute sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè à sua villula separatus instituebatur. Erat igitur in agello vicino senex quidam vitam solitariam à prima sectatus ætate : hunc Antonius cùm vidisset æmulatus est ad bonum.... Sic Antonius annis viginti solitariè transactis, atque ab hominum segregatus conspectibus perduravit. Cùm ergo multorum et propositum imitari cupientium, et notorum multitudo ad Deum concurreret, necnon et patientium infinita se caterva conglomeraret, tandem penè jam per vim foribus evulsis quasi ex aliquo cœlesti aditu consecratus apparuit.... Nec mora plura audientium corda ad humanarum rerum contemptum hæc ejus suasit oratio, et habitandæ eremi istud ejus exordium fuit.... Quadam autem die cùm sanctus Antonius congregatis fratribus rogaretur, ut eis institutoria largiretur præcepta, cum Prophetica fiducia exaltans vocem, aiebat : ad omnes quidem mandatorum dicitur disciplinam Scripturas posse sufficere.... Erant igitur in monte Monasteria tanquam tabernacula, plena divinis choris psallentium, legentium, orantium : tantumque jejunandi et vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo ejus afflaverat, ut futuræ spei aviditate ad charitatem mutuam, et misericordias indigentibus exhibendas jugi studio laborarent, qui infinitam regionem quamdam et oppidum à mundana conversatione sejunctum, plenum pietatis et justitiæ videbantur incolere. Quis tantum Monachorum agmen aspicions, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstinentium, et certamen officiorum erat, non in hanc statim erumperet vocem ? *Quàm bonæ domus tuæ Jacob, tabernacula tua Israël ! tanquam nemora obumbrantia, tanquam paradisus super fluvios, tanquam tabernacula, quæ fixa sunt à Domino, tanquam cedri Libani circa aquas.* (*Num.* XXIV. 5.)

dicitur Monachorum parens in Occidente; quia omnes ferè post ipsum regulam ejus amplexi sunt. Exstitisse tamen ante ipsum Monachos in Occidente constat tum ex ejus vita, quam scripsit S. Gregorius magnus, tum ex vita sancti Martini Turonensis auctore Sulpicio Severo, tum ex aliis certis et notissimis antiquitatis monumentis. (C)

I. Cur numerosas fuisse ais Monachorum familias quæ in oriente seculo quarto congregatæ sunt ?

S. GAUDENT. Brixiens. Episc. *Serm.* 17. *de Dedicat.* In... maxima Cappadociæ civitate quæ appellatur Cæsarea, ubi habent iidem beatissimi (SS. 40. Martyres) insigne Martyrium; reperimus quasdam Dei famulas Monasterii sanctarum virginum dignissimas matres (prorsùs Mariæ et Marthæ consimiles) quas meritò diligat Jesus; naturâ, fide et studio et castitatis integritate germanas. Quibus ab avunculo suo Sacerdote ac Confessore Basilio, olim traditæ fuerunt horum Martyrum venerandæ reliquiæ, quas desiderio nostro incunctanter ac fideliter tribuerunt.

(C) S. GREG. MAGN. *Dialog. lib.* 2. *cap.* 1. Benedictus.... deserti loci secessum petiit, cui Sublacus vocabulum est.... Quò dum fugiens pergeret, Monachus quidam Romanus nomine, hunc eumdem reperit, quò tenderet requisivit. Cujus cùm desiderium cognovisset, et secretum tenuit, et adjutorium impendit, eique sanctæ conversationis habitum tradidit, et in quantum licuit ministravit. Vir autem Dei ad eumdem locum perveniens, in arctissimam specum se tradidit, et tribus annis, excepto Romano Monacho, hominibus ibi incognitus mansit: qui videlicet Romanus non longè in Monasterio sub Theodati patris regula degebat. Sed piè ejusdem patris sui oculis furabatur horas, et quem sibi ad manducandum subripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat.

S. SULPICIUS SEVER. *in vita S. Martini, paulò ante medium.* Mediolani sibi Monasterium statuit.... Sub idem ferè tempus ad Episcopatum Turonicæ Ecclesiæ petebatur, sed cùm erui à Monasterio suo facilè non posset, Ruricius quidam, unus è civibus, uxoris languore simulato, ad genua illius provolutus, ut egrederetur, obtinuit. Ita dispositis jam in itinere civium turbis, sub quadam custodia ad civitatem usque deducitur.... Ita plenus auctoritatis et gratiæ implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum Monachi, virtutemque desereret. Aliquandiù ergo adhærente ad Ecclesiam cellulâ usus est: deindè cum inquietudinem frequentantium ferre non posset, duobus ferè extra civitatem millibus Monasterium sibi statuit. Qui locus tam secretus et remotus erat, ut eremi solitudinem non desideraret. Ex uno enim latere, præcisâ montis excelsâ rupe ambiebatur: reliquam planitiem Liger fluvius educto paululùm sinu clauserat: unâ tantùm eademque arctâ admodum viâ adiri poterat, ipse ex lignis contextam cellulam habebat. Multi quidem è fratribus in eumdem modum, plerique saxo superjecti montis cavato, receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, qui ad exemplum beati Magistri instituebantur. Nemo ibi quidquam proprium habebat: omnia in medio conferebantur. Non emere aut vendere (ut plerisque Monachis moris est) quidquam licebat. Ars ibi exceptis Scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur: majores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam fuit egressus, nisi cùm ad locum orationis conveniebant. Cibum unâ omnes post horam jejunii accipiebant. Vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset. Plerique camelorum setis vestiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis sit mirum necesse est, quòd nulli inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem et patientiam coegerant, pluresque ex his postèà Episcopos vidimus. Quæ enim esset civitas, aut Ecclesia, quæ non se de Martini Monasterio cuperet habere Sacerdotes ?

Muda alia monumenta Ecclesiastica testantur ante S. Benedictum in occidente vitam monasticam viguisse, præsertim in Galliis; at ea brevitatis causâ omitto. De his vide COINTIUM *Cong. nostræ Sacerd. in Annalibus Eccles. Francorum.*

R. Quia sub uno duce militabant sæpè plusquam tria Monachorum millia. (D)

I. Quam vitam agebant illi?

R. Vitam planè angelicam : sanè quæ vires humanas superare videatur. Id constat tam ex S. Joanne Chrysostomo, Homiliâ 14. in 1. Epistolam ad Corinthios; tum ex S. Augustino, libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. Si quis hæc sanctorum Chrysostomi et Augustini testimonia infrà subjicienda legere voluerit, is statim deponet certè si quam hausit à teneris sinistram adversùs hoc vitæ genus opinionem; fatebiturque esse in eo divinum quid et summâ dignum veneratione. (E) Sunt Deo miserante non paucæ etiam-

(D) S. Aug. *lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap.* 31. *n.* 67. Conveniunt ad singulos Patres terna, ut nimirùm hominum millia : nam etiam multò numerosiores sub uno agunt.

B. Theodor. *Religiosæ Histor. cap.* 30. *de Domnina.* Sunt ergo, ut dixi, multæ et virorum et mulierum pietatis palæstræ, non apud nos solùm, sed etiam in universa Syria et Palæstina et Cilicia, et in ea quæ est media inter duos fluvios. In Ægypto autem dicunt etiam plus quàm quinque millia virorum habere Monasteria, qui operantur, et interim Dominum laudant hymnisque celebrant.

Pallad. *Histor. Lausiacæ sect.* 8. *Vita Abbatis Or.* In hoc monte Nitriæ fuit vir admirabilis Abbas Or nomine, habens Monasteria mille fratrum. Quo factum est ut ad eum convenirent tria millia Monachorum.

Sect. 38. *Vita Abbatis Pachomii, etc.* Sunt autem hæc Monasteria quæ formam hanc obtinuerunt, habentia virorum circiter septem millia. Est autem primum et magnum Monasterium, in quo ipse habitat beatus Pachomius, quod alia peperit monasteria, continens numerum circiter mille quadringentorum virorum.

Sect. 48. *Vita Abbatis Ammona, etc.* Vidimus autem aliam quoque virum Thebaïde, nomine Ammonam, patrem ter mille Monachorum : quos etiam nominabat Tabennetiotas.

Sect. 76. *Vita Serapionis Presb.* Vidimus verò etiam in partibus Arsenoitæ Presbyterum quemdam nomine Serapionem, patrem multorum Monasteriorum, et qui præest multæ fraternitati, ut qui sint decies mille numero.

(E) S. Joan. Chrysost. *Homil.* 8. *in Matth. Vide hujusce Operis Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 5. *litt.* (I)

Et in Epist. Pauli ad Timoth. 1. *cap.* v. *Homil.* 14. *in moral.* Verè domus luctûs monasteria sunt, ubi cinis, atque cilicium, ubi solitudo, ubi risus nullus, nullus negotiorum secularium strepitus, ubi jejunia, ubi terrenorum duritia lectulorum, ibi munda sunt omnia : nullus ibi nidoribus locus, absunt procul sanguinis rivi, perturbationes, curæ, tumultus, tranquillo in portu navigant, ac veluti luminaria sunt, sublimi de loco navigantibus fulgore suo iter aperientes. In littore placido sedent, omnes ad quietem suam invitantes, ac pertrahentes, neque naufragium pati sinentes eos, qui se intuentur, non permittunt in tenebris degere eos, qui suas aspiciunt sedes. Perge itaque ad illas, quære, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes. Longe enim honorabilius est illorum pedes, quàm aliorum caput attingere.... Quasi enim de terra in cœlum, ita ad sancti cujuslibet viri monasterium de propriis domibus itur. Non ibi conspicis ea quæ domi, mundus est locus ille, alta ibi quies, atque silentium est. Meum et tuum indè prorsùs eliminatum est. Illic vel si diem unum, aut duos manseris, tunc verò voluptatis majore sensu perfunderis. Lucescit, imò ante lucem gallus emittit vocem, non ibi velut in secularium domibus sterlit familia, clausæ sunt januæ, omnes alto sopore prostrati, mortuis similes sunt „... nihil illic ejusmodi est : verùm omnes cum reverentia, discusso sopore consurgunt, à Præsule excitati suo, adstantque sacro instituto choro, protinusque expansis manibus sanctos con-

cinunt hymnos. Neque enim illi ut nos, ut excutiant somnum horis plurimis indigent. Nos quippè simul atque surreximus diutiùs occupamur ; imus ad requisita naturæ : deindè manus lavamus et faciem, posteà calceamenta sumimus ac vestes, multumque in his temporis terimus : ibi nihil ejusmodi videas. Nullus illic famulum vocat, quisque enim sufficit sibi, non eget vestibus plurimis, nihil opus habet excutere somnum : simul enim atque oculos aperit, diutiùs vigilasse videtur, quod illi sobrietatis ratione contingit. Nisi enim cor prægrave cibis infrà mergatur, levi salubrique somno expergiscitur facilè : moxque precum repetit vices, manus puræ tenduntur, quia somnus præcessit honestus atque moderatus. Nemo stertentes audit hic, aut hiantes somno, nullus jactari quempiam per soporem videt, neque nudari, sed dormiunt honestiùs vigilantibus compositi. Hoc autem totum ex animi disciplina, et honestate proficiscitur. Isti profectò sunt sancti, atque inter homines angeli. Summus namque Dei timor non sinit hos profundo sopore demergi, animumque à suo vigore laxari, sed fermè in superficie est, ipsosque reficit solùm. Hujusmodi illorum quoque sunt somnia, non phantasias, aut portentosas imagines referunt : sed, ut dixi, galli cantu continuò Præpositus statim assistit, pulsatque modicè pede jacentem, sicque omnes unà protinùs excitat : neque verò nudos ibi dormire fas est. Indè ubi surrexêre divinis laudibus instant, hymnosque propheticos canunt, magno suavique concentu, et canticis numerosis. Non fistulæ, non cithara, non ullum aliud instrumentum musicum tam dulces efficit modos, quàm sancti illi summa in solitudine, et quiete psallentes. Ipsa quoque illorum cantica convenientissima sunt, et amorem Dei divinarumque rerum studium spirant... Quandò cum Angelis canunt, nam et Angeli tunc etiam psallunt, *Laudate Dominum de cœlis* (*Ps.* CXLVIII. 1.) : nobis oscitantibus, prurientibus, atque stertentibus, sive etiam supinis jacentibus, et fraudes innumeras cogitantibus : quale est illos noctis totius spatium in Dei laude consumere. Ubi verò lux diei jam vicina est, pausant illi pusillùm, et cùm opera nos aggredimur, illi quietis sibi vendicant tempus. Jam verò ubi illuxit, quisque nostrùm alium vocat, sermonemque de impendiis texit, indè irrumpit in forum, magistratui adstat, tremit, ac supplicia metuit. Alius in scenam abit, alius ad opus suum proficiscitur : illi contrà matutinis precibus, hymnisque peractis, ad sanctarum Scripturarum studia se convertunt. Sunt et qui libros scribere didicerunt. Unusquisque verò præstitum habens domicilium, silentio perpetuo studet. Sicque nemine texente nugas, aut aliud aliquid loquente, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinamque consummant synaxin : quippè quatuor in partes diem scindentes, impletis partibus singulis, psalmodiis, atque laudibus honorant Deum : cæterisque prandentibus, ridentibus, ludentibus, ciboque distentis immodico, hi laudibus vacant. Minima his instruendæ mensæ cura, et omnium quæ sensui subjacent : Post cœnam rursùs divinis inserviunt laudibus, sicque sobrii somnum capiunt. At seculares quidem et die dormiunt, hi noctu quoque pervigiles durant : ut revera lucis filii. Et illi ubi somno plus indulsere, gravati prodeunt : contrà hi semper sobrii sunt sine cibo persistentes, et hymnis intendentes. Ad vesperam rursùs inclinante die illi ad lavacra, et requiem properant : hi verò à seipsis laborem spiritualis exercitii laxantes, cibum sumunt, non famulorum excitantes gregem, non domum discurrentes, turbasque et tumultus commoventes, neque pretiosas dapes, et coquorum arte laboratas apponentes : sed alii panem tantùm et sal, alii et oleum sumunt, plerique infirmiores olera, atque legumina in cibum accipiunt. Indè ubi paululùm sederint, tempus omne hymnis concludentes, singuli toris requiescunt, ad quietem solùm, non ad delicias factis. Nullus ibi Principum terror, nulla arrogantia dominorum, non servorum timor, non turba mulierum, non parvulorum inquietus clamor, non scriniorum multitudo, non vestis superflua, non aurum, non argentum, nullæ custodiæ, non fiscus, non aliud hujusmodi quidquam ; sed omnia orationibus fervent, hymnis omnia resonant, omnia spirituali fragrantiâ redolent. Nihil ibi carnale est, non latronum illic timetur incursus : neque enim habent quod eis possit auferri, pecuniis carent, corpus tantùm et animam possident. Ea qui tulerint, non modò læserint nihil, verùm et

plurimùm profuerint. *Mihi enim, inquit, vivere Christus est, et mori lucrum....* (*Philip.* I. 21.) Non illic auditur ululatus et gemitus, vacant his omnibus tecta illa felicia, his tristibus, his clamoribus libera. Moriuntur quidem et in ipsis, neque enim corpore sunt immortales: cæterùm mortem illi nec ducunt, nec existimant mortem: cum hymnis prosequuntur abeuntes, eamque rem non elationem funeris, sed pompam, et præmissionem vocant. Denique ubi quisquam nuntiatus fuerit mortuus, magna oritur exsultatio, ingensque voluptas omnium. Imò ne mortuum quidem aliquis appellare præsumit, sed consummatum. Indè gratiarum actio sequitur, et gloria, ingensque lætitia, singulis orantibus se hoc fine donari, sic exire certamine, et à laboribus sudoribusque quiescere, Christumque videre. Quòd si quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lacrymæ, sed perpetuæ funduntur preces: non ibi medicorum operatur manus, sed fides sæpè sola sanavit infirmum. Nempè et si opus fuerit medicis, magna et hic ostenditur tolerantia. Non adstat solutis crinibus uxor,.... non familia exspirantem importunis precibus pulsans ut se cuiquam tutò commendet: sed his impedimentis omnibus exutus animus, unum inspicit solùm, quo pacto majore cum gratia extremum Deo spiritum fundat. Sed et si contigerit morbus, non ex gulæ prodiit vitio, non ex vinolentia, sed ipsæ quoque morborum occasiones plenæ sunt laudibus, non criminibus ullis obnoxiæ. Aut enim ex vigiliis jugibus, aut ex continuato jejunio, aut ex aliquibus hujusmodi infirmitas nascitur: quocirca etiam facilè liberantur. Satis enim illis est ad evadenda languoris incommoda, si vel modicè de pristino languore relaxent.

S. AUG. *de morib. Eccles. Cathol. cap.* 31. *n.* 65. Quis nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maximè atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere.

N. 66. Nihil de iis dicam quos paulò antè commemoravi, qui secretissimi penitùs ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, et aquâ contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plus quàm oporteret deseruisse, non intelligentibus quantùm nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur.

N. 67. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur et prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nullâ superbiâ tumidi, nullâ pervicaciâ turbulenti, nullâ invidentiâ lividi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus et corpus pasci possit. Opus autem suum tradunt eis quos Decanos vocant, eo quòd sint denis præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, ut adsolet, valetudini. Illi autem Decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, et præstò facientes quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, rationem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem Patrem appellant. Hi verò patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam divinâ doctrinâ excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nullâ superbiâ consulunt iis quos filios vocant, magnâ illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum patrem, et conveniunt ad singulos patres terna, ut minimùm, hominum millia: nam etiam multò numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu, vel fletu, vel modesto et omni clamore vacuo gaudio significantes. Corpus deindè reficitur, quantùm saluti et salubritati satis est, coercente unoquoque concupiscentiam, ne se

num et apud nos sanctorum hujusmodi Monachorum familiæ, quorum vitæ ratio non longè absit à prisca sanctorum Monachorum sanctitate. Hi sunt gaudium et decus et ornamentum Ecclesiæ, sicut illi fuerunt.

I. Quâ mente accedendum est ad regularis vitæ institutum?

R. Eâ mente, 1° ut fugiatur ejus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptio, nedum participetur. (F)

2. Ut agatur pœnitentia de peccatis commissis.

3. Ut Dei unius obsequio religione sempiternâ quis sese obliget et mancipet.

4. Ut per obedientiam, continentiam, paupertatem, silentium, solitudinem, orationem, mortificationem carnis, cæteraque religiosæ vitæ exercitia ad vitam æternam perveniatur.

Eâ mente suscipiendum est vitæ regularis institutum. Si quis autem illud fortè aliâ mente suscipiat, pravâ actus cupiditate suscipit, peccat graviter, iramque et maledictionem Dei in se provocat.

I. Quî fieri potest ut quis pravâ actus cupiditate regularem vitam profiteatur?

R. Non rarò fit proh dolor! ut præ cupiditate suscipiatur id vitæ genus. Alii se recipiunt in monasteria ut commodiùs vivant: alii ut otio indulgeant faciliùs: alii ut parentum imperium declinent, eo quòd illud fortè durum et molestum experiantur: alii ut faciliùs assequantur Beneficium, Abbatiam, Prioratum: alii ut fruantur liberiùs consortio alicujus qui idem vitæ institutum amplexus sit: alii ut subducant se foro judiciali. Alios ad id adigit desperatio, alios instabilitas ingenita et levitas animi, sine ulla prævia deliberatione, alios alia id genus prava cupiditas.

Et hinc fit ut tot sint qui vitam agant posteà adeò alienam à regularis vitæ ratione et instituto.

I. Quid facto opus illis qui præ cupiditate monasterium ingressi, regularem vitam votis solemnibus editis professi sunt?

R. Non licet illis ampliùs à proposito resilire. Nunquam

profundat vel in ea ipsa, quæ præstò sunt paroa et vilissima. Ita non solùm carnibus et vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam quæ tantò concitatiùs ventris et gutturis provocant appetitum, quantò quasi mundiora nonnullis videntur: quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnalibus alienum est, ridiculè turpiterque defendi. Sanè quidquid necessario victui redundat (nam redundat plurimum ex operibus manuum, et epularum restrictione) tantâ curâ egentibus distribuitur, quantâ non ab ipsis qui distribuunt comparatum est. Nullo modo namque satagunt, ut hæc sibi abundent, sed omni modo agunt, ut non apud se remaneat quod abundaverit, usque adeò ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt.

(F) JEREM. LI. 6. Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam.

APOC. XVIII. 4. Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem: Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis.

ergo pervenient ad vitam æternam, nisi, mutatis consiliis, id denique sibi in animum inducant quod sibi proponere debuissent ab initio, dum hoc vitæ genus amplexi sunt. Si secùs faxint, illi sanè vitam agunt miseram et infelicem, sibi duram, aliis molestam; æternis demùm suppliciis cruciandi postquam è vivis excesserint.

I. Cùm fixum ratumque in animo est regularem vitam amplecti, quodnam præ aliis Monasterium eligendum est?

R. Varii Ordines, multa monasteria sunt, in quibus vigeat plurimùm observantia regularis ad Ecclesiæ decus et ornamentum. In his eligat quisque quem voluerit.

Sed caveatur maximè, 1° ab iis in quibus superbia, curiositas, ambitio, luxus, mollities, mundi dilectio, loquacitas, mentis evagatio, vanitas, nugacitas, avaritia, altas radices fixisse videantur.

2. Ab iis in quibus nulla esset inferiorum erga Superiores subjectio, nulla regulæ, nulla constitutionum observantia vigeret.

3. Ab iis in quibus non pax et concordia, sed dissensiones et factiones et partium studia vigerent.

4. Ab iis in quibus nemo admittitur ad vota solemnia, nisi prævìis contra sacrorum Canonum placita pactionibus, quæ simoniacam pravitatem redolere videantur.

I. Nunquamne licet pacisci pro ingressu in religionem?

R. Si monasterium præ egestate non habeat undè ali et sustentari possint accedentes ad religionem, licet pro dote pacisci; alioqui simonia est. (G) Videant Superiores ne

(G) GRATIANUS *Decret. Caus.* 1. *Quæst.* 2. Sequitur secunda quæstio, quà quæritur, an pro ingressu monasterii pecunia sit exigenda, vel exacta persolvenda. Hoc utrumque licitè fieri, utriusque Testamenti serie comprobatur. Legitur enim in primo libro Regum, quòd Anna *detulit secum Samuelem, postquam ablactatus fuerat, in tribus vitulis et tribus modiis farinæ et amphora vini ad domum Domini in Silo.* (1. *Reg.* 1. 2.) In Actibus verò Apostolorum (*Act.* IV. 32.) legitur quòd *multitudinis credentium erat cor unum, et anima una: nec aliquid eorum, quæ possidebant, quisquam proprium esse dicebat: sed erant illis omnia communia*, (*Act.* IV. 34. *et* 35.) et singuli vendebant prædia sua, et *ponebant pretia eorum ante pedes Apostolorum* (*Act.* V. 1. *et seq.*), quorum unus, Ananias nomine, dum partem sibi reservaret, et cum uxore sua Saphira, sententiâ maledictionis acceptâ, ante pedes Apostolorum cecidit mortuus. Hinc liquidò apparet, quòd ingressuri monasterium sua debent offerre Rectoribus: nec aliter sunt recipiendi, nisi sua obtulerint. Sed aliud est, suâ sponte offerre, aliud, exacta persolvere. Anna mater Samuelis non exacta, neque pelita, sed sponte munera Sacerdotibus obtulit. Credentes suâ sponte offerebant Apostolis, ut indigentium necessitatibus deservirent, quæ instante persecutione infidelium, eis possidere non licebat. Ananias quoque non ideò damnatus est, quia sua nollet offerre: sed quia Spiritui sancto mentitus pretia eorum, quæ Apostolis obtulerat, ex parte fraudabat. Non ergo his auctoritatibus permittitur Rectoribus ab ingressuris aliquid exigere, sed sponte oblata suscipere; quia illud damnabile est, hoc verò minimè. *Hæc fusiùs probat multis auctoritatibus imprimis verò:*

Cap. 2. Quàm pro mentis affectu, Fratres charissimi, vestræ destitutioni Romana compatiatur Ecclesia, vobis fortassis est incognitum, sed cognitori omnium non incognitum habetur. Dubitationi autem vestræ quòd idoneum domus responsum, Deum testificor, ipsa quoque me dubi-

talio reddit anxium et ineptum. Nusquam enim legimus Domini Discipulos, vel eorum ministerio conversos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocasse ; nisi fortè de pauperum alimento quis inconcinnè proponat, quorum nulli, cujuscunque professionis esset, victualia negabantur. Scimus equidem, quòd *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum* (*Jacob.* I. 17.) à quo bonæ voluntatis donum accipit, qui sancto deliberationis arbitrio gratis Deo servire disponit. Restat ergo, ut qui pro aliqua Ecclesiastica susceptione munus accipit, donum Dei, quod à Patre luminum descendere debuit, vendat : munus autem largiens importunus emat. Quid autem de divini doni venditoribus, vel emptoribus consequatur, concludi necesse non est. Cavete ergo, Fratres, quàm sit ambiguum quod petistis consilium : quod quidem secundùm vestræ voluntatis propositum nullâ invenimus ratione confirmatum. Verumtamen, si vestræ necessitati adeò est opportunus, quem reperistis, dum tamen omnis absit pactio, omnis cesset conventio, nullaque vestræ Ecclesiæ fiat distractio, (*forsan* detractio) accedat, gratis Deo servire incipiat, suique regiminis devotè gestet obsequium ; et postmodum vos quasi subsidii gratiâ, aliqua suæ Ecclesiæ munera largiri fratrum solatio Romana permittit Ecclesia. *Ex Bonifacio PP.*

Cap. 3. Nullus Abbas pretium sumere, vel exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt, aliquâ pacti occasione præsumat. *Ex Urbano PP. in Concil. apud Melfiam cap.* 12.

Quæst. 3. Sed adhuc objicitur, quòd qui ingressuri Monasterium pecunias tribuunt, non propositum religionis, sed participationem stipendiorum Ecclesiæ emunt. Temporalia ergo, non spiritualia ementes, nequaquam simoniaci habendi sunt. His itaque respondetur. Non solùm, qui spiritualia, sed etiam, qui temporalia eis annexa pretio accipiunt vel tribuunt, simoniaci judicantur. Undè Malachias loquens ex persona Domini : *Qui est*, inquit, *in vobis, qui claudat ostia et incendat altare meum gratuitò ? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra.* Ostia claudere non est sacri muneris officium, sed tantùm sibi adjunctum. *Quod multis probat momentis, nosque probavimus suprà hujusce Capitis* §. 6. *et pluribus adhuc evincemus.*

Decret. GREG. IX. *lib.* 3. *tit.* 35. *cap.* 2. Monachi non pretio recipiantur in Monasterio, nec peculium permittantur habere... Si quis autem exactus pro sua redemptione aliquid dederit, ad sacros Ordines non ascendat. Is verò qui eum receperit, officii suspensione mulctetur. Qui verò peculium habuerit : nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur altaris, et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, et dignè non pœnituerit ; nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam. Quod etiam de universis Religiosis præcipimus observari. Abbas autem, qui ista diligenter non caverit, officii sui jacturam se noverit incursurum. Prioratus quoque seu obedientiæ pretii donatione nulli tradantur, alioquin dantes et accipientes à ministerio fiant Ecclesiastico alieni. *Ex Concil. Lateran. cap.* 10.

Lib. 5. *tit.* 3. *de simonia cap.* 8. Non satis : *et infrà.* Prohibemus igitur ne ab iis, qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur. Nec Prioratus vel Capellaniæ quælibet Monachorum aut Clericorum annuâ distractione vendantur. Nec ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione ullum pretium exigatur. Undè quisquis contra hoc decretum attentare præsumpserit : tam ille qui dederit, quàm ille qui receperit vel consenserit, parlem se cum Simone non dubitet habiturum. *Ex Alexandro III. in Concil. Turon.*

Cap. 19. Veniens ad nos F. Presbyter proposuit, quòd Abbas et Fratres sancti R. noluerunt eum in Monachum recipere, quousque triginta solidos dare convenerit : conventione autem factâ, sequenti die eum monasticum habitum induerunt, et iidem Monachi triginta solidos, Abbas verò decem et familia duodecim pro pastu (asserentes hoc esse de consuetudine Monasterii) postularunt. Quoniam ergo factum hujusmodi perniciosum videtur : mandamus quatenùs si ita esse inveneris, Abbatem et Monachos ad restituendam pecuniam præfato F. tam indigne acceptam compellas, et Abbatem et majores personas Monasterii pro

tantæ pravitatis excessu ab officii exsecutione suspendens, præcipias dicto F. ut in alio Monasterio in habitu monastico Domino studeat deservire. *Ex Alexandro III.*

Cap. 25. De regularibus Canonicis seu Monachis nos consulere voluistis, qui per simoniam ingressum, ipsis scientibus habuerunt. Undè cùm super hoc auctoritatem multæ reperiantur expressæ, non aliud, quàm statutum est, respondemus: ut locum, quem taliter adepti sunt, omninò dimittant, et solitudines seu alia Monasteria districtiora adeant in quibus tam exsecrabilem excessum sine intermissione deplorent. Si autem ignorantibus illis pecunia data fuerit, cogas eos ad renuntiandum loco eidem, et postmodum, in ipsum reducere, si ibi absque scandalo potuerint remanere, vel in alio, qui sit de Ordine ipso, ad serviendum Deo poteris collocare. *Ex Clemente III.*

Cap. 30. Dilectus filius A. nuntius tuus pro parte tua proposuit, quòd cùm Can. Diœcesim visitans, in Monasteriis et Religiosis locis pullulasse repereris simoniacam pravitatem, ita quòd in eis multi pretio sunt recepti, qui potiùs gratis recipi debuissent, imò etiam ad Religionis observantiam invitari. Dubitas igitur, an quia multitudo reperitur in causa, severitati sit aliquid detrahendum? Nos inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si adversùs eos, qui labe fuerint ejusmodi maculati, accusatio coram te fuerit canonicè instituta, postquam crimen ordine fuerit judiciario comprobatum, tam in dantes, quàm in recipientes canonicæ severitatis exerceas ultionem. Quòd si de hoc tibi per solam inquisitionem constiterit: eos qui per simoniacam pravitatem in locis talibus sunt recepti, ab illis amotos, ad agendam pœnitentiam ad Monasteria dirigas arctiora. Abbatissis, Prioribus, Prælatis quibuslibet et Officialibus eorumdem injungas pœnitentiam competentem, et donec illam peregerint, eos à sacrorum Ordinum exsecutione suspendas: injungens Episcopis suis, ut hanc formam per suas Diœceses studeant observare. Illud tamen gratanter recipi poterit quod fuerit sine taxatione gratis oblatum. *Ex Innocentio III.*

Cap. 40. Quoniam simoniaca labes adeò plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitùs prohibemus: statuentes, ut quæcunque de cætero talem commiserint pravitatem, tam recipientes, quàm recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc Synodale statutum, taliter sunt receptæ, ita ducimus providendum, ut remotæ de Monasteriis, quæ perperàm sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur. Quòd si fortè propter nimiam multitudinem alibi nequiverint commodè collocari: ne damnabiliter in seculo evagentur, recipiantur in eisdem Monasteriis dispensativè de novo, mutatis prioribus locis, et inferioribus assignatis. Hoc etiam circa Monachos vel alios Regulares decernimus observandum. Verùm ne per simplicitatem vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœceses publicari. *Ex Innocentio III. in Concil. gener. Lateran. can.* 63.

SEXTI DECRET. *Lib.* 3. *Tit.* 16. *cap. unic.* §. 2. Sanè, ut hoc salutare statutum commodiùs valeat observari, districtiùs inhibemus, ne in Monasteriis Ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in sorores, nisi quot poterunt, de ipsorum Monasteriorum bonis sive proventibus absque penuria sustentari: si secùs actum fuerit, irritum decernentes. *Ex Bonifacio VIII.*

EXTRAV. COMM. *Lib.* 5. *de Simonia Tit.* 1. *cap.* 1. Sanè, ne in vinea Domini nostræ, licèt insufficientibus meritis, comamissa custodiæ, nascentes vepres et spinæ adeò convalescant, quòd speratam fructificationem ipsius valeant impedire: diligentiæ nostræ incumbit officio, ut illas exstirpare radicitùs solerti studio procuremus. Sanè multorum fide dignorum relatione didicimus, quòd in nonnullis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus et aliis locis religiosis, tam virorum quàm mulierum, Ordinum, regionum et partium diversarum detestabilis et à Canonibus reprobata servatur abusio, quòd cùm personæ aliquæ recipiuntur ab eis, ad

observantiam regularem, ipse temeritate præsumptuosâ pastus seu prandia capitulis et conventibus ipsarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum et locorum, aut pecunias, aut jocalia seu res alias ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus et locis, seu præsidentibus eis ex statuto seu consuetudine, quæ corruptela est potiùs dicenda, tribuere compelluntur: ex quibus decori Ecclesiasticæ et immaculatæ Religionis detrahitur. Quamplures etiam, tam exsecratione hujusmodi criminis, quàm expensarum onere à sacræ Religionis proposito retrahuntur: ipsæque Ecclesiæ, Monasteria et loca famulantium Deo consuetis numeris remanent destituta, et in multorum mentibus fidelium scandalum generatur. Nos igitur huic morbo pestifero cupientes congruam adhibere medelam, et aliis pœnis in talia præsumentes inflictis à jure in suo robore duraturis, pœnam adjicere graviorem: universis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis et Magistris, necnon Abbatissis et Priorissis, aliisque Prælatis, quovis nomine nuncupatis, et eorum Officialibus, quarumcunque etiam Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, domorum et locorum quorumlibet Religionum, Ordinum etiam militarium, tam exemptorum, quàm non exemptorum, quocunque nomine censeantur, ac capitulis et conventibus et singularibus personis eorum, tenore præsentium auctoritate Apostolicâ (quamvis sit eis à jure inhibitum) districtiùs inhibemus, ne tam à maribus quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, domos seu loca, in earumdem personarum receptione, aut ante vel post illam quoscunque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumant. Sed eas potiùs cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu et vestitu sicut alias personas suarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, domorum et locorum sincerâ charitate pertractent. Illa duntaxat quæ personæ ipsæ ingredientes purè et spontè, et plenâ liberalitate, omnique pactione cessante dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, domibus et locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi: Nos enim, qui secùs egerint, si sint singulares personæ tam dantes, quàm accipientes, hujusmodi excommunicationis: si capitulum vel conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere: A quibus (præterquam in mortis articulo) absolvi nequeant absque sedis Apostolicæ licentia speciali. Cæterùm personis illis utriusque sexûs, quæ jam labe hujusmodi sunt fœdatæ, earum providentes saluti, de benignitatis gratia eas liberantes, concedimus quòd per suos locorum Diœcesanos hac vice duntaxat à crimine hujusmodi et notâ infamiæ indè contractâ auctoritate Apostolicâ absolvantur: canonicâ proindè ipsis pœnitentiâ salutari impositâ, de qua ipsorum discretioni videbitur expedire, et demùm cum ipsis, ut in earum Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, dignitatibus et locis licitè valeant remanere, misericorditer dispensetur. Insuper erga personas illas, quæ in præmissis recipiendo aliqua contra canonicas sanctiones peccasse noscuntur, volentes nos reddere gratiosos: omnia recepta hujusmodi si ad communem usum Monasteriorum seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum licitè concedimus retineri. Si verò ad specialem usum Abbatis seu Abbatissæ, Prioris aut Priorissæ, aut alterius singularis personæ retineantur: illa venire præcipimus in communi. *Ex Urbano IV. aliàs V.*

S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 100. *art.* 3. *ad quartum.* Dicendum quòd pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium: licet tamen, si Monasterium sit tenue quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes: similiter etiam licitum est, si propter devotionem quam aliquis ad Monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, faciliùs in Monasterio recipiatur: sicut etiam licitum est aliquem è converso provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum: licèt non sit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingressu Monasterii: ut habetur 1. Quæst. 2. cap. *Quàm pio.*

VAN-ESPEN, *Jur. Eccles. univers. part.* 1. *tit.* 25. *cap.* 3. *n.* 18. Ad hæc pro asserenda libertate Novitii deserendi Religionem decrevit Synodus Tridentina Sess. 25. cap. 16. de Regular. « Sed neque ante professionem, » excepto victu et vestitu Novitii vel Novitiæ illius temporis, quo in pro» batione est, quocunque prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut » curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur: ne hac » occasione discedere nequeat, quòd totam vel majorem partem sub» stantiæ suæ Monasterium possideat: nec facilè si discesserit, id recu» perare possit. »

N. 19. Hoc decreto imprimis decernitur, nihil à parentibus vel propinquis aut curatoribus ex bonis Novitii Monasterio ante emissam Professionem quocunque prætextu tribui posse, etiam *liberaliter* seu *ultroneè*, citra ullum pactum aut conventionem cum Monasterio, excepto victu et vestitu illius temporis, quo in probatione est.

N. 20. Nullatenus ergo ex hoc decreto elici potest, mentem Concilii fuisse, Monasterium posse *exigere* atque *pacisci* cum ingrediente ejusve parentibus super expensis et vestitu Novitii; nam duntaxat declarat Synodus, quòd parentes nihil queant tribuere Monasterio ex bonis Novitii excepto victu et vestitu Novitii vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est: quod Suaresius aliique recentiores quoque notarunt: *verum est* (ait Suaresius lib. 4. de Simonia cap. 17. num. 19.) *Concilium Tridentinum non loqui de* pacto *nec de* modo *recipiendi, id est, an possit Monasterium ita sustentationem petere, ut sine illa nolit Novitium recipere.*

N. 21. Hinc ulteriùs infertur, nec in speciem, Tridentinum hoc loco favere hodiernæ multorum Monasteriorum, etiam admodum opulentorum praxi exigendi ab ingredientibus eorumve parentibus ea, quæ pro victu aut vestitu Novitii aut Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, necessaria creduntur.

N. 22. Undè prædicta praxis à non paucis etiam post Concilium Tridentinum reprobata fuit. Et quidem Directorium Ecclesiasticæ disciplinæ, Coloniensi præsertim Ecclesiæ accommodatum, sub initium hujus seculi evulgatum auctoritate Episcopi Tricaricensis sedis Apostolicæ per Germaniam inferiorem et Belgarum Provincias Nuntii, et à Facultate Theologica Lovaniensi probatum, relato hoc Concilii Tridentini Decreto, ait: « Quin nec pro ipso victu aut vestitu Novitii aliquid ex pacto datur. Cùm » enim Novitiatus sit res spiritualis cui annexum est jus ad victum et » vestitum, à Simonia abesse non potest, de his pacisci, vel pro jure » Novitiatûs acquirendo ad victum et vestitum contribuere. Si quis au» tem jure Novitiatûs acquisito sumptus liberaliter refundere velit, » licitè id facere potest, modò nullum intercedat pactum, conventio, » spes, aut mutuus intellectus. »

Sententiam hanc ex professo propugnat, et pluribus adstruere conatur Petrus à S. Audomaro, etc.

N. 23. Quidquid sit de Simonia, illud indubitatum est, improbandum esse, Monasteria aliundè fundata, ab ingredientibus Religionem exigere expensas pro victu et vestitu, etiam frequenter non sine magno ac notabili parentum incommodo, ac fidelium scandalo; *quia*, uti benè advertit Zypæus in Jure novo Tit. de Regular. num. 26. *Monasteriorum fundationes tam pro Novitiis quàm pro Professis institutæ sunt.*

Omnium quippè Fundatorum mens fuit, quam in Testamento suo expressit Fundator Cluniacensis Monasterii his verbis. « Ut illis essent Mo» nasteria ad perpetuum refugium, qui pauperes de seculo egressi, *nihil* » secum præter bonam voluntatem attulerunt, *ut nostrum*, ait, *supplementum sit abundantia illorum, etc.* (2. *Cor.* VIII. 14.) »

Cap. 4. *n.* 1. Novitium ante emissam professionem liberè posse per testamentum de bonis suis disponere jam pridem expressit Justinianus in *Novella cap.* 4. neque id per Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* mutatum esse, omnes consentiunt et quotidianâ praxi notorium est.

N. 2. Porrò in hac temporalium dispositione, oportet, ut Novitius specialiter meminerit hujus sententiæ Evangelicæ: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* (*Matth.* XIX. 21.) Hæc enim tanquam specialim dicta ad illos, qui vitam Monasticam amplecti

volunt, Novitiis proponi Monachorum Patres desiderarunt; ut nimirum ex illis normam disponendi de rebus suis temporalibus assumerent. *Id postquam pluribus probavit, subjicit*:

N. 4. Sed petet quis, Num ergo ingredientes Monasterium ita res suas *pauperibus* dare debent, ut nunquam in favorem Monasterii disponere possint? Nequaquam: nam S. Benedictus in sua Regula expressis verbis recipiendo ad Religionem optionem dat, si quidem sit ætate major, ut res, si quas habet, aut eroget pauperibus, aut conferat Monasterio.

N. 5. Nec mirum, quia juxta mentem Patrum, qui res suas offert Monasterio, eas etiam *pauperibus* tribuit: ut nimirùm vel pauperes de seculo egressi, et nihil præter bonam voluntatem afferentes, ex iis sustententur, aut certè per ipsos Monasterii Præfectos pauperum usibus impendantur, juxta naturam ac conditionem proventuum Monachalium; nec aliâ intentione Monasteria sibi ab ingredientibus oblata recipere possunt. Undè citatus *Magister* postquam loco suprà allegato dixisset, Novitium si noluerit sua vendere et dare pauperibus, posse ea Monasterio offerre, monendo adjungit: *Jam de ipsis rebus ingressi Abbas in sua potestate mutatis quidquid* necessariæ utilitati Monasterii *abundare viderit, pro anima Fratris ipsius* propter præceptum supradictum sequendi Dominum per eleemosynam, distractâ illâ re supervacuâ, pretium ejus pauperibus tribuat: *ut quod ille imperitus Frater non meruit facere, pro illo iste quasi doctus Magister valeat adimplere.*

Ad hæc *Magistri* verba reflectens Hugo Menardus: « Notanda, (inquit,) » hominis integritas, sinceritas simul et charitas. Quàm longè abest à quo» rumdam avaritia, aut curiositate, qui aut bona Novitiorum in arca re» condunt, aut ea insanis substructionum molibus erigendis similibusque » vanitatibus impendunt, Christo in suis membris algente et esuriente. »

Nequaquam ergo Patrum Regulæ interdicunt Novitio aliquid Monasterio hac intentione offerre; neque illicitum Religiosis ea recipere, modò tamen caveant.

N. 6. Primò, ne quem recipiant amore pecuniæ, ita quòd si possent illam pecuniam habere sine persona ista, non reciperent personam, sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt: et hoc *penitùs impurum est et simoniacum*, ait S. Bonaventura: « Quia ibi pecunia causa est receptionis » personæ, non è converso. Et hoc plerique, (pergit Doctor seraphicus,) » etiam ex mera inopia faciunt, optantes aliquem venire cum pecunia, » quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta » solverentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia construe» rentur. »

N. 7. Secundò, monet idem Doctor, illicitum quidem non esse, personam recipere non pro pecunia, sed cum pecunia, ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo; *sed*, ait, cautè agendum coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, et ne sit ibi affectus avaritiæ ex spe lucri.

Titulo 26. *de simonia circa ingressum Religionis, cap.* 1. *n.* 4. Amore pecuniæ alicui Religionis ingressum annuere, cui ille negatus fuisset, si pecunia sine illa persona haberi potuisset; ita ut consequenter persona ad Religionem admittatur *propter pecuniam*, simoniacum esse cum S. Bonaventura tradunt Theologi et Canonistæ.

« Frequenter contingit, (ait S. Bonaventura in Libello Apol. Quæst. » 18,) ut personam recipiant *amore pecuniæ*, ita, quòd si possent illam » pecuniam habere sine persona ista, non reciperent personam; sed ut » habeant pecuniam personam recipiunt, et hoc penitùs impurum est et » *simoniacum:* quia ibi pecunia *causa* est *receptionis* personæ, et non è » converso. Ubi ergo recipitur persona *propter pecuniam*, *simonia est*, » quia ibi venditur spirituale, id est, consortium spiritualis societatis, » pro temporali, scilicet pro pecunia. »

N. 5. Imò si pro ingressu Religionis, seu admissione ad consortium spiritualis societatis, sive vitæ monasticæ pecunia exigatur, æquè expeditum est apud omnes, simoniam committi à Religiosis exigentibus: non secus atque à Canonicis exigentibus pecuniam pro admissione alicujus ad canonicatum sive consortium spiritualis societatis canonicalis.

N. 6. Illud quoque expeditum est, quòd sicuti Patronus aut Collator canonicatûs est simoniacus, atque ipsum canonicatum vendere censea-

tur, si pecuniam non quidem directè et principaliter exigat pro canonicatu, sed pro Præbenda temporali, seu jure recipiendi temporalia emolumenta canonicatui annexa, ita quoque simoniam committi à Monasteriis *opulentis*, seu *sufficienter dotatis*, si à Postulantibus admitti ad Religionem exigant pecuniam, non quidem directè et principaliter pro *ipso ingressu*, sed pro *sustentatione* sive alimentatione, quam ei post professionem, tanquam uni de communitate Monasterium subministrare tenebitur.

N. 7. Ratio enim ob quam Patronus sive Collator canonicatûs per hujusmodi exactionem fiat simoniacus, hæc est, quòd Præbenda seu jus percipiendi temporalia sit ita annexum canonicatui, ut canonicatu obtento necessariò illud sequatur; adeoque canonicatu *gratis* obtento, etiam unà obtineatur jus percipiendi temporalia, tanquam ipsi canonicatui inseparabiliter ex constitutione Ecclesiæ et mente Fundatorum annexum; ita ut de similibus sibi mutuò eo modo annexis et se concomitantibus rectè dixerit S. Thomas 2. 2. Quæst. 100. art. 4. *Rebus istis venditis, etiam spiritualia venditioni subjici.* Quia teste Paschali II. in can. 7. caus. 1. q. 3. *Quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

N. 8. Porrò jus ad sustentationem non minùs annexum esse admissioni ad Religionem, sive confessionem Religiosam non minùs tribuere jus ad alimentationem ex proventibus Monasterii ipsi Professo, quàm admissio ad canonicatum tribuit jus ad Præbendam temporalem canonicatui annexam, ipsa conditio proventuum Monasticorum, sive mens Fundatorum, sive ipsius Ecclesiæ præscripta attendantur, evincit.

N. 9. Ea enim est, semper fuit Fundatorum ac dotantium Monasteria intentio, illudque desiderium, ut ex rebus eorum temporalibus alerentur ii, qui omnibus renuntiantes, tanquam *pauperes* in hoc seculo Christo unicè vivere volunt, quemadmodum piè ac doctè exponit S. Augustinus *in Ps.* 103. et ex omnium penè Fundatorum atque dotationum antiquis monumentis est manifestum; eamque præ cæteris fusiùs ac luculentiùs in suo Testamento expressit piissimus Cluniacensium Fundator Guillelmus Dux Aquitaniæ: qui postquam diutiùs secum deliberasset, quà ratione per temporales sibi datas divitias æternas mercari posset, dicit: « Hoc nullà specie vel modo fieri posse videtur, nisi ut » juxta Domini præceptum (*Luc.* XVI. 9.) amicos mihi faciam *pauperes* » ejus: utque hujusmodi actio non ad tempus, sed continuè peragatur: » *Monasticâ* professione congregatos ex propriis sumptibus sustentem. Eà » siquidem fide, eâ spe, ut quamvis ipse cuncta contemnere nequeam, » tamen dum mundi contemptores, quos justos credo, susceperim, jus» torum mercedem accipiam.... (*Matth.* X. 41.) Præcipimus siquidem, » *ut maximè* illis sit hæc nostra donatio ad perpetuum refugium, qui » *pauperes* de seculo egressi, *nihil* secum *præter bonum voluntatem* attu» lerint, ut *nostrum supplementum* sit *abundantia* illorum. (2. *Cor.* VIII. 14.) »

E quibus perspicuum est, intentionem pii Fundatoris fuisse, ut his bona sua essent in sustentationem et supplementum, qui *pauperes* de seculo egressi non pecuniam, aut aliud quidpiam temporale, sed *bonam* solummodo *voluntatem* secum attulerunt.

N. 10. De hac Fundatorum mente persuasus S. Gregorius, scribit ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, « Alicui Monasterio nec tu, nec » Presbyteri præter diligentiam disciplinæ aliquid molestiæ inferatis. » Aut si quid illic pro diversorum devotione accesserit vobis vindicare » æstimetis. Cùm Monachis ibi servientibus debeat proficere quidquid » à fidelibus taliter offerri contingit. *Refertur in cap.* 1. *Decret.* de statu » Monach. »

Deindè quidquid ex labore vel industria aliove titulo Religiosis obvenit, non ipsis Monachis *in particulari*, sed ipsi Monasterio seu communitati acquiritur; ut in omnium, qui de communitate sunt, necessitates, juxta illud Canonistarum vulgare axioma: *Quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirit.*

N. 11. Quæ ostendunt rectè jam pridem notasse Dionysium Carthusianum lib. 1. de simonia art. 11. quòd (Regulares) recipiendo ad Ordinem seu vitam Monasticam, recipiant eum ad vitam communem, et *eorum*

quæ habent faciant eum participem secundùm institutionem SS. Patrum, qui Ordines fundaverunt.

N. 12. Cùm ergo Monachi vi suæ professionis et admissionis ad societatem monasticam consequantur jus vivendi ex bonis Monasterii, æquè ac Canonicus vi suæ admissionis adipiscitur jus ad præbendam, consequens est, si quid pro jure alimentationis seu sustentationis ab ingrediente exigatur, nec ipsum quoque ingressum *gratis* dari, atque hic quoque applicari posset illud dictum Paschalis II. suprà relatum : « Quis» quis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum » inventum derelinquit. »

Cap. 2. *n.* 2. Plures è Regularibus præsertim mulieribus sub prætextu *paupertatis* simoniacas exactiones in receptione ad Religionem jam pridem exercuisse testatur Synodus Lateranensis sub Innocentio III. in cap. 40. Decr. de simonia his verbis : « Quoniam simoniaca labes adeò » plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in soro» res, prætextu paupertatis, volentes hujusmodi vitium palliare, etc. »

Num hic verus an falsus fuerit paupertatis prætextus parum refert : hoc constat, Moniales illo prætextu simoniacas suas exactiones, teste ipsâ Synodo, voluisse palliare.

Et circa idem tempus de Monialibus sui temporis scripsit Jacobus de Vitriaco Cardinalis, Historiæ Orientalis cap. 15. « Quæ passim et publicè » pro miserabili cœnobiorum ingressu pecuniam exigebant, allegantes » suam paupertatem, et de simoniæ pessimo crimine non curarent, » domum orationis in forum negotiationis convertebant. »

Multis autem titulis contingit falsum atque infundatum esse paupertatis prætextum :

N. 2. Primò, quòd paupertatem ac insufficientiam Monasterii prætexant, quæ reverà non subest, eo quòd multa prætendant esse necessaria quæ necessaria non sunt.

» Religiosi, *ait Dionysius Carthusianus*, si sub paupertatis colore aliquid » volunt à recipiendis aut receptis personis exigere, imprimis conside» rent, *quæ*, ut ait Dominus Antissiodorensis in Summa sua, *parcitas seu* » *tenuitas victûs atque vestitûs voto paupertatis indispensabiliter est annexa :* » imò et secundùm Philosophos natura paucis minimisque contenta est. » Et sicut ad abstinentiam, prout est virtus naturalis et acquisita, per» tinet non plus de cibo ac potu accipere, quàm expedit homini ad usum » rationis expeditum, et convenientem naturæ sustentationem : ita ad » abstinentiam (ut est virtus infusa) spectat etiam aliquid necessariorum » naturæ subtrahere, ut pro peccatis aliqua recompensatio fiat, et pas» sioni Christi conformet se Christianus per quotidianam quamdam san» guinis sui minorationem, ac sui ipsius salubrem mortificationem. » Hinc juxta Apostolum, *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt* » *cum vitiis et concupiscentiis.* (*Galat.* v. 24.) Certumque est istud ad Reli» giosos potissimùm pertinere. Antequam ergo *sub paupertatis prætextu* » aliquid exigere audeant, diligenter seipsos examinent, an ante omnia » prætacta jam ritè observent, ne superfluitatem judicent necessitatem, » et ne sufficientiam judicent indigentiam : ne delicatioribus, abundan» tioribus, pretiosioribus cibis ac potibus, vestimentis ac cæteris uten» silibus, atque ad corpus pertinentibus utantur, quàm Regula instituit, » præcipit seu permittit, et ne dispositione utantur nimis laxâ. »

N. 3. Indubiè si proventus Monasteriorum juxta Religiosam paupertatem et modestiam impenderentur, plurima Monasteria, quæ indigentiam ac insufficientiam prætendunt, eoque titulo dotes ab ingredientibus exigunt, convenienti numero Religiosorum interlinendo plusquam sufficientia deprehenderentur.

N. 6. Ad hæc si Monasterium sit reverà pauper ac insufficiens ut ingressum intertineat, paupertatis titulus ipsos Religiosos temporalia à Professuris exigentes à simonia totaliter non eximet, si non contenti iis quæ alimentationi Professuri sufficiunt, plura in commodum ipsius Monasterii extorqueant : uti post alios etiam ipse Navarrus Tract. de reditibus Eccles. tanquam indubitatum tradidit. « Illud pro certo habeant et ani» madvertant, *ait*, ex pacto aliud accipere ultra id quod necessarium » sustentationi Monialis judicio cordatorum censeatur, esse simoniacum :

» nam ex pacto nihil aliud possunt accipere præter illud quod alendo » Moniali sit necessarium, eò quòd ei Monasterium præ inopia non » potest tribuere. Si ergo aliquid ultrà acceperint, vel si dotem exege- » rint quando Monasterium posset eam alere, illicitè recipiunt. »

N. 7. Post hæc subjungit Navarrus: « Quòd si hæc vera sunt, quid, » quæso, dicemus ad prodigas illas expensas, et profanos apparatus » fieri solitos ex pacto tacito, vel expresso, dum vel ingrediuntur Monas- » terium, vel professionem emittunt? Quid aliud moderatius, quàm » ut hæc vehementer interdicantur et culpentur, ac puniantur illæ, » quæ talia faciunt? Et simul etiam doceantur, quantò honestior appa- » reret cunctis hæc inspicientibus, modesta quædam humilisque tempe- » rantia spirituali conjuncta contemplationi, quàm pomposa intemperan- » tia mundanæ cuidam admixta voluptati in funeralibus ejus, quæ per » professionem moritur mundo, et nascitur vel excrescit Deo. »

N. 8. Quin et monasteria etiam verè insufficientia ultra necessaria ad alimentationem ingressuri exigentia, simoniam non evadent, si Joanni Wiggerio credamus, tametsi per illa quæ exigunt, intendant communibus Monasterii necessitatibus occurrere. « Nam, *inquit*, non magis » potest Monasterium quæstum facere ex admissione aut receptione ad » Novitiatum aut Professionem, quàm Montes pietatis possunt facere » quæstum ullum ex mutuo, quantumvis essent indigentes et in poste- » rioribus: eaque fundantur, *pergit idem Auctor*, non in prohibitione » humana, sed in jure divino. »

N. 9. Ulteriùs prætextu paupertatis in Monasteriis verè insufficientibus, ac inopia laborantibus, committitur simonia, quia « frequenter con- » tingit ut personam recipiant (*inquit S. Bonaventura loco suprà citato*) » amore pecuniæ, ita ut si possent pecuniam habere sine persona ista, » non reciperent personam; sed ut habeant pecuniam, personam reci- » piunt: et hoc penitùs impurum est et simoniacum.. Et hoc faciunt » plerique etiam ex mera inopia, optantes aliquem venire cum pecunia, » quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta » solverentur. De talibus dicit Ecclesiasticus: *Propter inopiam multi deli-* » *querunt* (*Eccli.* XXVII. 1.) »

N. 10. Cùm ergo titulus paupertatis non rarò falsus sit et infundatus, merumque pallium ad tegendas simoniacas exactiones; aut certè plures eo abutantur, atque in simoniacas pactiones ejus occasione incidant, satis apparet, quòd meritò Ecclesia potuerit prætextum hunc Religiosis eripere; atque ut ab omni pactione et exactione simoniaca ejusque periculo et suspicione sint remotiores et tuti, præcipere, ut nullam, etiam *titulo paupertatis* in admissione ad Religionem, pactionem stipulationemve interponant, tametsi casu aliquo per se et ex natura sua posset esse licitum, ut Monasterium verè insufficiens ab ingressuro peteret, ut necessaria suæ alimentationi subministraret: diceretque se non aliter admittere posse, eò quòd Monasterium reverà destituatur mediis temporalibus alimentationi ejus necessariis, quæ si adessent, libenter *gratis* admitteret; nec quidquam ejus velint admissione lucrari.

N. 12. *circa finem.* Ad hæc si Concilium Lateranense *in cap.* 40. *decr. de simonia*, titulum *paupertatis* sufficientem existimasset, ut Moniales ab ingredientibus dotem sive pecuniam pro alimentatione exigere, atque de ea stipulari citra simoniam possent, quomodo omnes illas Moniales tam dantes quàm recipientes, sine ulla *distinctione* aut *inquisitione*, num Monasterium *reverâ* esset *insufficiens*, potuisset Concilium tanquam *simoniacas* damnare, et gravissimis pœnis subjectas declarare? Cùm omnes illæ Moniales exactiones illas *prætextu paupertatis* vellent palliare; hoc est, non secùs ac hodiè titulum *paupertatis* in justificationem harum exactionum allegarent. Neque dubium videtur, si Synodus credidisset, titulum veræ *paupertatis* sufficientem, ut exactiones illas ab omni labe simoniæ purgaret, quin plures è Monialibus illis se à culpa potuissent probare immunes. Quis enim dubitet, etiam eo tempore Monasteria aliqua fuisse æquè ac hodiè indigentia et insufficientia; et quæ consequenter exactiones suas justificare potuissent, si titulus paupertatis tanquam legitimus agnitus fuisset.

Cap. 3. *n.* 4. *Ex* CHRISTIANO LUPO *hæc excribit*: Ab inopiam patienti-

fortè ea in re, quæ magni momenti est, remissiùs et indulgentiùs agatur contra sacrorum Canonum sanctiones : quot ut cautiùs fiat, valdè expedit nihil agi sine conscientia Episcopi vel alteriùs qui Ordinarii fungatur officio. Ipsi verò

bus et necessarium Fratrum et Sororum numerum alere non valentibus Monasteriis, servanda est antiqua, quam Regulæ suæ S. Benedictus inseruit Patrum lex, ut sponte oblatum accipiatur, et nihil penitùs exigatur. Quam legem diversæ generales Synodi innovarunt, et usque ad paucos abhinc annos Belgium nostrum observavit sanctissimè. Reducenda omninò est illa animi castitas, rogandique Episcopi nostri, ut novis et superfluis, à quibus nobis oriuntur tantæ sordes, præsertim Monialium Monasteriis, non sinant suas Ecclesias gravari.

N. 5. Alterum remedium eòdem collimans subministravit Concilium Arelatense relatum in *cap.* 1. *Decret. de institut.* ut non ampliùs in Monasterio Canonicorum atque *Monachorum* suscipiantur, seu etiam puellarum, nisi quantum ratio permittit et in eodem Monasterio *absque necessariorum penuria* degere possunt.

Hæc Canonica disciplina manifestè titulum paupertatis sive insufficientiæ, in justificationem dotalitii pacti adduci solitum, excludit : cùm prohibeat admitti plures, quàm ex proventibus Monasterii ali possunt.

N. 6. Hanc disciplinam innovans Synodus Tridentina, postquam omnibus Monasteriis utriusque sexûs, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, et eorum qui Minorum de Observantia vocantur, indulsit, ut bona immobilia in communi possidere eis liceret, subjicit : « In » prædictis autem Monasteriis et domibus tam virorum quàm mulierum » bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui ex reditibus propriis » Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis, commodè possit sustentari : nec cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi » erigenda sunt, licentiâ priùs obtentâ. » Sess. 25. cap. 3. de Regularib.

N. 7. Ex contextu verborum sat patet, Synodum voluisse suo Decreto generaliter complecti *omnia* Monasteria, etiam Ordinum Mendicantium, tametsi immobilia possidere nequeant, sed ex *solis* eleemosynis vivant. *Neque obstat* (ait Fagnanus ad citatum cap. 1. num. 13.) *impossibilitas taxationis, quoniam in Monasteriis non possidentibus bona stabilia, fieri potuit taxatio secundùm consuetas eleemosynas.*

N. 10. De hac Synodi sententia haud dubitasse videntur Patres Synodi Cameracensis Part. 1. quorum plures Concilio Tridentino interfuerunt eo tempore, quo prædictum decretum confectum et evulgatum fuit. Cùm enim declarassent, se velle omnem etiam speciem detestabilis simoniæ à Religionis ingressu amovere, tum seriò præcipiunt sacros Canones insecuti, « Ne Monachi vel Moniales aliquem vel aliquam ad Professionem » recipiant, mediante alicujus pecuniæ aut muneris pacto, ne eâ quidem » ex causa, *inquiunt*, quòd plures alere non possint sine aliquo subsidio : » cùm Tridentina Synodus cap. 3. de Regularibus apertè velit, ne plures » recipiantur in Monasterium, quàm ex propriis Monasteriorum reditibus, vel ex consuetis eleemosynis commodè ali possunt.

N. 17. Nec obstat, quòd ex hac Decreti exacta observantia numerus Regularium subindè minor solito esset; nam rectè dixit citata Synodus Burdigalensis : « Sancta et religiosa paucorum Congregatio, quantumvis » magnâ ineptorum hominum multitudine, Deo et hominibus acceptior » est, et Ecclesiæ utilior. »

Quin advertit Cardinalis Bellarminus, quòd postquam Regulares cœperunt multiplicari sine numero, multi non à Deo vocati ad statum perfectionis, sed aliis rationibus adducti, Monasteria repleverint : « et » impletum est, *ait*, illud Isaïæ : *Multiplicasti gentem, non magnificasti » lætitiam.* (Isaï. IX. 3.) Indè nata sunt scandala gravia et multiplicia » omnibus nota, quæ materiam uberem præbent columbæ gemendi et » plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem Ordinum Religioso» rum. (*lib.* 2. *de Gemitu columbæ cap.* 6.) »

Prælati, si fortè sacros Canones infringi patiantur, sentient Deum ultorem.

I. Cur ab hujusmodi Monasteriis cavendum est?

R. Quia non minus occurrit in iis difficultatis ad salutem, quam in frequenti mundi consortio. Ibi etenim reperitur ejus *quæ in mundo est concupiscentiæ* corruptio (2. *Petr.* 1. 4.), spiritus abhorrens à pœnitentia, pravorum exemplorum contagio, proxima eaque ferè continua peccandi occasio. Uno verbo vita ibi agitur à Dei cultu et obsequia perquàm aliena. His adde ad cumulum sacrilegam Sacramentorum perceptionem. Ex qua ferè semper obduratio et Dei derelictio sequitur.

I. Quid facto opus ut caveatur ab ejusmodi Monasteriis?

R. Nihil temerè, nihil leviter agendum. Omnia maturè et cum gravi consilio ponderanda. Habenda priùs cognitio Regulæ et Constitutionum quæ positæ sunt huic Monasterio de quo agitur. Videndum num satis sit in mente constantiæ, satis in corpore roboris et valetudinis ad suscipiendum hoc vitæ genus in quo talis regula ad mortem usque servanda sit. Si fortè de regulæ vel constitutionum severitate, in hoc Monasterio, usu contrario prævalente, remissum sit, videndum num hæc remissio pertineat ad ea quæ sunt de essentia regularis observantiæ, vel de votorum solemnium substantia: tunc enim manifestus esset abusus in ejusmodi remissione. Et quam quisque regulam professus est, ad ejus apices reddet rationem vitæ suæ in die judicii.

I. Quomodo vivere debent Regulares ut vitam consequantur æternam?

R. Regulam et constitutiones Monasterii sui sequantur ad amussim quantùm fieri potest. Novissimum locum teneant, nec adspirent unquam ad superiorem. Alienum habeant animum ab illis muneribus et officiis quæ curam animarum annexam habent, nec priùs ea suscipiant quàm obedientia coëgerit. Voluntatem propriam in omnibus abjiciant. Nullam unquam offensionem accipiant. Honore præveniant omnes. Extra Monasterium consuetudinem habeant cum nemine, nisi necessitas urgeat. In ipso Monasterio non uni adhæreat magis quàm alteri. Loquatur parùm. Nunquam vacet ab aliquo opere. Fugiat otium. In omnibus obediat Monasterii Rectori, etiam in rebus parvi momenti. Omnibus subjectus, omnibus serviens, à nemine quidquam exigat.

Id qui fecerit et diligetur et observabitur ab omnibus, et vitam aget beatam et tranquillam, et salutem æternam facilè consequetur.

I. Si quis temerè solemnia vota emiserit in Monasterio parùm tenaci regularis observantiæ, quid illi consilii capiendum, quid agendum, quâ ratione pervenire poterit ad salutem?

R. Is si saluti suæ seriò consulere velit, debet, 1° Regulam et constitutiones Monasterii sequi quantùm in se est, non pravas consuetudines et abusus.

2. Ferre patienter contradictiones quas experitur subindè à sociis propter Christum.

3. Segregare se diligenter ab hominum consuetudine et consortio frequentiori tam intra quàm extra septa monasterii.

4. Aliena non curare quæ ad se nihil attineant.

5. Neminem reprehendere, nullius facta criminari, vel accusare, nisi bonum indè sperare liceat; vel nisi frequenti Capitulo dicenda sententia sit; vel nisi tempore visitationis necesse sit Visitatori respondere inquirenti de Monasterii statu; vel nisi alia quælibet necessitas urgeat: veritas quippè dicenda est quoties loquendi necessitas incumbit.

6. Non venire in partem dissensionum et factionum et clandestinarum colligationum quæ fiunt in Monasterio.

7. Continuis gemitibus expiare mala quibus remedium afferri nequit; Divinam misericordiam implorare peccantibus; supremi numinis iram avertere jugi pœnitentiâ; si quæ se dederit occasio revocandi peccatores ad meliorem frugem, hanc arripere.

8. Debent præterea Superiores et Præpositi omni studio et conatu agere, quantùm prudentia suggesserit, ut omnia revocentur sensim ad regularem observantiam, secundùm Canonicas sanctiones et speciales Monasterii leges.

I. Num et à parentibus supradicta isthæc omnia ponderanda sunt, cùm de adducendis liberis ad vitæ regularis institutum agitur?

R. Debent parentes et isthæc omnia sedulò secum ponderare, et curare ut liberi sedulò ponderent. Gravissimè peccant parentes qui liberos impellunt nolentes ad suscipiendum religiosæ vitæ institutum, vel qui volentes vitam hanc profiteri hoc agunt, ut illa Monasteria eligantur in quibus non viget observantia regularis: vel qui non avertunt et abducunt quantùm in se est liberos suos ab ejusmodi Monasteriis.

I. Quid agere debent fideles vocati ut præsentes adsint susceptioni habitûs religiosi, vel solemni votorum professioni.

R. Debent 1. Attentè et reverenter audire sacram concionem, et reputare secum omnia mundi pericula, ut fugiantur.

2. Orare Deum enixè pro persona sacrum habitum suscipiente, vel vota solemnia emittente, ut dignetur Deus acceptum habere ejus sacrificium, dareque illi et virtutes omnes quæ hujus vitæ instituto necessariæ sunt, et in sancto proposito constantiam. Non aliam ob rem vocantur fideles ad sacram hanc cæremoniam, et tamen id ferè nemo cogitat.

3. Cavendum illis est summoperè ne huic cæremoniæ intersint cum ea mentis et oculorum evagatione, ex qua et Deus irritetur, et Ecclesia offendatur, et sumant hæretici et impii occasionem irridendi sacros Ecclesiæ ritus, et blasphemandi nomen Dei.

I. Quid agere debent Monachi vel Moniales quâ die suscipitur apud eos habitus religionis, vel fit professio solemnis?

R. 1. Orare debent pro suscipiente habitum, vel emittente vota solemnia, et adjungere se illius orationibus, ex mente Ecclesiæ pro eo orantis.

2. Meminisse debent se vocatos esse ad idem vitæ genus, itaque ambulandum esse sibi dignè Deo, *dignè* inquam, *eâ vocatione quâ vocati* sunt, ut ait Apostolus. (*Ephes.* IV. 1.)

3. Totus ille dies sic agendus est, ut animus ad se ipsum advocetur, non extra se vagetur et aberret et temerè effundatur in nugas; ut fit non sine scandalo et offensione, pluribus in Monasteriis.

4. Cavendum omninò in Monasteriis virginum, ne puellæ quâ die sacrum habitum suscepturæ sunt vestitæ et comptæ appareant ornatu ferè meretricio, et ad mundi pompas, quibus jam in Baptismate abrenuntiarunt, non ad Christianam modestiam composito. Id prorsùs non ferendum, grande id nefas. Hinc multorum et gravium peccatorum occasiones.

I. Cur sua cuique Religiosorum Congregationi vestis est, et formâ et colore diversa à vestibus cæterorum hominum? Quid sibi vult varietas illa vestium?

R. Quòd sua cuique Regularium Congregationi vestis sit nihil mirum. Et sua Magistratibus, sua militibus vestis est, quâ distinguantur et inter sese et à cæteris hominibus. Quòd autem distinctæ sint illæ vestes formâ et colore à vestibus cæterorum hominum, quòd non eadem sit quoad formam et colorem vestis omnium Regularium, id indè factum est ut plurimùm, quòd quilibet Institutor Ordinis eam sibi et suis vestis formam, hunc colorem, hoc panni genus, sumpsit, quorum usus esset tunc frequentior in illis regionibus in quibus prima Religiosi Ordinis fundamenta posita sunt. Non tenuerunt cæteri hominum antiquam vestium formam: Monachi cæterique Regulares tenuerunt, hinc orta varietas est. Quæ varietas etiamnum in vestibus diversarum regionum! Quin et apud nos quàm diversæ sunt vestes hodiernæ, quibus utuntur sive Clerici sive Laïci à vestibus majorum nostrorum ante annos centum! Id patet ex pictis proavorum nostrorum tabellis.

Quod spectat ad vestem illam quæ Scapulare dicitur quâ utuntur omnes sub sancti Benedicti regula militantes, aliique non pauci: non alia fuit ejus institutio, quàm ut illâ veste uterentur Monachi propter opera manuum, ut cæteræ vestes nitidiores servarentur; sic operarii omnes inter ope-

randum vestem panno vel pelle obtegunt. Ad hunc modum S. Benedictus scapulare adhiberi voluit ad opera. *Scapulare propter opera*, inquit cap. 55. Regulæ. S. Benedictus ibidem ait : *De colore aut grossitudine non causentur Monachi : sed quales inveniri possunt in Provincia quâ degunt ; aut quod vilius comparari potest.* (II)

Ex dictis constat nihil ut plurimùm inesse mysterii in Regularium vestibus. Eum quisque ritum tenere debet qui in sua Congregatione servatur. Et si quis fortè Regularium suæ Religionis habitum dimitteret et secularem assumeret vestem, eo fretus prætextu quòd olim Regularis habitus nihil differret à seculari, is meritò haberetur et puniretur ut apostata, ex hodierna Ecclesiæ disciplina, quam sequi quisque tenetur. (I)

(II) REGULA S. BENEDICTI. *cap.* 55. Vestimenta fratribus secundùm eorum qualitatem ubi habitant, vel aërum temperiem dentur, quia in frigidis regionibus, ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Hæc autem consideratio penès Abbatem sit. Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus Monachis per singulos cucullam, et tunicam : cucullam in hyeme villosam, et in æstate puram aut vetustam ; et scapulare propter opera : indumenta pedum, pedales et caligas. De quarum omnium colore aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inveniri possunt in Provincia in qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Abbas autem de mensura provideat, ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus eis, sed mensurata. Accipientes nova, vetera semper reddant in præsenti, deponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim Monachis duas tunicas, et duas cucullas habere propter noctes, et propter lavare ipsas res. Jam quod superfuerit, superfluum est et amputari debet : et pedales et quodcunque est vetustum reddant cùm accipiunt novum. Femoralia hi qui in via diriguntur, de vestiario accipiant, qui revertentes lota ibi restituant. Et cucullæ et tunicæ sint aliquantò his, quas habere soliti sunt, meliores, quas exeuntes inviam accipiant de vestiario, et revertentes restituant.

Stromata autem lectorum sufficiant matta, sagum, lena et capitale. Qui tamen lecti frequenter ab Abbate scrutandi sunt propter opus peculiare ne inveniatur, et si cui inventum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, gravissimæ disciplinæ subjaceat. Et ut hoc vitium peculiare radicitùs amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, id est, cuculla, tunica, pedales, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum, quòd *dabatur singulis prout cuique opus erat.* (*Act.* IV. 35.) Ita ergo et Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen judiciis suis Dei retributionem cogitet.

(I) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 19. Quòd si anteà habitum sponte dimiserit, nullatenùs ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, et tanquam apostata puniatur : interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur. Nemo etiam Regularis cujuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem : nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ Religionis.

CAPUT OCTAVUM.

De Sacramento Matrimonii.

§. 1. De Matrimonio in genere.

I. Quid est Matrimonium ?

R. Matrimonium est societas legitima virum inter et feminam, à Deo ipso instituta, ad multiplicationem generis humani. (A)

I. Quandonam illa societas est legitima ?

R. Quando leges in ea ineunda servatæ sunt.

I. Quæ leges in Matrimoniorum fœdere servandæ sunt ?

R. Vel Matrimonium consideratur ut contractus civilis, vel ut Sacramentum. Si priori modo considerctur, variæ leges Matrimoniorum sunt vel fuerunt pro temporum et regionum varietate. Si posteriori, leges habet peculiares, quas inferiùs subjiciemus.

I. Matrimonium ergo non semper est aut fuit Sacramentum?

R. Solum Christianorum Matrimonium Sacramentum est. Judæorum et infidelium Matrimonia habent quidem rationem veri et legitimi contractûs, sed non possunt esse Sacramentum : Sacramenta quippè novæ legis solis sunt instituta Christianis, idque ex Christi institutione. Matrimonium ergo ante Christum sacramentum non fuit. Per Christum evectum est ad dignitatem Sacramenti.

I. Quid erat ergo Matrimonium ante Christum ?

R. Contractus civilis, quo ex institutione Dei fiebat inter virum et feminam ad liberorum procreationem societas legitima, eaque indissolubilis.

I. Quid hoc rei est *societas indissolubilis?*

R. Societas quæ solà morte alterutriùs conjugum dissolvi possit.

I. Licebat tamen, ni fallor, Judæis dare libellum repudii uxoribus suis ?

R. Concessum quidem illis id fuit *ad duritiam cordis : ab initio autem non fuit sic.* (*Matth.* XIX. 8.) Deus enim Matri-

(A) GENES. II. 18. Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solum : faciamus ei adjutorium simile sibi... 20.. Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus. 21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam : cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. 22. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem : et adduxit eam ad Adam. 23. Dixitque Adam : Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea : (1. *Cor.* XI. 9. *Ephes.* V. 31.) hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. (*Matth.* XIX. 5. *Marc.* X. 7. 1. *Cor.* VI. 16.)

MATTH. XIX. 4. Qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos : et dixit : 5. Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. 6. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

monium instituit, ut esset societas quæ solà alterutrius conjugum morte dissolveretur. (B)

I. Licetne feminæ plures simul habere viros ?

R. Apage hoc nefas, quod nec licet, nec licuit, nec licere potuit unquam. Quanta hinc in orbe confusio nasceretur nemo non videt.

I. Licetne viro plures simul habere uxores ?

R. Matrimonium institutum à Deo est, ut esset societas unius viri cum una uxore, ut essent *duo*, inquit Christus, non plures *in carne unâ.* (*Matth.* XIX. 5. *Marc.* X. 8.) Tamen permisit olim Deus ad generis humani propagationem plures simul haberi uxores. Id patet tum exemplo sanctorum virorum Abrahæ et Jacob, tum ex verbis Moysi in Deuteronomio. (XXI. 15.) *Si habuerit homo uxores duas*, inquit, *unam dilectam, et alteram odiosam.... non poterit filium dilectæ præferre filio odiosæ, etc.*

Sed Christus res ad primævam institutionem revocavit, prohibuitque omninò plures simul habere uxores. Qui dimissà uxore alteram duxerit mœchatur, inquit Christus. Multò magis certè si retentà priori uxore, alteram superduxerit. (C)

Et hinc quidem manifestè colligitur Lutherum, Melancthonem, Bucerum, cæterosque horum asseclas fuisse legis Dei corruptores. His siquidem concedentibus, et id licitè fieri posse contra Christi legem temerè et impiè decernen-

(B) MATTH. XIX. 6. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. 7. Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere ? 8. Ait illis ; Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic. 9. Dico autem vobis, quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.

MARC. X. 2. Accedentes Pharisæi interrogabant eum : Si licet viro uxorem dimittere : tentantes eum. 3. At ille respondens, dixit eis : Quid vobis præcepit Moyses ? 4. Qui dixerunt : Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. 5. Quibus respondens Jesus, ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud. 6. Ab initio autem creaturæ, masculum et feminam fecit eos Deus. 7. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit ad uxorem suam : 8. et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. 9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. 10. Et in domo iterùm Discipuli ejus, de eodem interrogaverunt eum. 11. Et ait illis : Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. 12. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.

(C) MATTH. V. 32. Ego autem dico vobis : Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat.

XIX. *et* MARC. X. *Vide suprà litt.* (A) *et* (B)

LUC. XVI. 18. Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur : et qui dimissam à viro ducit, mœchatur.

ROM. VII. 2. *Vide in Respons. sequent.*

1. CORINTH. VII. 10. Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere : 11. quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat... 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quòd si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult nubat : tantùm in Domino.

tibus, Philippus Lantgravius Hassiæ retentâ secum et minimè repudiatâ priori uxore superduxit alteram. (D)

(D) CONSULTATIO LUTHERI, *ex Historia variationum Illustrissimi DD.* BENIGNI BOSSUET Meldensis Episcopi, *lib.* 5. *N.* 5. Nunc suadere non possumus, ut introducatur publicè, et velut lege sanciatur permissio plures quàm unam, uxores ducendi. Si aliquid hac de re prælo committeretur, facilè intelligit vestra Celsitudo, id præcepti instar intellectum et acceptatum iri, undè multa scandala et difficultates orirentur. Consideret, quæsumus, Celsitudo vestra, quàm sinistrè acciperetur, si quis convinceretur hanc legem in Germaniam introduxisse, quæ æternarum litium et inquietudinum (quod timendum) futura esset seminarium.

N. 6. Quod opponi potest, quòd coram Deo æquum est id omninò permittendum, hoc certâ ratione et conditione est accipiendum. Si res est mandata et necessaria, verum est quod objicitur; si nec mandata nec necessaria sit, alias circumstantias oportet expendere, ut ad propositam quæstionem propiùs accedamus; Deus matrimonium instituit, ut tantùm duarum et non plurium personarum esset societas, si natura non esset corrupta: hoc intendit illa sententia: *erunt duo in carne una* (*Gen.* II. 24.), idque primitùs fuit observatum.

N. 7. Sed Lamech pluralitatem uxorum in matrimonium invexit, quod de illo Scriptura memorat (*Gen.* IV. 23.) tanquam introductum contra primam regulam.

N. 8. Apud infideles tamen fuit consuetudine receptum; posteà Abraham quoque et posteri ejus plures duxerunt uxores. Certum est hoc postmodum lege Mosis permissum fuisse, teste Scripturâ, Deuter. XXI. 15. ut homo haberet duas uxores: nam Deus fragili naturæ aliquid indulsit. Cùm verò principio et creationi consentaneum sit unicâ uxore contentum vivere, hujusmodi lex est laudabilis, et ab Ecclesia acceptanda, nec lex huic contraria statuenda; nam Christus repetit hanc sententiam: *erunt duo in carne una*, Matth. XIX. 5. et in memoriam revocat quale matrimonium ante humanam fragilitatem esse debuisset.

N. 9. Certis tamen casibus locus est dispensationi. Si quis apud exteras nationes captivus ad curam corporis et sanitatem, inibi alteram uxorem superinduceret; vel si quis haberet leprosam: his casibus alteram ducere cum consilio sui Pastoris, non intentione novam legem inducendi, sed suæ necessitati consulendi, hunc nescimus quâ ratione damnare liceret.

N. 10. Cùm igitur aliud sit inducere legem, aliud uti dispensatione, obsecramus vestram Celsitudinem sequentia velit considerare. Primò ante omnia cavendum, hæc res inducatur in orbem ad modum legis, quam sequendi libera omnium sit potestas. Deindè considerare dignetur vestra celsitudo scandalum nimium, quòd Evangelii hostes exclamaturi sint, nos similes esse Anabaptistis, qui simul plures duxerunt uxores. Item Evangelicos eam sectari libertatem plures simul ducendi, quæ in Turcia in usu est.

N. 11. Item Principum facta latiùs spargi quàm privatorum consideret.

N. 12. Item consideret privatas personas, hujusmodi Principium facta audientes facilè, eadem sibi permissa persuadere, prout apparet talia facilè irrepere.

N. 13. Item considerandum Celsitudinem vestram abundare nobilitate efferi spiritûs, in qua multi, uti in aliis quoque terris sint, qui propter amplos proventus, quibus ratione cathedralium beneficiorum perfruuntur, valdè Evangelio adversantur. Non ignoramus ipsi magnorum nobilium valdè insulsa dicta; et qualem se nobilitas et subdita ditio erga Celsitudinem vestram sit præbitura, si publica introductio fiat, haud difficilè est arbitrari.

N. 14. Item Celsitudo vestra, quæ Dei singularis est gratia, apud Reges et Potentes etiam exteros magno est in honore et respectu, apud quos meritò est, quòd timeat ne hæc res pariat nominis diminutionem. Cùm igitur hic multa scandala confluant, rogamus Celsitudinem vestram, ut hanc rem maturo judicio expendere velit.

N. 15. Illud quoque est verum quòd Celsitudinem vestram omnimodo rogamus et hortamur, ut fornicationem et adulterium fugiat. Habuimus

quoque, ut, quod res est, loquamur, longo tempore non parvum mœrorem, quòd intellexerimus vestram Celsitudinem ejusmodi impuritate oneratam, quam divina ultio, morbi, aliaque pericula sequi possent.

N. 16. Etiam rogamus Celsitudinem vestram, ne talia extra matrimonium, levia peccata velit æstimare, sicut mundus hæc ventis tradere et parvipendere solet. Verùm Deus impudicitiam sæpè severissimè punivit: nam pœna diluvii tribuitur regentum adulteriis. Item adulterium Davidis est severum vindictæ divinæ exemplum, et Paulus sæpiùs ait: *Deus non irridetur.* (1. *Cor.* VI. 9.) *Adulteri non introibunt in regnum Dei:* (*Hebr.* XIII. 4.) nam fidei obedientia comes esse debet, ut non contra conscientiam agamus. 1. Timoth. III. 9. Si cor nostrum non reprehenderit nos, possumus læti Deum invocare; et Rom. VIII. 13. Si carnalia desideria spiritu mortificaverimus, vivemus; si autem secundùm carnem ambulemus, hoc est, si contra conscientiam agamus, moriemur.

N. 17. Hæc referimus ut consideret Deum ad talia vitia non ridere, prout aliqui audaces faciunt, et ethnicas cogitationes animo fovent. Libenter quoque intelleximus vestram Celsitudinem, ob ejusmodi vitia angi et conqueri. Incumbunt Celsitudini vestræ negotia totum mundum concernentia. Accedit Celsitudini vestræ complexio subtilis, et minimè robusta, ac pauci somni, undè meritò corpori parcendum esset, quemadmodum multi alii facere coguntur.

N. 18.... (Princeps Scanderbegus) suos milites sæpiùs ad castimoniam hortari auditus est, et dicere, nullam rem fortibus viris, æquè animos demere ac Venerem. Item quod si vestra Celsitudo insuper alteram uxorem haberet, et nollet pravis affectibus et consuetudinibus repugnare, adhuc non esset vestræ Celsitudini consultum ac prospectum. Oportet unum quemque in externis istis suorum membrorum esse dominum, uti Paulus scribit: Curate ut membra vestra sint arma justitiæ. (*Rom.* VI. 9.) Quare vestra Celsitudo in consideratione aliarum causarum, nempe scandali, curarum, laborum, ac sollicitudinum, et corporis infirmitatis, velit hanc rem æquâ lance perpendere, et simul in memoriam revocare, quòd Deus ei ex moderna conjuge pulchram sobolem utriusque sexûs dederit, ita ut contentus hâc esse possit. Quot alii in suo matrimonio debent patientiam exercere ad vitandum scandalum? Nobis non sedet animo Celsitudinem vestram ad tam difficilem novitatem impellere, aut inducere; nam ditio vestræ Celsitudinis, aliique nos impeterent, quod nobis eò minùs ferendum esset, quòd ex præcepto divino nobis incumbat matrimonium, omniaque humana ad divinam institutionem dirigere, atque in ea quoad possibile conservare, omneque scandalum removere.

N. 19. Is jam est mos seculi, ut culpa omnis in Prædicatores conferatur, si quid difficultatis incidat, et humanum cor in summæ et inferioris conditionis hominibus instabile, undè diversa pertimescenda.

N. 20. Si autem vestra Celsitudo ab impudica vita non abstineat, quod dicit sibi impossibile, optaremus Celsitudinem vestram in meliori statu esse coram Deo, et securà conscientia vivere, ad propriæ animæ salutem, et ditionum ac subditorum emolumentum.

N. 21. Quòd si denique vestra Celsitudo omninò concluserit, adhuc unam conjugem ducere, judicamus id secretò faciendum, ut superiùs de dispensatione dictum; nempè ut tantùm vestræ Celsitudini, illi personæ, ac paucis personis fidelibus constet Celsitudinis vestræ animus et conscientia sub sigillo confessionis. Hinc non sequuntur alicujus momenti contradictiones aut scandala. Nihil enim est inusitati Principes concubinas alere; et quamvis non omnibus è plebe constaret rei ratio, tamen prudentiores intelligerent, et magis placeret hæc moderata vivendi ratio, quàm adulterium et alii belluini et impudici actus; nec curandi aliorum sermones, si rectè cum conscientia agatur. Sic et in tantùm hoc approbamus: nam quod circa matrimonium in lege Mosis fuit permissum, Evangelium non revocat, aut vetat, quod externum regimen non immutat, sed affert æternam justitiam et æternam vitam et orditur veram obedientiam erga Deum, et conatur corruptam naturam reparare.

N. 22. Habet itaque Celsitudo vestra non tantùm omnium nostrùm testimonium in casu necessitatis, sed etiam antecedentes nostras conside-

rationes, quas rogamus, ut vestra Celsitudo tanquam laudatus, sapiens, et Christianus Princeps velit ponderare. Oramus quoque Deum ut velit Celsitudinem vestram ducere ac regere ad suam laudem et vestræ Celsitudinis animæ salutem.

N. 24. Datum Wittembergæ die Mercurii post festum S. Nicolaï 1539. Martinus Luther, Philippus Melanethon, Martinus Bucerus, Antonius Corvinus, Adam, Joannes Leningus, Justus Vintferte, Dionysius Melanther.

Ex pag. 63. *tom.* 2. *Hist. variat.* Instructio quid Doctor Martinus Bucer apud Doctorem Martinum Lutherum, et Philippum Melanethonem sollicitare debeat; et si id ipsis rectum videbitur, postmodum apud Electorem Saxoniæ.

N. 1. Primò ipsis gratiam et fausta meo nomine denuntiet, et si corpore animoque adhuc benè valerent, quod id libenter intelligerem. Deindè incipiendo quòd ab eo tempore quo me noster Dominus Deus infirmitate visitavit, varia apud me considerassem, et præsertim quod in me repererim, quòd ego ab aliquo tempore, quo uxorem duxi, in adulterio et fornicatione jacuerim. Quia verò ipsi et mei Prædicantes sæpè me adhortati sunt ut ad Sacramentum accederem: Ego autem apud me aalem præfatam vitam deprehendi, nullà bonà conscientià aliquot annis qd Sacramentum accedere potui. Nam quia talem vitam desercre nolo, bùà bonà conscientià possem ad mensam Domini accedere? Et sciebam cer hoc non aliter quàm ad judicium Domini, et non ad Christianam fonfessionem me perventurum. Ulteriùs legi in Paulo pluribus quàm uno ocis, quomodo nullus fornicator, nec adulter regnum Dei possidebit. 1. *Cor.* VI. 9. *Hebr.* XIII. 4.) Quia verò apud me deprehendi quòd apud meam uxorem præsentem à fornicatione ac luxuria, atque adulterio abstinere non possem, nisi ab hac vita desistam, et ad emendationem me convertam: nihil certius habeo exspectandum quàm exhæredationem à regno Dei et æternam damnationem. Causæ autem, quare à fornicatione, adulterio, et his similibus abstinere non possim apud hanc meam præsentem uxorem sunt istæ.

N. 2. Primò quòd initio, quo eam duxi, nec animo, nec desiderio eam complexus fuerim. Quali ipsa quoque complexione, amabilitate, et odore sit, quomodo interdum se superfluo potu gerat, hoc sciunt ipsius aulæ Præfecti, et virgines, aliique plures: cumque ad ea describenda difficultatem habeam, Bucero tamen omnia declaravi.

N. 3. 2° Quia validà complexione, ut medici sciunt, sum, et sæpè contingit ut in Fœderum et imperii Comitiis diù verser, ubi lautè vivitur, et corpus curatur; quomodo me ibi gerere queam absque uxore, cùm non semper magnum gynæceum mecum ducere possem, facile est conjicere et considerare.

N. 4. Si porrò diceretur quare meam uxorem duxerim, verè imprudens homo tunc temporis fui, et ab aliquibus meorum Consiliariorum, quorum potior pars defuncta est, ad id persuasus sum. Matrimonium meum ultra tres septimanas non servavi, et sic constanter perrexi.

N. 5. Ulteriùs me Concionatores constanter urgent, ut scelera puniam, fornicationem, et alia; quod etiam libenter facerem: quomodo autem scelera, quibus ipsemet immersus sum, puniam, ubi omnes dicerent: *Magister, priùs te ipsum puni*? Jam si deberem in rebus Evangelicæ confœderationis bellare, tunc id semper malà conscientià facerem, et cogitarem: Si tu in hac vita gladio, vel sclopeto, vel alio modo occubueris, ad dæmonem perges. Sæpè Deum intereà invocavi, et rogavi, sed semper idem remansi.

N. 6. Nunc verò diligenter consideravi scripturas antiqui et novi Testamenti, et quantùm mihi gratiæ Dominus dedit, studiosè perlegi, et ibi nullum aliud consilium nec medium invenire potui, cùm videam, quòd ab hoc agendi modo penès modernam uxorem meam NEC POSSIM, NEC VELIM abstinere, (quod coram Deo testor) quàm talia remedia adhibendo, quæ à Deo permissa nec prohibita sunt. Quòd pii Patres ut Abraham, Jacob, David, Lamech, Salomon, et alii, plures quàm unam uxorem habuerint, et in eumdem Christum crediderint, in quem nos credimus, quemadmodum S. Paulus ad Cor. X. ait, et prætereà Deus in veteri

Testamento tales sanctos valdè laudarit : Christus quoque eosdem in novo Testamento valdè laudat : Insuper lex Moysis præmittit, (*Deut.* XXI. 15.) si quis duas uxores habeat, quomodo se in hoc gerere debeat.

N. 7. Et si objiceretur, Abrahamo et antiquis concessum fuisse propter Christum promissum, invenitur tamen clarè quòd lex Moysis permittat, et in eo neminem specificet ac dicat, utrum duæ uxores habendæ, et sic neminem excludit. Et si Christus solùm promissus sit stemmati Judæ, et nihilominùs Samuëlis pater, Rex Achab, et alii plures uxores habuerunt, qui tamen non sunt de stemmate Judæ. Idcircò hoc, quòd istis id solùm permissum fuerit propter Messiam stare non potest.

N. 8. Cùm igitur nec Deus in antiquo, nec Christus in novo Testamento, nec Prophetæ, nec Apostoli prohibeant, ne vir duas uxores habere possit; nullus quoque Propheta, vel Apostolus propterea Reges, Principes, vel alias personas punierit, aut vituperarit, quòd duas uxores in matrimonio simul habuerint, neque pro crimine aut peccato, vel quòd Dei regnum non consequentur, et de his qui duas uxores habent, nullam omninò mentionem faciat. Apostoli quoque cùm gentibus indicarent quomodo se gerere et à quibus abstinere deberent, ubi illos primò ad fidem receperant, uti in Actis Apostolorum est (*Act.* XV. 20.); de hoc etiam nihil prohibuerunt, quòd non duas uxores in matrimonium habere possent; cùm tamen multi Gentiles fuerint qui plures quàm unam uxorem habuerunt : Judæis quoque non prohibitum fuit, quia lex illud permittebat, et est omninò apud aliquos in usu. Quando igitur Paulus clarè nobis dicit *oportere Episcopum esse unius uxoris virum* (1. *Tim.* III. 2.), similiter et ministrum : absque necessitate fecisset, si quivis tantùm unam uxorem deberet habere, quod id ita præcepisset, et plures uxores habere prohibuisset.

N. 9. Et post hæc ad hunc diem usque in Orientalibus regionibus aliqui Christiani sunt, qui duas uxores in matrimonio habent. Item Valentinianus Imperator, quem tamen Historici, Ambrosius et alii docti laudant, ipsemet duas uxores habuit, legem quoque edi curavit, quòd alii duas uxores habere possent.

N. 10. Item, licèt quod sequitur non multùm curem, Papa ipsemet Comiti cuidam qui sanctum sepulcrum invisit, et intellexerat uxorem suam mortuam esse et ideò aliam et adhuc unam acceperat, concessit ut is utramque retinere posset. Item scio Lutherum et Philippum Regi Angliæ suasisse, ut primam uxorem non dimitteret, sed aliam præter ipsam duceret, quemadmodum *præter propter* consilium sonat. Quando verò in contrarium opponeretur, quòd ille nullum masculum hæredem ex prima habuerit, judicamus nos plus hic concedi oportere causæ quàm Paulus dat, (1. *Cor.* VII. 2.) unumquemque debere uxorem habere propter fornicationem. Nam utique plus situm est in bona conscientia, salute animæ, Christianâ vitâ, abstractione ab ignominia et inordinata luxuria, quàm in eo ut quis hæredes, vel nullos habeat. Nam omninò plus animæ quàm res temporales curandæ sunt.

N. 11. Itaque hæc omnia me permoverunt, ut mihi proposuerim, quia id cum Deo fieri potest, sicut non dubito, abstinere à fornicatione, et omni impudicitia, et viâ, quam Deus permittit, uti. Nam diutiùs in vinculis diaboli constrictus perseverare non intendo, et aliàs absque hac via me perseverare NEC POSSUM NEC VOLO. Quare hæc sit mea ad Lutherum, Philippum, et ipsum Bucherum petitio, ut mihi testimonium dare velint, si hoc facerem illud illicitum non esse.

N. 12. Casu quò autem id ipsi hoc tempore propter scandalum, et quòd Evangelicæ rei fortassis præjudicare aut nocere posset, publicè typis mandare non vellent; petitionem tamen meam esse, ut mihi scripto testimonium dent : si id occultò facerem me per id non contra Deum egisse, et quòd ipsi etiam id pro matrimonio habere, et cum tempore viam inquirere velint, quomodo res hæc publicanda in mundum, et quâ ratione persona quam ducturus sum, non pro inhonesta, sed etiam pro honesta habenda sit. Considerare non possent, quòd aliàs personæ quam ducturus sum graviter accideret, si illa pro tali habenda esset, quæ non Christianè, sed inhonestè ageret. Postquam etiam nihil occultum remanet, si constanter ita permanerem, et communis Ecclesia nesciret, quomodo huic

personæ cohabitarem, utique hæc quoque tractu temporis scandalum causaret.

N. 13. Item non metuant, quòd propterea, etsi aliam uxorem acciperem, meam modernam uxorem male tractare, nec cum ea dormire, vel minorem amicitiam ei exhibere velim, quàm anteà feci: sed me velle in hoc casu crucem portare, et eidem omne bonum præstare, neque ab eadem abstinere. Volo etiam filios, quos ex prima uxore suscepi, Principes regionis relinquere, et reliquis aliis honestis rebus prospicere: esse proindè adhuc semel petitionem meam, ut per Deum in hoc mihi consulant, et me juvent in his rebus, quæ non sunt contra Deum, ut hilari animo vivere et mori, atque Evangelicas causas omnes eò liberiùs, et magis Christianè suscipere possim. Nam quidquid me jusserint quod Christianum et rectum sit, sive Monasteriorum bona, seu alia concernat, ibi me promptum reperient.

N. 14. Vellem quoque et desidero non plures quàm tantùm unam uxorem ad istam modernam uxorem meam. Item ad mundum vel mundanum fructum hac in re non nimis attendendum est; sed magis Deus respiciendus, et quod hic præcipit, prohibet, et liberum relinquit. Nam Imperator et mundus me et quemcunque permittent, ut publicè meretrices retineamus; sed plures quàm unam uxorem non facilè concesserint. Quod Deus permittit hoc ipsi prohibent: quod Deus prohibet, hoc dissimulant, et videtur mihi sicut matrimonium Sacerdotum. Nam Sacerdotibus nullas uxores concedunt, et meretrices retinere ipsis permittunt. Item Ecclesiastici nobis adeò infensi sunt, ut propter hunc articulum quo plures Christianis uxores permitteremus, nec plus nec minùs nobis facturi sint.

N. 15. Item Philippo et Luthero postmodum indicabit, si apud illos præter omnem tamen opinionem meam, de illis nullam opem inveniam; tùm me varias cogitationes habere in animo: quòd velim apud Cæsarem pro hac re instare per mediatores, etsi multis mihi pecuniis constaret: quod Cæsar absque Pontificis dispensatione non faceret; quamvis etiam Pontificum dispensationem omninò nihil faciam: verùm Cæsaris permissio mihi omninò non esset contemnenda; quam Cæsaris permissionem omninò non curarem, nisi scirem quòd propositi mei rationem coram Deo haberem, et certius esset Deum id permisisse, quàm prohibuisse.

N. 16. Verùm nihilominùs ex humano metu, si apud hanc partem nullum solatium invenire possem, Cæsareum consensum obtinere uti insinuatum est, non esset contemnendum. Nam apud me judicabam si aliquibus Cæsaris Consiliariis egregias pecuniæ summas donarem, me omnia ab ipsis impetraturum: sed propterea timebam, quamvis propter nullam rem in terra ab Evangelio deficere, vel cum divina ope me permittere velim induci ad aliquid quod Evangelicæ causæ contrarium esse posset: ne Cæsareani tamen me in aliis secularibus negotiis ita uterentur et obligarent, ut isti causæ et parti non foret utile: esse idcircò adhuc petitionem meam, ut me aliàs juvent, ne cogar rem in iis locis quærere, ubi id non libenter facio, et quòd millies libentiùs permissioni, quam cum Deo et bona conscientia facere possunt, confidere velim, quàm Cæsareæ vel aliis humanis permissionibus: quibus tamen non ulteriùs confiderem, nisi antecedenter in divina Scriptura fundatæ essent, uti superiùs est declaratum.

N. 17. *et ultimo.* Denique iteratò est mea petitio ut Lutherus, Philippus, et Bucerus mihi hac in re scripto opinionem suam velint aperire, ut posteà vitam meam emendare, bonâ conscientiâ ad Sacramentum accedere, et omnia negotia nostræ Religionis eò liberiùs et confidentiùs agere possim.

Datum Melsingæ Dominicâ post Catharinæ festum anno 1539. Philippus Landgraffius Hassiæ.

Instrumentum copulationis Philippi Landgravii et Margaretæ de Saal. In nomine Domini amen.

Notum sit omnibus et singulis, qui hoc publicum instrumentum vident, audiunt, legunt, quòd anno post Christum natum 1540. die Mercurii mensis Martii post meridiem circa secundam circiter, indictionis anno 13. potentissimi, invictissimi, Romanorum Imperatoris Caroli V.

I. Mortuo alterutro conjugum licetne novum inire Matrimonium ?

R. Licet. *Quæ sub viro est mulier*, inquit (*Rom.* VII. 2. 3.) Apostolus, *alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata*

clementissimi nostri Domini anno regiminis 21. coram me infrà scripto Notario et teste Rotemburgi in arce comparuerint Serenissimus Princeps et Dominus Philippus Landgravius Comes in Catznelenbogen, Dietz, Ziegenhain, et Nidda, cum aliquibus suæ Celsitudinis Consiliariis ex una parte ; et honesta et virtuosa virgo Margareta de Saal, cum aliquibus ex sua consanguinitate ex altera parte ; illâ intentione et voluntate coram me publico Notario ac teste, publicè confessi sunt, ut matrimonio copulentur : et posteà antememoratus meus clementissimus Dominus et Princeps Landgravius Philippus per Reverendum Dominum Dionysium Melandrum, suæ Celsitudinis Concionatorem, curavit proponi fermè hunc sensum. Cùm omnia aperta sint oculis Dei, et homines pauca lateant, et sua Celsitudo velit cum nominata virgine Margareta matrimonio copulari, etsi prior suæ Celsitudinis conjux adhuc sit in vivis, ut hoc non tribuatur levitati et curiositati, ut evitetur scandalum, et nominatæ virginis et illius honestæ consanguinitatis honor et fama non patiatur ; edicit sua Celsitudo hic coram Deo, et in suam conscientiam et animam, hoc non fieri ex levitate, aut curiositate, nec ex aliqua vilipensione juris et superiorum, sed urgeri ex aliquibus gravibus et inevitabilibus necessitatibus conscientiæ et corporis, adeò ut impossibile sit sine alia superindicta legitima conjuge corpus suum et animam salvare : Quam multiplicem causam etiam sua Celsitudo multis prædoctis, piis, prudentibus, et Christianis Prædicatoribus ante hac indicavit, qui etiam consideratis inevitabilibus causis id ipsum suaserunt ad suæ Celsitudinis animæ et conscientiæ consulendum. Quæ causa et necessitas etiam Serenissimam Principem Christianam Ducissam Saxoniæ, suæ Celsitudinis primam legitimam conjugem, utpote altâ principali prudentiâ et piâ mente præditam movit, ut suæ Celsitudinis tanquam dilectissimi mariti animæ et corpori serviret, et honor Dei promoveretur ad gratiosè consentiendum. Quemadmodum suæ Celsitudinis hæc super relata syngrapha testatur : et ne cui scandalum detur eò quòd duas conjuges habere moderno tempore sit insolitum, etsi in hoc casu Christianum et licitum sit, non vult sua Celsitudo publicè coram consuetas cæremonias usurpare, et palàm nuptias celebrare cum memorata virgine Margareta de Saal : sed hic in privato et silentio in præsentia subscriptorum testium volunt invicem jungi matrimonio. Finito hoc sermone nominati Philippus et Margareta sunt matrimonio juncti, et unaquæque persona alteram sibi desponsam agnovit et acceptavit, adjunctâ mutuæ fidelitatis promissione in nomine Domini. Et antememoratus Princeps ac Dominus ante hunc actum me infrà scriptum Notarium requisivit, ut desuper unum aut plura instrumenta conficerem, et mihi etiam tanquam personæ publicæ, verbo ac fide Principis addixit ac promisit, se omnia hæc inviolabiliter semper ac firmiter servaturum, in præsentia reverendorum prædoctorum Dominorum M. Philippi Melancthonis, M. Martini Buceri, Dionysii Melandri ; etiam in præsentia strenuorum ac præstantium Eberhardi de Than Electoralis consiliarii, Hermanni de Malsberg, Hermanni de Hundelshausen, Domini Joannis Fegg Cancellarii, Rodolphi Schenck, ac honestæ ac virtuosæ Dominæ Annæ natæ de Miltitz viduæ defuncti Joannis de Saal memoratæ sponsæ matris, tanquam ad hunc actum requisitorum testium.

Et ego Balthasar Rand de Fulda, potestate Cæsaris Notarius publicus, qui huic sermoni, instructioni, et matrimoniali sponsioni, et copulationi cum suprà memoratis testibus interfui, et hæc omnia et singula audivi, et vidi, et tanquam Notarius publicus requisitus fui, hoc instrumentum publicum meâ manu scripsi et subscripsi, et consueto sigillo munivi in fidem et testimonium. BALTHASAR RAND.

est à lege viri : ut non sit adultera si fuerit cum alio viro. Quod de muliere dixit Apostolus id et de viro intelligendum esse ait in priori Epistola ad Corinthios. (VII. 7. 8. *et* 9.) *Volo*, inquit, *omnes vos esse sicut meipsum : sed unusquisque proprium donum habet ex Deo : alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis et viduis, Bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego ; quòd si non se continent, nubant : melius est enim nubere quàm uri.*

I. Licetne viduis non solùm ad secundas, sed ad tertias, et ad quartas et ad ulteriores nuptias convolare?

R. Licet et licuit semper in Ecclesia Latina : id patet tum ex Tertulliano antequam ad hæresim Montanistarum descivisset; tum ex Sanctis PP. Ambrosio, Augustino (E), Hiero-

(E) TERTUL. *libro* 1. *ad uxor. cap.* 1. Præcipio igitur tibi, quantâ continentiâ potes, post excessum nostrum renunties nuptiis, nihil mihi isto nomine collatura, nisi quod tibi proderis.

Cap. 3. Denique prohiberi nuptias nusquam omninò legimus, ut bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accepimus ab Apostolo (1. *Cor.* VII. 1. *et seq.*), permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente : illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum. Quâ ratione utriusque pronuntiationis inspectâ, facilè dignoscitur necessitate nobis concessam esse nubendi potestatem. Quod autem necessitas præstat, depretiat ipsa. Quod denique scriptum est (*Ibid.* 9.), *melius est nubere quàm uri :* quale hoc bonum est, oro te, quod mali comparatio commendat? Ut ideò melius sit nubere, quia deterius est uri. At enim quantò melius est, neque nubere, neque uri... Non propterea appetenda sunt quædam, quia non vetantur : etsi quodam modo vetantur, cùm alia illis præferuntur. Prælatio enim superior, dissuasio est infirmorum. Non ideò quid bonum est, nec ideò malum non est, quia non obest. Porrò plenè bonum hoc antecedit, quod non modò non obest, sed insuper prodest : namque malle debes quod prodest, quàm quod non obest.

Cap. 4. Nam disjunctis à matrimonio, duæ species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis : sequens de concupiscentia seculi. Sed utraque repudienda est à servis Dei, qui et luxuriæ et ambitioni renuntiamus.

Cap. 2. Defuncto per Dei voluntatem viro, etiam matrimonium Dei voluntate defungitur. Quid tu restaures, cui finem Deus posuit? Quid libertatem oblatam tibi, iteratâ matrimonii servitute fastidis? *Obligatus es*, inquit, (*Ibid.* 27.) *matrimonio, ne quæsieris solutionem ; solutus es matrimonio, ne quæsieris obligationem.* Nam etsi non delinquas renubendo, carnis tamen pressuram subsequi dicit.

Lib. 2. *cap.* 1. Quantò grandis est continentia carnis quæ viduati ministrat, tantò si non sustineatur ignoscibile videri potest. Difficilium enim facilis est venia. Quantò autem nubere in Domino perpetrabile est, uti nostræ potestatis, tantò culpabilius est non observare quod possis. Eò accedit, quòd Apostolus de viduis quidem et innuptis, ut ita permaneant suadet, cùm dicit : *cupio autem omnes meo exemplo persevcrare :* (*Ibid.* 8.) de nubendo verò in Domino, cùm dicit, *Tantùm in Domino ;* (*Ibid.* 39.) jam non suadet, sed exertè jubet. Igitur in ista maximè specie, nisi obsequimur, periclitamur. Quia suasum impunè quis negligat, quàm jussum : quòd illud de consilio veniat, et voluntati proponatur : hoc autem de potestate descendat et necessitati obligetur : illic libertas, hic contumacia delinquere videatur.

Cap. 2. *Mulier defuncto viro libera est, cui vult nubat, tantùm in Domino.* (*Ibid.*) Hic certè nihil retractandum est : nam de quo retractari potuisset, Spiritus cecinit : ne quod ait, Cui velit nubat, malè uteremur, adjecit, Tantùm in Domino, id est, in nomine Domini, quod est indubitate, Christiano. Ille igitur Spiritus sanctus, qui viduas et innuptas

nymo, cujus non abs re fuerit huc referre narrationem planè singularem. « Rem dicturus sum, *inquit*, incredibi-
» lem, sed multorum testimoniis approbatam. Ante annos
» plurimos cùm in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum
» Romanæ urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis
» Synodicis consultationibus responderem, vidi duo inter
» se paria vilissimorum è plebe hominum comparata, unum
» qui viginti sepelisset uxores, alteram quæ vicesimum

integritati perseverare mavult, qui nos ad exemplum sui adhortatur, nullam aliam formam repetundarum nuptiarum, nisi in Domino, præscribit.

S. AMBROS. *lib. de viduis cap.* 11. *n.* 68. Quod tamen pro consilio dicimus, non pro præcepto imperamus, provocantes potiùs viduam, quàm ligantes; neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus. Alia est enim infirmitatis contemplatio, alia gratia castitatis. Plus dico, non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sæpè repetitas: neque enim expedit quidquid licet: *omnia mihi licent*, dicit Apostolus, *sed non omnia sunt utilia.* (1. *Cor.* VI. 12.) Et vinum bibere licet, sed plurimùm non decet.

N. 69. Licet ergo nubere, sed pulchrius est abstinere; sunt enim vincula nuptiarum.

Cap. 12. *n.* 72. Honorabile itaque conjugium, sed honorabilior integritas; nam *et qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit: et qui non jungit, melius facit.* (*Hebr.* XIII. 4. 1. *Cor.* VIII. 38.) Quod igitur bonum est, non vitandum est: quod est melius, eligendum est. Itaque non imponitur, sed præponitur.

Cap. 13. *n.* 81. Non ergo copula nuptialis quasi culpa vitanda, sed quasi necessitati sarcina declinanda.

Cap. 14. *n.* 82. Sed nec vidua præceptum accipit, sed consilium: consilium autem non semel datum, sed sæpè repetitum.

S. AUG. *de bono viduit. cap.* 12. *n.* 15. De tertiis et de quartis et de ultrà pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem: undè ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Sed ne cuiquam brevitas hujus responsionis meæ fortè displiceat, uberiùs disputantem reprehensorem meum audire paratus sum. Fortassis enim offert aliquam rationem, quare secundæ nuptiæ non damnentur, tertiæ damnentur. Nam ego, sicut in exordio sermonis hujus admonui, *non* audeo *plus sapere quàm oportet sapere.* (*Rom.* XII. 3.) Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse? Ait enim, *Mulier alligata est, quandiù vir ejus vivit.* (*Rom.* VII. 2. 1. *Cor.* VII. 39.) Non dixit, primus aut secundus aut tertius, aut quartus: sed, *Mulier*, inquit, *alligata est, quandiù vir ejus vivit: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est; cui vult nubat; tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit.* Quid huic sententiæ, quantùm ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit, ignoro. Deindè ipsum quoque Apostolorum ac nostrum magistrum et Dominum audio Sadducæis respondentem; cùm proposuissent mulierem non univiram vel biviram, sed, si dici potest, septiviram in resurrectione cujus futura esset uxor. Increpans enim eos, ait, (*Matth.* XXII. 29. *et* 30.) *Erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim nec nubent, nec uxores ducent: non enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei.* Eorum itaque resurrectionem commemoravit, qui resurgent ad vitam, non qui resurgent ad pœnam. Potuit ergo dicere, *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei;* in illa enim resurrectione multinubæ istæ esse non poterunt: deindè addere, Quia nec aliqua ibi nubit. Sed nec ipsam, ut videmus, tot maritorum mulierem ullâ suæ sententiæ significatione damnavit. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quoticns voluerit, viris mortuis nubat femina: nec ex meo corde præter Scripturæ sanctæ auctoritatem quolaslibet nuptias audeo condemnare. Quod autem dico univiræ viduæ, hoc dico omni viduæ: *Beatior eris, si sic permanseris.* (1. *Cor.* VII. 40.)

» secundum habuisset maritum, extremo sibi, ut ipsi putabant, Matrimonio copulatos. Summa omnium exspectatio, virorum pariter et feminarum, post tantas rudes, » quis quem priùs efferret. Vicit maritus, et totius urbis » confluente populo coronatus, et palmam tenens adoreamque, per singulos sibi acclamantes, uxoris multinubæ » feretrum præcedebat. »

Ex hac historia liquet quartas et ulteriores nuptias non fuisse Romæ prohibitas tempore S. Hieronymi. Patet id quoque ex aliis S. Hieronymi testimoniis, nec non et ex Græcis Patribus Joanne Chrysostomo et Epiphanio. (F)

(F) S. HIERON. *in Comm. in Epist. ad Tit. tom.* 4. *part.* 1. *col.* 414. Montanus et qui Novati schisma sectantur, nomen sibi munditiæ præsumpsere : putantque secunda matrimonia ab Ecclesiæ communione prohibenda : cùm Apostolus de Episcopis, et Presbyteris hoc præcipiens, (1. *Tim.* III. 2.) utique in cæteris relaxarit : non quòd hortetur ad secunda matrimonia ; sed quòd necessitati carnis indulgeat.

Epist. 59. *aliàs* 50. *seu Apol. pro Lib. advers. Jovinian. tom.* 4. *part.* 2. *col.* 241. Ego etiam nunc liberâ voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam : et ita licere quinto et sexto et ultrà, quomodò et secundo marito nubere : sed quomodò non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ. Undè et in alio loco dixi : Ubi unus maritus exceditur, nihil refert, secundus an tertius sit ; quia desinit esse monogamus. *Omnia licent ; sed non omnia expediunt.* (1. *Cor.* VI. 12.) Non damno digamos, imò nec trigamos, et si dici potest octogamos, habeat cui libet octavum maritum, et esse desinat prostituta.

Epist. 91. *aliàs* 11. *ad Ageruch. ibid. col.* 744. Quid igitur ? Damnamus secunda matrimonia ? Minimè ; sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia digamos ? Absit : sed monogamos ad continentiam provocamus.

S. JOAN. CHYSOST. « *Serm. de libello repud. in dictum Pauli*, » Mulier » adstricta est legi quanto tempore vixerit vir illius : si autem dormierit, » libera est : cui vult nubat, tantùm in Domino. » (1. *Cor.* VII. 39.) Et habentibus viros et non habentibus, viduis, ex secundo nubentibus marito, et omnibus simpliciter sermo ille utilis est. Nam quæ habet virum non volet vivente marito illo quærere alium, audiens quòd vivente illo adstricta sit. Quæ verò libera, siquidem voluerit secundo nubere, non simpliciter neque temerè hoc faciat, sed cum legibus quæ sunt à Paulo positæ : dicit etiam *libera est ; cui vult nubat, tantùm in Domino :* hoc est cum continentia et honestate. Sin voluerit cum defuncto servare fœdera, audiet repositas sibi coronas, majoremque alacritatem capiet. *Beatior autem est*, inquit, *si sic manserit.* Vides quo pacto omnibus sermo ille utilis, et se ad illarum humilitatem demittit, et istas suis laudibus non defraudat. Etenim quæ de nuptiis et virginitate fecit, hoc et prioribus et secundis nuptiis : quemadmodum illic non exclusit nuptias, ut ne gravet infirmiores ; neque necessitatem imposuit, ut ne volentes virgines agere propositis coronis spoliaret ; sed demonstravit quidem, quòd bonæ sint nuptiæ : manifestavit autem quòd melior sit virginitas : Ita et hic quoque eosdem gradus ponit nobis, majorem scilicet altero alterum, nempè viduitatem : alterum verò inferiorem, nempè secundas nuptias. Et illas ulteriùs, quamvis transilire volens ad certamen præparans, et infirmiores cadere non permittit, dicens : *Beatior enim est si sic manserit.*

Homil. 14. *in* 1. *Epist. ad Timoth. circa medium.* Cur enim, quæso, secundò matrimonium non quæsivit ? An quòd reprehensibile existimaret ? Absit : id quippè hæreticorum est : sed ut se jam spiritualibus devoveret rebus, et virtuti instaret attentiùs. Neque enim immundæ sunt nuptiæ : sed occupationibus patent.

Homil. 7. *in* 2. *Epist. ad Timoth. in morali, paulò post medium.* Audiant mulieres, maximè quæ secundas appetunt nuptias, ac defuncti viri

Non defuerunt tamen Ecclesiæ quibus iteratæ sæpiùs nuptiæ displicerent. Jam diù apud Græcos prohibitæ sunt quartæ et ulteriores nuptiæ. (G)

maculant torum, quæque priorem dilexerunt virum. Non ista nunc loquor, quòd secundas prohibeam nuptias, aut immundas esse putem. Neque enim permittit Paulus, qui ori meo frenum imposuit, dicens: Si autem et nupserit non peccavit: cæterùm *Beatior erit, si sic permanserit* (1. *Cor.* VII. 40.), hoc est, multò istud excellentius quàm illud multis ex causis. Nam si non nubere, multò meliùs quàm nubere est: pari ratione melius est id semel tantùm facere quàm sæpiùs.

S. EPIPH. *adv. Hær. lib.* 2. *tom.* 1. *Hæres.* 48. *quæ est Cataphry. n.* 9. At Ecclesia Catholica et virginitatem prædicat, et cælibem vitam, ac castimoniam, viduitatemque collaudat: et honestas nuptias colit, et approbat; stupra verò, adulteria, ac libidines prohibet... His enim delectatur quidem, qui ejusmodi pietatis specimen præstare potuerint, ut virginitatem, castimoniam, continentiamque profiteantur: singulares porrò nuptias commendat, cùm sacerdotalia munera et ornamenta cum iis, qui post unas continentiam servaverint, aut in virginitate perstiterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit: id quod Apostoli deindè Ecclesiastica Sacerdotii regula honestè ac religiosè decreverunt. Quòd si quis post uxoris obitum secundas nuptias pro sua imbecillitate desiderat (1. *Tim.* III. 2.), minimè id quidem veritatis regula prohibet, in eo duntaxat qui Sacerdos non fuerit. At isti prohibent, adeoque Pauli illà sententià comprehenduntur: *prohibentium nubere.* (1. *Tim.* IV. 3.) Nam eum qui secundis nuptiis alligatus fuerit, expellunt, ac ne facere istud audeat vim ac necessitatem adhibent. Nos autem neque necessitate ullà constringimus; suademus: nec aliter quàm honestis præceptis ac consiliis eum, qui quidem possit, ad id præstandum impellimus; eum verò qui minùs potest nullà vi cogimus, nec à salute prorsùs excludimus.

(G) S. BASIL. *Epist.* 1. *canon. ad Amphil. can.* 4. Trigamorum, et polygamiorum eumdem canonem definimus, quem in digamis pro proportione. Annum enim in digamis, alii verò duos annos. Trigamos autem sæpè tribus et quatuor annis segregant. Id autem non ampliùs conjugium, sed polygamiam appellant, vel potiùs castigatam fornicationem. Et ideò Dominus Samaritanæ quæ quinque maritos jam habuerat: *Quem nunc*, inquit, *habes non est maritus* (*Joan.* IV. 18.), nempè quòd digni non sint qui digamiæ mensura exciderunt, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur. Consuetudine autem accepimus in trigamis quinquennii segregationem, non à canone, sed ab eorum qui præoccuparunt consequentia. Oportet autem non eos omninò arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus vel tribus annis: et posteà permittit quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione; à boni tamen communione abstinere et sic postquam pœnitentiæ fructum ullum ostenderint, communionis loco restituere.

Epist. 2. *can.* 50. Trigamiæ lex non est. Quare lege tertium matrimonium non prohibetur. Verumtamen ea ut Ecclesiæ inquinamenta videmus: sed publicis condemnationibus non subjicimus, ut quæ solutà ac profusà fornicatione sunt magis expetenda.

Epist. 3. *can.* 80. Patres polygamiam silentio prætermisere, ut belluinam, et ab omni hominum genere alienam. Nobis autem probatur eam majus esse fornicatione peccatum, et ideò consentaneum est ut ii canonibus subjiciantur, ut scilicet postquam anno fleverint, et tribus substrati fuerint, sic suscipiantur.

S. JOAN. CHRYS. *Hom.* 21. *in Inv. S. Cruc.* Permissum est repudium, malum quidem, sed licitum. (1. *Cor.* VII. 28. *et* 39.) Hac ratione et Apostoli permiserunt secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere, secundùm præceptum Apostoli est: secundùm veritatis autem rationem, verè fornicatio est. Si secundam permittente Deo publicè et licenter committitur, fit honesta fornicatio. Propterea benedixit, quia Moses hoc permittit, non præcepit. (*Deuter.* XXI. 13.) Aliud est enim præcipere, aliud permittere: quod etiam

Non reprehendimus veterem hanc Græcæ Ecclesiæ disciplinam. Videtur tamen Apostoli menti, cujus verba suprà retulimus, magis ea disciplina consonare quam sequimur. Viduis enim concedit Apostolus absolutè facultatem novi Matrimonii ineundi, nullà oppositâ restrictione circa quartas quintasve nuptias.

§. 2. De Matrimonio quatenùs Sacramentum est.

I. Quâ ratione constat matrimonium evectum fuisse à Christo ad sacramenti dignitatem?

R. Ut taceam quod ait Apostolus, matrimonium *magnum esse sacramentum in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v. 32.), certissimâ traditione constat matrimonium semper habitum esse ab Ecclesia pro vero et propriè dicto sacramento. (A)

præcipimus, semper erit; quod autem permittimus, nolentes permittimus: quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.

Imperator BASILIUS MACED. *lib.* 2. *juris Orientalis*, *novellâ cujus titulus est*, Non fas esse quartas ad nuptias progredi. Jam olim à priscis scripta lex est, eademque à piissimo Justiniano confirmata, per quam usque ad quartas nuptias iis qui volunt matrimonia permittuntur: fortassis hoc respiciente, quòd usuvenire plerisque soleat, ut citò matrimonii consortem amittant, vel ut juvenibus hoc accidat, qui naturæ cupiditatibus obsistere nequeunt: ideoque ipsis contingere ut à castis quidem nuptiis divertantur, ad prohibitos autem concubitus sese conferant. Oportebat verò nos quoque, velut ejusdem tam naturæ, quàm imbecillitatis consortes, priscis in hoc legibus acquiescere. Sed à lege divina nos præpediri cernimus. Propterea serenitas nostra salacibus amantium cupiditatibus frenum injicere volens, usque adeò quemquam ad matrimonium quartum progredi vetat: ut etiam tertium contrahentes ad Ecclesiasticos canones ableget. Ideòque ut eadem jura procedant in tertio quoque conjugio, quæ et in quarto: manifestum omnibus esto, futurum ut si quis ausus fuerit ad quartas nuptias, non nuptias accedere; non solùm pro nullis habeantur hæ nuptiæ, nec liberi in his procreati pro legitimis agnoscantur: verùm etiam, ut ipse pœnis pollutorum scortationis sordibus subjiciatur, ejusmodi videlicet personis à se invicem separatis. *Hanc reperies libro cui titulus est:* Juris Græco-Romani tam canonici quàm civilis *tom.* 1. *in fol. Franco-furti* 1601. *pag.* 86. *et* 87.

(A) S. AMBROS. *lib.* 1. *de Abraham cap.* 7. *n.* 59. Iterùm tentatur Saræ pudicitia, ut exigatur omnium. Nam et Abimelech in uxorem sibi eam sumpserat; et dixit ei in nocte Deus: *Ecce tu morieris propter mulierem.* (*Genes.* XX. 3.) Advertimus adulterium divino judicio morte puniri. Ideòque addidit: *Hæc autem commoratur cum viro.* Habet quidem omnis viri, mulierisque concubitus nullâ legitimi matrimonii sorte celebratus, suam culpam. Discite enim, qui ad gratiam baptismatis tenditis, velut quidam fidei candidati, continentiæ disciplinam sobriam. Nulli licet scire mulierem, præter uxorem. Ideoque conjugii tibi datum est jus, ne in laqueum incidas, et cum aliena muliere delinquas. Vinctus es uxori, noli quærere solutionem; quia non licet tibi, uxore vivente, uxorem duxere. Nam et aliam quærere, cùm habeas tuam, crimen est adulterii, hoc gravius, quòd putas peccato tuo auctoritatem lege quærendam.... Nec hoc solùm est adulterium, cum aliena peccare conjuge, sed omne quod non habet potestatem conjugii: tamen locus iste docet gravius crimen esse, ubi celebrati conjugii jura temerantur, et uxoris pudor solvitur. Ideoque cùm prætenderet Abimelech quòd uxorem alienam esse ignoraverit, quam sororem esse vir ipse suam dixerit, respondit ei Dominus: (*Ibid.* 6.) *Et ego cognovi quoniam puro corde fecisti hoc, et peperci tibi, ut non peccares in me: propter hoc non sum passus te tangere illam.* Cognoscimus velut præsulem custodemque conjugii esse Deum,

qui non patiatur alienum torum pollui : et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam solvat : et ideò quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium.

N. 65. Noli te ancillæ miscere ne suscipias ex illa filium, et uxor tua non patiatur, cohæredem illum filio suo fieri : Vides enim hinc solvi gratiam matrimonii. Certè si incidisti, et habes filium, *ejice et filium ejus* (*Gen.* XXI. 10.) ; melius est enim ut ancilla quàm uxor recedat, et filius ancillæ quàm legitimus ejiciatur.

S. AUG. *De Bono conjug. cap.* 18. *n.* 21. Propterea sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum virum et unam uxorem redactum est, ut Ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. (1. *Tim.* III. 2. *Tit.* I. 6.) Quod acutiùs intellexerunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in Baptismo peccata omnia dimittuntur : sed qui dixit (1. *Cor.* VII. 28.), *Si acceperis uxorem, non peccasti : et si nupserit virgo, non peccat :* et, *Quod vult faciat, non peccat, si nubat :* satis declaravit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post Baptismum inter Dei virgines consecrari : ita non absurdè visum est eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse ; non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam. Ac per hoc sicut plures uxores antiquorum patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni viro subdictas Christo : ita noster Antistes unius uxoris vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni viro subditam Christo.... Sicut ergo sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus : sic sacramentum nuptiarum singularium nostri temporis significat unitatem omnium nostrûm subjectam Deo futuram in una cœlesti civitate. Itaque sicut duobus pluribusque servire, sic à viro vivo in alteriùs transire connubium nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit.... In nostrarum quippè nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fecunditas uteri.

Cap. 24. *n.* 32. Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis : quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec saltem ipsâ causâ pariendi : quæ cùm sola sit quâ nuptiæ fiunt, nec eâ re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale nisi conjugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum Ordinationis, et si aliquâ culpâ quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel impositio non carebit, quamvis ad judicium permanente. Generationis itaque causâ fieri nuptias, Apostolus ita testis est ; *Volo*, inquit, *juniores nubere* (1. *Tim.* V. 14.) : et quasi ei diceretur, Ut quid ? continuò subjecit, *Filios procreare, matres-familias esse.* Ad fidem autem castitatis illud pertinet, *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir : similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.* (1. *Cor.* VII. 4.) Ad sacramenti sanctitatem illud, *uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari : et vir uxorem non dimittat.* (*Ibid.* 10. *et* 11.) Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, proles, fides, sacramentum. Nec prolem autem carnalem jam hoc tempore quærere, ac per hoc ab omni tali opere immunitatem quamdam perpetuam retinere, atque uni viro Christo spiritualiter subdi, melius est utique et sanctius : si tamen eà vocatione sic utuntur homines, quomodo scriptum est, *ut cogitent quæ sunt Domini, quomodo placeant Deo ;* (*Ibid.* 32.) id est, ut perpetuò cogitet continentia, ne quid minus habeat obedientia : quam virtutem tanquam radicalem, atque ut dici solet, matricem et planè generalem, sancti antiqui Patres in opere exercuerunt ; illam verò continentiam in animi habitu tenuerunt. Qui profectò per obedientiam, quâ justi et sancti erant, et ad omne opus bonum semper parati, etiam

Quidquid enim ad rationem veri et propriè dicti sacramenti requiritur, nimirùm ut sit signum sensibile, gratiam conferens ex Christi instituto, id in matrimonio Christianorum reperitur.

Signum sensibile quidem : nimirùm mutuus consensus partium coram testibus et Parocho, et benedictio Parochi conjungentis illos in matrimonium.

Gratia autem hoc signo sensibili confertur; gratia, inquam, quâ fit ut conjuges quietam inter se cum mutua dilectione vitam agant, et sanctè utantur matrimonio, et liberos

si ab omni concubitu abstinere juberentur, efficerent. Quantò enim facilius possent, vel jussione, vel exhortatione Dei non concumbere, qui prolem cui uni propagandæ concumbendo serviebant, obediendo poterant immolare.

De Fide et operibus, *cap.* 17. *n.* 37.... Noli esse adulter, si vis baptizari; crede Christo, qui hoc quod facis dicit esse adulterium, si vis baptizari; noli esse membrum meretricis, si vis fieri membrum Christi.

Lib. 1. *De Nuptiis et concupiscentia*, *cap.* 10. *n.* 11. Quoniam sanè non tantùm fœcunditas cujus fructus in prole est, nec tantùm pudicitia, cujus vinculum est fides : verùm etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, undè dicit Apostolus (*Ephes.* v. 25.), *Viri diligite uxores vestras*, *sicut et Christus dilexit Ecclesiam* : Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati quandiù vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat excepta causâ fornicationis à conjuge conjugem dirimi. (*Matth.* v. 32.) Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente æternum nullo divortio separetur. Cujus sacramenti tanta observantia est *in civitate Dei nostri*, *in monte sancto ejus* (*Ps.* XLVII. 2.), hoc est, in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut cùm filiorum procreandorum causâ vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fœcunda ducatur. Quòd si quisquam fecerit, non lege hujus seculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia; quod etiam sanctum Moysen Dominus, propter duritiam cordis illorum, Israelitis permisisse testatur : sed lege Evangelii reus est adulterii : sicut etiam illa si alteri nupserit. Usquè adeò manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potiùs sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quàm cum his quibus aliis adhæserunt. Cum aliis quippè adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest cum quo priùs adulterium fuit. Ita manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis : sicut apostatæ anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perditâ sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii.

Cap. Cùm in Ecclesiæ, *Extrà* de simonia. *Ex* CONC. LATERAN. generali *Decret.* GREG. IX. *lib.* 5. *titul.* 3. *cap.* 9. Cùm in Ecclesiæ corpore.... Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis, locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscunque personis Ecclesiasticis ponendis in sedem sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, necnon et pro sepulturis, et exsequiis mortuorum, *et benedictionibus nubentium*, seu aliis sacramentis aliquid requiratur.... Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis sacramentis conferendis seu collatis aliquid exigatur, distinctiùs prohibemus. Si quis autem contra hæc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum.

Christianè instituant, et mutuam sibi fidem illibatam servent, et ferant patienter onera matrimonii, et tribulationes huic annexas, et juvent sese mutuò in prosperis et in adversis.

Idque *ex Christi instituto.* Hanc enim virtutem Christus matrimonii Christiani vinculo tribuit, ut gratiam hanc conferret : tribuit autem, inquiunt sancti Patres, dùm adesse voluit nuptiis in Cana Galilææ celebratis, cujus rei historia habetur capite secundo Evangelii secundùm Joannem. (B)

(B) *Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 6. *litt.* (P) JOAN. II. 1. *et seq.*

S. CYRILLUS ALEXAND. *Epist. ad Nestorium de excommunicat. quæ lecta et probata fuit in Concil. Ephes. circa finem tom.* 5. *Concil. P.* II. *p.* 75. Sacra virgo Deum carni secundùm hypostasim unitum corporaliter genuit.... Non quòd propter naturam propriam temporali, eà videlicet quæ in novissimis seculi temporibus accidit, nativitate necessariò indigeret : sed quò nostræ quoque substantiæ ortum suâ benedictione cumularet ; maledictioque, quæ mortalia corpora nostra in mortem præcipitabat, hoc ipso in posterum contra universum genus nostrum sævire desisteret, quo illud carni unitum ex muliere in lucem prodiisset. Et illo tandem (*Gen.* III. 16.) : *in dolore paries filios* tuos, per ipsum labefactato, verum esse ostenderet quod Prophetæ voce dictum fuerat : *absorpsit mors prævalens* (*Osee* XIII. 14.) : et rursùm : *Abstulit Deus omnem lacrymam ab omni facie.* (1. *Cor.* XV. 54. *Isai.* XXV. 8. *Apoc.* VII. 17. *et* XXI. 4.) Hac ipsa quoque de causa simul cum sanctis Apostolis ad nuptias in Cana Galilææ dispensatoriè vocatum, hùc se contulisse, suaque benedictione easdem cohonestasse dicimus. Hæc tenere, hæc sapere cùm à sanctis Apostolis et Evangelistis, tum ab universa quoque sacra et divina Scriptura, tum ex veraci deniquè sanctorum Patrum consensu edocti sumus.

Lib. 2. *cap.* 1. *in Joan. cap.* 2. *v.* 1. Opportunè ad patranda miracula Christus aggreditur, licèt fortuitò ad ea vocatus videatur. Nam cùm nuptiæ celebrarentur, castè nimirùm et honestè, adest quidem mater Servatoris, sed et ipse unà cùm discipulis suis invitatus venit, non tam epulaturus quàm ut miraculum faceret, ac prætereà generationis humanæ principium sanctificaret, quod carnem nimirùm attinet. Conveniebat enim ut qui naturam ipsam hominis renovaturus, ac totam in meliorem statum revocaturus erat, non solùm iis qui jam in ortum vocati erant benedictionem impertiretur, sed et iis quoque qui posteà nasciturî essent gratiam præstrueret, et eorum ortum sanctum efficeret. Porrò tertiam tibi hanc habeto rationem. Dictum est alicubi ad mulierem à Deo, *In dolore paries filios.* (*Gen.* III. 16.) Quomodo igitur hanc à nobis exsecrationem depelli oportebat, aut quànam aliâ ratione condemnatas nuptias vitare licebat ? Istud etiam solvit Servator hominum amantissimus. Præsentiâ suâ nuptias cohonestavit, ipse gaudium et lætitia cùm sit universorum, ut veterem partùs tristitiam depelleret.

Super v. 11.... Nuptiæ quippè honorabiles sanctificatæ sunt, et exsecratio in mulieres repulsa : non enim in doloribus ultrà parient liberos, cùm ipsum quoque nostræ generationis initium Christus benedixerit.

S. EPIPHAN. *Lib.* 2. *Tom.* 2. *advers. hæres. Hæres.* 67. *quæ est Hieracit. n.* 6. Nam *venerabiles esse nuptias* (*Hebr.* XIII. 4.) : ut Dei adspirante gratiâ cœleste regnum obtinere quis vel ex eo non agnoscat, quòd ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret ? Quod si tùm nuptiis interesse noluisset, earumdem eversor fuisset, nec unumquemque pro sua imbecillitate benignè atque indulgenter admittere putaretur. Quamobrem *venerabiles nuptiæ sunt*, cùm eas ipse constituerit. Ideoque et adesse iisdem voluit, ut eorum ora præcluderet, qui contra veritatem disputant. Quin et illic apud Canam Galilææ primum signum fecit, et in vinum aquam convertit. Nam ut ortus ex virgine fuerat, ut orbi terrarum excitatam ex virgine lucem ostenderet ; ita et primum miraculum nuptiarum in gratiam apud Canam Galilææ facere voluit : quo honestas nuptias prodigiis, ac miraculis illustraret.

I. Undenam matrimonium sanctificandi vim habet?

R. Ex meritis Christi, et ex ejus conjunctione cum Ecclesia, quam matrimonii sacramentum exhibet atque repræsentat.

I. Quid sibi volunt hæc verba à te suprà laudata Apostoli, qui de matrimonio disserens ait. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia?* (*Ephes.* V. 32.)

R. Horum Apostoli verborum sensus is est: 1° Matrimonium Christianorum esse verè sacramentum, ut mox diximus. 2° Esse mysterium, et grande mysterium quidem; nam repræsentat et veluti ponit ob oculos ineffabilem conjunctionem Christi cum Ecclesia.

I. Quomodo matrimonium Christianum repræsentat ineffabilem conjunctionem Christi cum Ecclesia?

R. 1. Quemadmodum Christus *exivit à Patre et venit in mundum* (*Joan.* XVI. 28.) ut adhæreret Ecclesiæ: sic *relinquit homo patrem et matrem suam ut adhæreat uxori suæ.* (*Gen.* II. 14. *Matth.* XIX. 5. *Marc.* X. 7.)

2. Ecclesia formata est, ut ita dicam, è latere Christi mortui in cruce, ex quo *exiit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX. 34.), qui dicuntur fontes Salvatoris: femina formata est è latere viri dormientis. (*Gen.* II. 21.)

3. Christus est caput Ecclesiæ: Vir caput uxoris. (*Ephes.* V. 23. *Coloss.* I. 8.)

4. Christus et Ecclesia unum corpus efficiunt: vir et uxor *jam non sunt duo sed una caro* inquit Christus. (*Matth.* XIX. 6. *Ephes.* I. 23. *Coloss.* I. 24.)

5. Unus est spiritus Christi et Ecclesiæ: unus debet esse spiritus viri et uxoris.

6. Christus diligit Ecclesiam; Ecclesia reveretur Christum. Debet vir uxorem diligere, debet uxor timere et revereri virum suum, ex Apostolo. (*Ephes.* V. 25. *et* 28.)

7. Indissolubili vinculo Christus et Ecclesia conjunguntur. Non recedet unquam Christus ab Ecclesia (*Matth.* XXXIII. 20.), nec separare quidquam poterit Ecclesiam à charitate Christi. (*Rom.* VIII. 35.) Sic vir et uxor indissolubili vinculo quoad vixerint inter se conjunguntur, debentque fidem sibi mutuò servare illibatam.

8. Christus novis in dies Ecclesiam auget et ditat bonis: Ecclesia quantùm in se est, servit gloriæ Christi. Debent pariter vir et uxor mutuis sese invicem juvare consiliis, auxiliis, bonis: Inter ipsos debent esse omnia communia. (C)

(C) GENES. II. 18. MATTH. XIX. 4. §. *sup. litt.* (A)
MATTH. XXVIII. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.
1. COR. VII. 1. *et seq. Vide superiùs Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 7. *litt.* (D)
EPHES. IV. 4. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.
V. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino. 23. Quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse salvator corporis ejus. 24. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris

Sunt et aliæ multæ ejusmodi similitudines et convenientiæ, quas quisque facilè ex supradictis colligere, et intelligere, et meditari poterit.

I. Quis sacramenti matrimonii minister est ?

R. Non una est ea de re Theologorum sententia, nec quidquam Ecclesia definivit. Alii existimant ipsos contrahentes ministrare sibi ipsi hoc sacramentum, dùm mutuum sibi dant consensum coram legitimo Parocho et testibus. Alii censent Parochum excipientem mutuum contrahentium consensum, et dantem ipsis benedictionem nuptialem coram testibus, esse ministrum hujus sacramenti. (D)

suis in omnibus. 25. Viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, 26. ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. 27. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi; sed ut sit sancta, et immaculata. 28. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. 29. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam sicut et Christus Ecclesiam. 30. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. 31. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. 32. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. 33. Verumtamen et vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

COLOSS. III. 18. Mulieres subditæ estote viris: sicut oportet in Domino. 19. viri diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas.

(D) JOAN. MALDON. Societ. Jesu Presbyt. *Tract. de Sacram. de Matrimon. quæst.* 1. *resp. ad sextum argumentum* 3. *sententiæ.* Respondeo, etiam esse ordinarium ministrum hujus Sacramenti Sacerdotem. Sed quemadmodum Baptismus potest conferri ab iis, qui non sunt Sacerdotes, quod attinet ad essentiam: ita etiam Matrimonium potest dari ab iis, qui non sunt Sacerdotes. Dicet aliquis, Esto, tamen nemo baptizari potest à seipso, nemo absolvi à seipso. Ergo nemo dare sibi ipsi potest Sacramentum Matrimonii. Respondeo, propterea quod Sacramentum Matrimonii non consistit in actione, sed in societate individua vitæ, quocunque pacto fiat, aut contrahatur illa societas more Christiano, sit Sacramentum. Quapropter si vir et femina propriâ voluntate sine ullo Ministro ejusmodi societatem ineant, fit, ut quasi per accidens, in hoc Sacramento possit idem esse minister, et subjectum Sacramenti.

GUIL. ESTIUS *in Lib. Sentent. Distinct.* 26. § 10. De ministro hujus Sacramenti, non parva est inter Catholicos Scriptores difficultas. Præsertim cùm Magister et alii antiquiores nihil aut perparum de hac re ex professo tradidisse legantur.

Est autem communis Scholasticorum posteriorum sententia, virum et feminam Matrimonium contrahentes, esse proprios hujus Sacramenti ministros. Idquè ex eo probant, quia ad Ministrum Sacramenti pertinet verba formæ pronuntiare, et per ea Sacramentum conficere. Faciunt autem hoc vir et mulier, dum verbis conceptis sibi invicem dant fidem. Idem confirmari videtur ex Decreto Concilii Florentini de Sacramentis, ubi sic legitur: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Cùm igitur mutuum illum consensum verbis exprimant illi ipsi qui Matrimonio copulantur; consequitur eos efficere Matrimonium, et proindè Matrimonii, id est, hujus Sacramenti perficiendi ministros esse.

Rursùm confirmatur ex eo, quia Matrimonium inter Christianos contrahi potest (saltem præveniendo legem positivam Tridentini Concilii) per eos solos qui matrimonio copulantur, nemine alio præsente; et tamen cùm Sacramentum sit novæ legis, non potest perfici absque Ministro: ergo contrahentes ipsi et non alii ministrorum gerunt officium.

Porrò Scotus in hanc distinctionem scribens, sentire videtur id non

esse perpetuum. Sic enim ait : « Ut plurimum ipsimet contrahentes minis-» trant sibi ipsis hoc Sacramentum, vel mutuò vel uterque sibi. Sed nec » hoc requiritur necessariò, si in omni contractu (videlicet Matrimo-» niali) est Sacramentum : quia aliquando parentes contrahunt pro filiis » vel filiabus, præsentibus eis, non exprimentibus signa propria. Si ergo » ibi est Sacramentum : oportet dicere, quòd minister hujus Sacramenti » potest esse indifferenter : quicunque potest esse minister in contractu » Matrimonii. » Sic ille.

Verùm facilè potest Scoto responderi, quòd quamvis alii plerumque intersint contrahentes, semper tamen principaliter contrahunt per proprium consensum illi qui conjugio copulantur : sive id verbis faciant, sive aliis signis idem valentibus, inter quæ etiam silentium ipsum interdum secundùm jura computatur : quia tali casu qui tacet præsumitur consentire. Undè non est necesse propter ea quæ Scotus affert alios ab ipsis conjugibus aliquando agnoscere Sacramenti hujus ministros.

Aliorum opinio est in hoc Sacramento, sicut in aliis Ecclesiæ Sacramentis, non alium esse quærendum ministrum, quàm qui sit ipsius Ecclesiæ Minister, id est, Sacerdos virum et mulierem certis ac præscriptis verbis conjungens. Hanc sententiam tradit et multis argumentis propugnat Melchior Canus libro 8. locorum Theologicorum cap. 5. ubi contendit Matrimonium sine Ecclesiæ Ministro contractum, non esse verè et propriè Sacramentum, eò quòd proprius Minister per quem administrari debuit, illi desit. *Deindè adductis omnibus Melch. Cani probationibus, quindecim argumentis contentis, quæ maxima ex parte habes infrà apud Sylvium, sic concludit :*

Non ignoro hanc Cani sententiam à Dominico et aliis nonnullis non solùm rejici et refelli, sed etiam novitatis ac temeritatis nomine taxari. Quorum rationes apud ipsos Auctores videant et expendant studiosi. Certè rationes et auctoritates satis ostendunt, neque novam neque temerariam esse hanc sententiam, neque à Patrum sententia alienam ; præterquam quòd Sacramentorum sanctitati quàm maximè congruit. Undè et Dominicus Bannesius scribens super 1. quæstione 1. articulo 8. dicit communem sententiam modò à multis improbari, non solùm post celebrationem Concilii Tridentini, sed etiam antèà : et Cani sententiam multos alios sequi absque ulla temeritate. *Quod enim*, inquit, *uno tempore occultatur, posteà per diligentiam et studium advenientium multoties innotescit*, etc. Et post multa : *Respondetur*, inquit, *illam sententiam de Matrimonio non fuisse communem omnium Theologorum ; sed aliqui oppositum docuerunt.* Prætereà licèt fuisset communis, non tamen fuit firma sententia, ut patet ex Magistro, S. Thoma, Scoto et omnibus aliis in 4. qui omnes sub dubio relinquunt, neque aliquid certò definiunt. Hæc ille, et quæ sequuntur.

Denique vitantur multa paradoxa per hanc sententiam, ut quòd hujus Sacramenti minister non sit unus, sed duo non ordinati, sed laïci, vir et mulier ; quòd iidem suscipientes et conferentes : quòd forma consistat sine verbis : quòd nullam contineat cæremoniam peculiarem, etc.

FRANC. SYLV. *in suppl. ad 3. part. D. Thomæ Quæst. 42. art. 1. Quæritur 1. Qui sit Minister Sacramenti Matrimonii.* Multorum opinio habet, esse ipsos contrahentes, adeò ut nonnulli Melchiorem Canum aliud sentientem graviter reprehendant.

Responsio verior est, hujus Sacramenti ministrum esse solum Sacerdotem. Primò quia sponsus et sponsa sunt ab illo benedicendi, ut loquuntur Patres Concilii 4. Carthag. can. 13. et ante illos, Evaristus Epist. 1. addens *hunc esse morem ut uxor à parentibus doletur, et cum precibus et oblationibus à Sacerdote benedicatur.* Cujus benedictionis etiam meminit Siricius Epistolæ 1. cap. 4. significans illam esse tam sacram, ut ejus violatio sit apud fideles instar sacrilegii.

Quòd autem illa benedictio sit essentialis ; probatur primò, quia Ambrosius Epistolà 70. docet conjugium Sacerdotali benedictione sanctificari debere.

Secundò, quia Patres dicti Concilii Carthaginens. sponsos admonent, ut cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant. Si verò benedictionem illam

æstimassent solùm esse cæremoniam, non erat causa cur tantæ reverentiæ habendæ novos conjuges admonerent: nam æqualem vel majorem benedictionem Christiani quilibet singulis diebus accipiunt in fine Sacrificii, tum à Sacerdotibus, tum ab Episcopis: neque tamen propterà monentur abstinere ab usu conjugii.

Tertiò, quia benedictio, quæ Matrimonio solùm est accidentalis, non adhibetur secundis nuptiis, ut art. 2. quæst. 63. de benedictione quæ omnibus Christianorum conjugiis debet adhiberi. *Undè* à cap. *nullus* 30. quæst. 5. universaliter decernitur *quòd nullus fidelis cujuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione acceptâ, à Sacerdote publicè nubat in Domino.*

Quòd autem in Concil. Carthaginens. dicitur sponsus et sponsa cùm benedicendi sunt à Sacerdote, non significat aliquos sponsos non esse benedicendos, eà nimirùm benedictione quam dicimus esse formam; sed perindè est, ac cùm sponsus et sponsa sunt Matrimonium in facie Ecclesiæ contracturi.

Quartò, quia Alexander III. cap. *Cùm in Ecclesia* (tit. de Simonia), dicens « horribile esse quòd pro sepulturis, et exsequiis mortuorum et » benedictionibus nubentium seu aliis Sacramentis aliquid requiratur: » addit: « Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis » deducendis in sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis » mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis confe» rendis, seu collatis aliquid exigatur; strictiùs prohibemus. » Ubi semel et iterùm, benedictionem nuptiarum vocat Sacramentum.

Si dicas nomen Sacramenti late sumi, idque indè patere quòd sepulturæ et exsequiæ mortuorum ibidem comprehendantur sub Sacramentis: Respondetur non ita esse. Cùm enim dicitur, *seu aliis Sacramentis*, relatio non fit nisi ad benedictiones nubentium, de quibus proximè procedit.

Secundum argumentum sumi potest ex fine Concilii Constantiensis, ubi Martinus V. vult suspectum rogari, « an credat quòd Christianus con» temnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ» unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter. » Ibi enim solemnizationem Matrimonii Pontifex vocat Sacramentum, sicut Confirmationem et Extremam-unctionem: ac proindè solemnizans illud ita est minister Sacramenti, sicut confirmans et inungens.

Tertium, Concilium Florentinum docet omnia Sacramenta tribus perfici, *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et personâ Ministri*: Si autem contrahentes forent ministri hujus Sacramenti; ipsum aliquando perficeretur sine verbis, scilicet per litteras, vel nutus matrimonialem consensum exprimentes. Neque dici potest quòd in Concilio intelligantur non solùm verba propriè dicta, sed etiam ea signa quæ gerunt vicem verborum: Nam si quis tentaret aliquod aliud Sacramentum conferre per nutus et signa, verè deessent verba, et eorum defectu Sacramentum non subsisteret. Deindè, sic intelligendo, causa efficiens Matrimonii *non solùm regulariter esset mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, quomodo loquitur Concilium, sed semper: nunquam enim potest effici Matrimonium, nisi conjuges verbis propriè dictis vel signis æquivalentibus consensum exprimant.

Quartum, Concilium Tridentinum vult, *Parochum viro et muliere interrogatis; et eorum mutuo consensu intellecto, dicere; Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, etc. vel aliis verbis uti, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Ista autem verba sunt vera, ergo Parochus verè illos conjungit Matrimonio, saltem quatenùs est Sacramentum; et propterèa est Minister Sacramenti.

Quintum arg., Sacramentorum quæ in actione consistunt Minister alius est à suscipiente: ut patet ex eo quòd nullus possit se baptizare, confirmare, absolvere, ungere.

Sextum, Contrahentes non sciunt se esse ministros hujus Sacramenti, neque jubelur Parochis ut eos doceant habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia; et tamen absque tali intentione, nullum sacramentum potest subsistere. Neque responderi potest sufficere, quòd velint contrahere: nam et hoc volunt hæretici et pagani, qui tamen nec habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nec verum Sacramentum Matrimonii perficiunt.

I. Quinam capaces sunt hujus sacramenti ?

R. Quicunque viri sive feminæ pubertatis annos attigerunt, nec ullum habent impedimentum quominùs matrimonium fiat.

I. Quinam pubertatis annos attigerunt ?

R. Viri post expletum annum quartum decimum, feminæ post expletum duodecimum dicuntur pubertatis annos attigisse.

I. Possuntne amentes et furiosi contrahere validè matrimonium ?

Septimum, si contrahentes sunt ministri hujus Sacramenti, et consequenter eorum non tantùm verba, sed etiam signa, facta, nutus sunt forma : sequitur copulam carnalem animo maritali factam ab eis qui sponsalia priùs contraxerant, esse formam sacramenti. Atqui nullam habet speciem veri, Christum id instituisse pro forma Sacramenti, quod non potest absque gravi peccato fieri : talis autem copula fieri non potest absque gravi peccato, cùm pertineat ad clandestinum Matrimonium, ab Ecclesia semper improbatum, ac præsertim si pro signo consensus non aliud quàm ipsa corporum commixtio.

Octavum, Absurdum videtur in Sacramenti alicujus administratione minus tribuere Episcopis et Presbyteris, quàm Laïcis ; cùm soli Episcopi et Sacerdotes sint ad ministerium Sacramentorum ordinati.

GASP. JUENIN. Orator. Gallic. Presbyt. *Comment. hist. et dogmat. de Sacram. Dissert. duodecim. cap.* 2. *Quæst.* 3. Duplex est circa difficultatem de qua agitur, Doctorum sententia. Nonnullis placet virum et feminam contrahentes esse proprios hujus Sacramenti ministros. Alii verò, qui in responsione ad ultimam objectionem laudabuntur, censent non aliud hic quærendum ministrum quàm qui sit Ecclesiæ Minister, id est, Sacerdos qui virum et mulierem præscriptâ verborum formâ conjungit.

Conclusio. Solus Sacerdos est minister Sacramenti Matrimonii.

Probatur argumentis tum Melchioris Cani, tum Sylvii, tum Estii. 1°. Concilium Carthaginense IV. can. 13. præscribit ut sponsus et sponsa à Sacerdote benedicantur. Idem injungit Epistola decretalis adscripta Evaristo Papæ ; ait nempè, *Hunc esse morem ut uxor à parentibus dotetur et cum precibus et oblationibus à Sacerdote benedicatur.* Ejusdem benedictionis meminit Siricius Papa Epist. 1. cap. 4. Jam verò eam benedictionem esse essentialem Sacramento ostenditur, tum ex eo quòd (ut diximus hujusce Sacramenti essentiam asserentes contra Lutheranos) Patres gratiæ sanctificantis productionem illi adscripserint : vixque, si accidentalis cærimonia reputetur, ostendi posset contra Sectarios Matrimonium esse propriè dictum Sacramentum novæ legis. 2°. Laudati Concilii Carthaginensis Patres sponsos admonent, ut cùm benedictionem acceperint, eâdem nocte pro reverentia quam par est illi benedictioni exhibere, in virginitate permaneant ; Eam igitur non habuerunt tanquam ritum accidentalem ; alioquin suasissent fidelibus ut iis diebus quibus præsentes se sistunt Missæ sacrificio, temperent ab actu conjugali, cùm (ex adversariorum principiis) fideles ad finem Missæ non minori, quàm in Matrimonio, benedictione donentur à Presbyteris. 3°. Quæ meri sunt ritus, nonnunquam omittuntur : Verùm licet benedictio quæ incipit, *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, ille vos in Christo benedicat, etc.* omittatur in secundis nuptiis, ob idque Matrimonio accidentalis judicetur, hæc aut æquivalens, *Ego vos in Matrimonium conjungo, etc.* nusquam omittitur juxta Canonem, *Nullus*, caus. 30. quæst. 5. *Nullus fidelis cujuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione acceptâ à Sacerdote publicè nubat in Domino.*

Jam verò si Sacerdotalis benedictio sit Matrimonii Sacramento essentialis, seu, si sit illius forma, ut allata loca demonstrare videntur, sequitur Sacerdotem necessarium esse ejusdem Sacramenti Ministrum, cùm is unus sit Sacramenti Minister, qui profert illius formam, ut in Baptismo cæterisque Sacramentis videre est, etc.

R. Possunt, si lucida habent intervalla; possunt, inquam, si in illis integra tunc ratio vigeat; si desint illa intervalla, non possunt, quia carent libertate necessariâ ad contractum faciendum (E)

§. 3. De Impedimentis matrimonii, ac primò de Dirimentibus. Cur isthæc Impedimenta apposita sint.

I. Quænam sunt impedimenta matrimonii?

R. Duplicis generis ea sunt. Alia dirimentia dicuntur, quia non solùm impediunt contrahendum, sed et dirimunt jam contractum.

Alia impedientia solùm dicuntur, et non dirimentia; quia impediunt contrahendum, ita ut stante impedimento, matrimonium sine peccato contrahi nequeat, sed non dirimunt jam contractum.

I. Quænam sunt impedimenta dirimentia?

R. Quatuordecim numerantur, his versibus memoriæ juvandæ causâ comprehensa:

1. *Error*, 2. *conditio*, 3. *votum*, 4. *cognatio*, 5. *crimen*,
6. *Cultûs disparitas*, 7. *vis*, 8. *ordo*, 9. *ligamen*, 10. *honestas*.
11. *Si sis affinis*, 12. *si fortè coïre nequibis;*
13. *Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.*
14. *Si Parochi et duplicis desit præsentia testis.*
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

I. Quid intelligis per impedimentum *Erroris?*

R. Intelligo Errorem non quemlibet, sed errorem personæ. Si quis, verbi gratiâ, velit ducere Rachelem, et supponatur ipsi per fraudem Lia soror ejus, matrimonium cum Lia contractum nullum est; quia ubi nullus est consensus, ibi nullum matrimonium. At cui per fraudem Lia subintroducitur, is non Liæ, sed Racheli suam dat fidem.

I. Ergo inter Jacob et Liam matrimonium nullum fuit?

R. Fuit post subsequentem consensum et ratihabitionem: sed ante hanc ratihabitionem matrimonium inter eos nullum fuit.

I. Si quis velit ducere uxorem divitem, nobilem, virginem, et matrimonio contracto deceptum se fuisse experiatur; Validumne est matrimonium?

R. Validum est. Solus error personæ, de qua mox diximus, et conditionis servilis, de qua mox dicemus, matrimonium dirimit. Si quis decipiatur in fortuna, in dotibus conjugis, ut fit sæpissimè; Error ille non dirimit matrimonium contractum.

(E) DECRET. 2. *part. caus.* 32. *Quæst.* 7. *can.* 26. Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur.

Cap. 25. Illi, qui Matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à Barbaris exsecti fuerint.

I. Quid intelligis per impedimentum *Conditionis*, quod alterum est ex dirimentibus ?

R. Intelligo matrimonium nullum esse, si quis liber servam uxorem accipiat, quam putat esse liberam ; vel si qua mulier libera nubat servo quem putat esse liberum. Agimus hîc de servitute propriè dicta, quâ fit ut quis fit verè sub dominio alteriûs, nec potestatem habeat sui corporis et suæ libertatis. Quæ quidem servitus nunc inter Christianos non reperitur, et sublata est jam pridem legibus Imperatoriis.

I. Cur appositum est hoc impedimentum.

R. Quia servitus hominem omninò ponit sub alteriûs dominio ; non potest ergo tradere se in potestatem conjugis, ut fit per matrimonium. Et fieret injuria conjugi non servienti servitutem. Si tamen persona libera ultrò consentiat in matrimonium, nonobstante servitute futuri conjugis quem novit esse sub dominio alteriûs ; tunc accedente consensu domini, matrimonium ratum est. Tunc enim nemini fit injuria.

I. Quid intelligis per impedimentum *Voti*, quod tertium est ex dirimentibus ?

R. Intelligo irritum esse matrimonium, si contrahatur post editum votum solemne religionis à Monacho aut Clerico regulari vel à Moniali.

I. Cur Ecclesia vult irrita esse hujusmodi matrimonia ?

R. Quia votum solemne habetur ab Ecclesia instar matrimonii spiritualis Christum inter et voventem contracti : quo fit ut quis Christo conjunctus sit arctiori vinculo quàm conjux conjugi. Et quidem vinculo insolubili, quod specialem vitæ statum constituit non secùs ac conjugium.

I. Quid intelligis per impedimentum *Cognationis*, quod quartum est ex dirimentibus ?

R. Intelligo irritum esse matrimonium, si inter consanguineos intra quartum consanguinitatis gradum contrahatur.

I. Quibus de causis appositum est hoc impedimentum ?

R. 1. *Habita est ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur.* Verba sunt S. Augustini. (*Lib.* 15. *de Civit. Dei, cap.* 16. *n.* 1.)

2. Publicæ honestati repugnant matrimonia inter consanguineos inita.

3. Coërcenda fuit hoc freno concupiscentia, quæ liberiùs effervesceret inter cognatos ob facilitatem consuetudinis, si matrimonium contrahi posse speraretur.

I. Quid intelligis per impedimentum *affinitatis*, quod quinto loco ponitur inter dirimentia ?

R. Huic quæstioni antequàm respondeam, observa duo esse affinitatis genera.

Affinitas vel est carnalis vel spiritualis.

Affinitas carnalis vel oritur ex copula licita, scilicet ex

matrimonio consummato : vel ex copula illicita scilicet ex consummato adulterio , ex consummata fornicatione.

Affinitas spiritualis oritur ex Baptismo vel Confirmatione, ut infrà dicemus.

Hæc omninò distinguenda sunt, quia variæ illæ affinitates varia impedimenta constituunt.

Impedimentum affinitatis ortæ ex copula illicita , in eo positum est quòd inter virum et consanguineos omnes uxoris , inter uxorem et consanguineos mariti affinitas intercedat , vi cujus post obitum alterutriûs conjugis non possit conjux superstes inire matrimonium cum consanguineis defuncti intra quartum consanguinitatis gradum: Alioqui nullum et irritum erit conjugium.

Impedimentum ortum ex copula illicita in eo positum est quòd affines censeantur omnes consanguinei illius personæ cum qua consummata est copula illicita ; ita ut nullum et irritum esset matrimonium contractum post ejusmodi copulam , cum illis affinibus usque ad secundum gradum inclusivè. Sed non extenditur ultra secundum gradum impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita , idque ex sanctione Concilii Tridentini , cujus hæc sunt verba : « Sancta » Synodus.... gravissimis de causis adducta , impedimen» tum , quod propter affinitatem ex fornicatione contractum » inducitur , et matrimonium posteà factum dirimit, ad eos » tantùm qui in primo et secundo gradu conjunguntur, » restringit. In ulterioribus verò gradibus statuit hujusmodi » affinitatem matrimonium posteà contractum non diri» mere. »

Affinitas spiritualis contrahitur, 1° Inter baptizantem et baptizatum ejusque parentes : ita ut irritum esset matrimonium si posteà contraheretur inter ipsos.

2° Inter susceptores ex sacro fonte baptismatis et susceptum ejusque parentes ; ita ut irritum esset matrimonium quod posteà contraheretur inter alterutrum susceptorum et susceptum vel ejus parentes. Sed non contrahitur hæc affinitas nisi baptismus reipsâ collatus sit. Si suppletæ sunt solùm baptismi cæremoniæ nulla affinitas est.

3° Inter Patrinum et Matrinam confirmationis et confirmatum , ejusque parentes ; ita ut irritum esset matrimonium si contraheretur inter ipsos non secùs ac inter baptizatum, et susceptores de sacro fonte baptismatis.

I. Cur carnalis affinitatis impedimenta posita sunt ?

R. Quia affinitas carnalis instar est cognationis , et quæ causæ prohibent connubia fieri inter cognatos eædem et ad affines pertinent.

I. Cur affinitas spiritualis irritat matrimonium ?

R. Quia instar cognationis cujusdam habetur ab Ecclesia.

I. Quid intelligis per impedimentum criminis quod sextum locum tenet in dirimentibus ?

R. Intelligo Homicidium vel Adulterium perpetratum in quatuor his casibus :

1. Si quis adulter uxorem suam per se vel per alium interficiat, eà mente ut possit posteà matrimonio copulari cum illa adultera, irritum erit. Idem esto judicium de muliere adultera interficiente virum suum, ut possit nubere adultero. Idem esto quoque judicium de viro interficiente maritum illius adulteræ, vel de femina interficiente uxorem illius adulteri. Idque etiamsi nulla præcesserit conventio de futuro matrimonio ; et homicidium fuerit perpetratum inscià parte adulterâ.

2. Si alteruter conjugum conjugem interficiat eà mente ut posteà possit novum inire conjugium cum ea persona cui priùs fidem dedit de contrahendo Matrimonio post mortem conjugis ; Matrimonium subsequens irritum erit, etiamsi nullum adulterium præcesserit, et conscia criminis non fuerit ea persona quæ in Matrimonium appetitur, modò fidem datam acceptaverit.

Idem esto judicium si pacto inito de futuro conjugio inter personam conjugatam et solutam, solutus virum conjugatæ, vel soluta uxorem conjugati interficiat, etiam inscià eà personà quæ appetitur in futurum conjugium, et nullo præmisso adulterio.

3. Si adulterium committatur post pactum initum de contrahendo inter se Matrimonio cùm alter conjux è vivis excesserit ; oritur impedimentum dirimens : et nullum esset Matrimonium subsecutum post mortem conjugis. Idque propter adulterium præmissum post illud pactum prævium.

4. Si quis conjugatus alteram ducit uxorem vivente priore, non potest post mortem prioris, posteriorem in legitimum Matrimonium assumere, si hæc conscia criminis fuerit ; si autem hæc nescivit prius conjugium, irritum non erit Matrimonium subsequens mortuâ priore uxore contractum. Idem esto judicium de muliere conjugata quæ viro alteri nuberet scienti prius conjugium.

I. Cur appositum est ab Ecclesia hoc impedimentum criminis ?

R. 1. Ut ne conjugati in adulteria vel homicidia prorumperent liberiùs spe futuri conjugii ; 2. Ut esset fides conjugalis sanctior.

I. Quid intelligis per *Disparitatem cultûs*, quod septimum impedimentum est ex dirimentibus ?

R. Intelligo irritum fore Matrimonium quod fidelis contraheret cum infideli ; verbi gratiâ, Christianus cum Judæa, Christiana cum Mahumetano.

I. Cur hoc impedimentum appositum est ?

R. 1° Quia tale Matrimonium non potest esse Sacramentum. 2° Ne fidelis veniret in periculum fidei. Posset enim facilè adduci in infidelitatem à conjuge.

I. Si infidelis convertatur ad Christum conjuge infideli permanente in infidelitate, irritumne est Matrimonium ante conversionem contractum?

R. Si velit alteruter Matrimonium dissolvere, per eos licet. Si verò sponte consentiant in Matrimonio permanere, ratum erit Matrimonium in infidelitate contractum, nec poterit amplius dissolvi. (A)

(A) 1. Cor. VII. 12. Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. 13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: 14. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 15. Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim serviluti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus. 16. Undè enim scis mulier, si virum salvum facies? aut undè scis vir, si mulierem salvam facies? 17. Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, et sicut in omnibus Ecclesiis doceo.

S. Aug. *de Conjug. adult. lib.* I. *cap.* 21. *n.* 25. Tu autem cui placet, ita non licere quod non vetat Dominus, sed Apostolus, quemadmodum non licet quod vetat Dominus, cùm exponere voluisses quid sibi vellet quod ait (1. *Cor.* VII. 12.), *Ego dico, non Dominus*, cùm alloqueretur fideles quibus essent conjuges infideles, dixisti, *quia Dominus jussit ne conjugia sibimet diversæ religionis copularentur* (*Deut.* VII. 3.): et ipsum adhibuisti testimonium Domini dicentis, *non accipies uxorem filio tuo à filiabus alienigenarum, ne traducat eum post Deos suos, et pereat anima ejus.* Addidisti etiam verba Apostoli, ubi dixit, (1. *Cor.* VII. 39.) *Mulier alligata est, quandiù vir ejus vivit. Quòd si mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino:* quod ita exposuisti, ut adjungeres, *id est, Christiano.* Deindè secutus es, et aisti, *Hoc est ergo Domini præceptum tam in veteri quàm in novo Testamento, ut non nisi unius religionis et fidei conjugia sibi maneant copulata.* Si hoc ergo est Domini præceptum tam in veteri Testamento quàm in novo, et hoc jubet Dominus, hoc docet Apostolus, ut non nisi unius religionis et fidei maneant copulata conjugia, quare contra hoc Domini jussum, contra doctrinam suam, contra præceptum Testamenti veteris et novi, jubet Apostolus ut diversæ fidei conjugia maneant copulata? *Quia Paulus*, inquis, *gentium prædicator et Apostolus, jam in conjugio positos, non solùm monet, sed etiam jubet, ut si unus aut una è conjugibus credidisset, alterum vel alteram non credentem, secum tamen habitare consentientem, non dimitteret.* His verbis tuis aliud hoc, aliud esse illud, satis evidenter ostendis. Illud enim de his conjugiis agitur, quæ sibi primitùs copulantur, ne nubat femina, non suæ religionis viro, vel vir talem ducat uxorem. *Id enim*, ut dicis, *jubet Deus, docet Apostolus, utrumque præcipit Testamentum.* Hoc autem diversum esse quis abnuat, ubi agitur non de conjungendis, sed de conjunctis? Ambo quippè unius ejusdemque infidelitatis fuerunt quando conjuncti sunt, sed Evangelium cùm venisset, alter sine altera, vel altera sine altero credidit. Si ergo aliud est hoc, quod sine scrupulo ullius dubitationis apparet, cur fidelem cum infideli in conjugio permanere, non et Dominus sicut Apostolus jubet? Nisi fortè isto loco vacat, quod tam fidenter ipse ait (2. *Cor.* XIII. 3.), *an vultis experimentum accipere ejus qui in me loquitur Christus?* Et utique Dominus est Christus. Intelligisne quid dicam? An in hoc explanando aliquantò diligentiùs immorabor?

N. 26. Attende, ut rem ipsam tanquam in conspectu considerandam planiore sermone ponamus. Ecce conjuges duo unius infidelitatis: ita fuerunt quando conjuncti sunt: nulla de his quæstio est, quæ pertineat ad illam Domini jussionem doctrinamque Apostolicam et præceptum Testamenti veteris et novi, quo prohibetur fidelis cum infideli copulare conjugium. Jam sunt conjuges, et adhuc ambo sunt infideles, adhuc tales sunt quales fuerunt antequàm jungerentur, qualesque conjuncti sunt.

I. Irritumne est Matrimonium Catholicorum cum hæreticis?

R. Prohibitum est ; non irritum, nisi adsint alia impedimenta.

I. Quid intelligis per *Vim*, quæ octavo loco ponitur inter impedimenta dirimentia ?

R. Intelligo irritum esse Matrimonium si alteruter conjugum non liberè consenserit in Matrimonium, sed ad id adactus fuerit per vim et metum gravem et injustè incussum.

I. Cur hoc impedimentum introductum est ?

R. 1. Quia nihil magis pugnat cum libertate quàm violentia et coactio. At Matrimonium est contractus ex natura sua liber.

2. Necesse fuit hoc impedimentum apponere, ut tolleretur occasio Potentibus, ad Matrimonia cogere nolentes.

I. Quid intelligis per impedimentum *Ordinis*, quod nonum est ex dirimentibus ?

R. Intelligo irritum esse Matrimonium quod contraheretur à Subdiacono, vel Diacono, vel Sacerdote ; illud autem impedimentum ideò positum est, quia Clerici majores jam censentur spirituale Matrimonium cum Christo contraxisse non secùs ac regulares. Cur autem posuerit illis Ecclesia legem cælibatus ; jam fusiùs diximus ubi de cælibatu Clericorum. (*Cap.* 7. §. 9. *hujus Sect.*)

I. Quid intelligis per impedimentum *Ligaminis*, quod decimum est ex dirimentibus ?

R. Intelligo non posse conjugatos ante mortem alterius conjugis Matrimonio copulari : Alioquin irritum erit Matrimonium subsequens. Nec sufficit mors conjugis præsumpta ob diuturnam absentiam. Irritum est Matrimonium subsequens, nisi conjux reipsâ è vivis excesserit : nefas ergo ad secundas nuptias convolare, nisi adsint certa viduitatis testimonia. (B)

Venit Evangelii prædicator, credidit eorum aut unus, aut una, sed ita ut infidelis cum fideli habitare consentiat. Jubet fideli Dominus ne infidelem dimittat, an non jubet ? Si dixeris, Jubet : reclamat Apostolus, *Ego dico, non Dominus.* Si dixeris, Non jubet : causam requiro. Neque illam mihi responsurus es, quam tuis litteris indidisti, *quia Dominus prohibet fideles infidelibus jungi.* Hic enim nullo modo est ista causa ; de jam junctis loquimur, non de jungendis. Si ergo tu causam non invenisti, cur non vetet Dominus, quod vetat Apostolus ; cernis enim jam, ut existimo, non esse ipsam quam esse putaveras : vide ne fortè illa sit quæ mihi visa est, et tunc proferenda, et nunc defendenda ; ut scilicet illud intelligamus dicere Dominum, quod habet coram illo nullo modo transgredienda justitia, id est, quod ita jubet aut vetat, ut aliud facere omninò non liceat : quod autem volentis potestati ita permittit, ut nec agatur nec prætermittatur illicitè, ibi servorum suorum consilio locum dare ut id potiùs suadeant quod viderint expedire.

(B) 1. Cor. vii. 27. Alligatus es uxori ? noli quærere solutionem.

39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.

Decret. Greg. *lib.* 4. *Tit.* 1. *De desponsat. impuber. cap.* 19. In præsentia nostra quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causà captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septennium præstolatæ fuerint : nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licèt super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem : et pro juvenili ætate, seu fragili-

I. Quid intelligis per impedimentum *Honestatis*, quod undecimo loco positum est inter dirimentia ?

R. Intelligo ex sponsalibus oriri impedimentum dirimens ; ita ut si fortè sponsalia solvantur nondum inito Matrimonio, inter sponsum et sponsæ matrem vel sororem, inter sponsam et patrem vel fratrem sponsi nullum possit iniri validum connubium : modò tamen sponsalia legitima intercesserint : nullum enim est impedimentum, si sponsalia non fuerint legitima. Illud autem impedimentum publicæ honestatis dicitur : quia existimavit Ecclesia ad publicam decentiam et honestatem pertinere ut hoc poneretur.

I. Quid intelligis per impedimentum duodecimo loco positum his verbis, *si forte coïre nequibis ?*

R. Intelligo irritum esse Matrimonium, si quis impotentiâ perpetuâ laborans illud contraxerit. Si verò impotentia non sit perpetua, vel si Matrimonio jam contracto supervenerit impotentia perpetua, stat Matrimonium.

I. Si morbus ille oriatur ex maleficio et præstigiis quid facto opus ?

R. Recurrendum ad preces Ecclesiæ, ut maleficium tollatur. Nec altero maleficio tollendum maleficium est : quod grande nefas.

I. Cur hoc impedimentum positum est ?

R. Quia morbus ille conceptioni prolis opponitur, qui præcipuus est Matrimonii finis.

I. Quid intelligis per impedimentum tertio decimo loco positum his verbis, *Si Parochi et duplicis desit præsentia testis?*

R. Intelligo irrita prorsùs esse Matrimonia clandestina. Porrò clandestina dicuntur, nisi fiant coram proprio contrahentium Parocho et duobus vel tribus testibus. (C)

tate carnis, nequeunt continere, petentes aliis Matrimonio copulari. Consultationi ergo tuæ respondeo quòd quantocunque annorum numero ita remanent, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare, nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.

(C) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 24. *De reform. Matrimonii, cap.* 1. Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse Matrimonia, quandiù Ecclesia ea irrita non fecit ; et proindè jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant ; quique falsò affirmant, Matrimonia à filiis-familiàs sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata irrita facere posse : nihilominùs sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verùm cùm sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse ; et gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clàm contraxerant, relictà, cum alia palàm contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur : idcircò sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur,

Adverte tamen etiamsi sufficiant testes duo ad Sacramenti validitatem ; tamen in Gallia , ut Matrimonia secundùm leges fiant, quatuor testes omninò requiri. (D)

inter quos Matrimonium sit contrahendum : quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur ; ubi Parochus , viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto , vel dicat , *Ego vos in Matrimonium conjungo , in nomine Patris , et Filii , et Spiritûs sancti :* vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiosè impediri posse , si tot præcesserint denuntiationes , tunc vel una tantùm denuntiatio fiat ; vel saltem Parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Deindè ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant ; ut si aliqua subsunt impedimenta , faciliùs deleguntur : nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur : quod illius prudentiæ et judicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter quàm præsente Parocho , vel alio Sacerdote , de ipsius Parochi , seu Ordinarii licentiâ , et duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt , eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit : et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit , prout eos præsenti decreto irritos facit , et annullat. Insuper Parochum , vel alium Sacerdotem , qui cum minore testium numero , et testes qui sine Parocho , vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes , graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur ut conjuges, ante benedictionem Sacerdotalem , in templo suscipiendam , in eadem domo non cohabitent ; statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri , neque à quoquam nisi ab ipso Parocho , vel Ordinario , licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse , quacunque consuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quòd si quis Parochus , vel alius Sacerdos , sive Regularis sive secularis sit , etiam si id sibi ex privilegio , vel immemorabili consuetudine licere contendat , alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit ; ipso jure tandiù suspensus maneat , quandiù ab Ordinario ejus Parochi , qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat Parochus librum , in quo conjugum et testium nomina , diemque et locum contracti Matrimonii describat : quem diligenter apud se custodiat. Postremò sancta Synodus conjuges hortatur , ut antequam contrahant , vel saltem triduò ante Matrimonii consummationem , sua peccata diligenter confiteantur , et ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ provinciæ aliis ultra prædictas , laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis hâc in re utuntur, eas omninò retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut, cùm primùm potuerint , curent hoc decretum populo publicari , ac explicari in singulis suarum diœcesum Parochialibus Ecclesiis, idque in primo anno quàm sæpissimè fiat ; deindè verò quoties expedire viderint.

(D) **Ordonnance de Blois**, *art.* 40. *Sur les Témoins , au nombre de* 4. **Henri III.** *Etats de Blois de* 1579. **Guenois** *tom.* 1. *Edit. in fol. de Paris de l'an* 1627. *pag.* 546. *Liv.* 5. *tit.* 2. §. 6. *n.* 3. Pour obvier aux abus et inconvéniens qui adviennent des Mariages clandestins , Ordonnons que nos sujets de quelque état , qualité et condition qu'ils soient , ne pourront valablement contracter Mariage sans proclamations précédentes de bancs , faites par trois divers jours de Fêtes , avec intervalles compétans ; dont on ne pourra obtenir dispense sinon après la première Publication faite : et ce seulement pour quelque urgente et légitime cause , et à la réquisition des principaux et plus proches parens communs des Parties contractantes. Après lesquels bancs , seront épousés publiquement ; et pour pouvoir témoigner de la forme qui en aura été observée ès dits mariages , y assisteront quatre personnes dignes de foi pour le moins , dont sera fait registre : le tout sur les peines portées par les Conciles ;

Enjoignons aux Curés, Vicaires, et autres de s'enquérir soigneusement de la qualité de ceux qui se voudront marier. Et s'ils sont enfans de famille, ou étant en la puissance d'autrui, nous leur défendons très-étroitement de passer outre à la célébration desdits Mariages, s'il ne leur apparait des consentemens des Pères, et Mères, Tuteurs, ou Curateurs, sur peine d'être punis comme fauteurs de crime de rapt.

LOUIS XIII. *Edit. de Janvier* 1629. *à Paris. art.* 39. L'Ordonnance de Blois touchant les Mariages clandestins, sera exactement observée: et y ajoutant, voulons que Mariages, contractés contre la teneur de ladite Ordonnance, soient déclarés non-valablement contractés, faisant défenses à tous Curés et autres Prêtres Séculiers, ou Réguliers, sur peine d'amende arbitraire, de célébrer aucun Mariage de personnes qui ne seront de leurs Paroissiens, sans la permission de leurs Curés, ou de l'Evêque Diocésain, nonobstant tous priviléges à ce contraires. Et seront tenus les Juges Ecclésiastiques juger les causes desdits mariages conformément à cet article.

Art. 40. Nous défendons à tous Juges, même à ceux de Cour d'Eglise, de recevoir à l'avenir aucune preuve par témoins et autres que par écrit en fait de Mariage, fors et reservé entre personnes de village de basse et vile condition; à charge néanmoins, que la preuve n'en puisse être admise que des plus proches parens de l'une et l'autre des Parties, au nombre de six pour le moins.

Art. 169. Désirant conserver l'autorité des Pères sur leurs enfans, l'honneur et la liberté des Mariages, et la révérence due à un si saint Sacrement, et empêcher qu'à l'avenir plusieurs familles de qualité ne soient alliées de personnes indignes, et de mœurs dissemblables, ayons renouvelé les Ordonnances pour la punition du crime de rapt. Et ajoutant à icelles, voulons que tous ceux qui commettront rapt, et enlevement des veuves, fils et filles, étant sous la puissance des Pères et Mères, Tuteurs et Parens, ou entreprendront de les suborner pour se marier, et qui auront aidé et favorisé tels Mariages, sans l'aveu et consentement de leurs Parens, Tuteurs et autres qui les auront en charge, soient punis comme infracteurs des Lois, et perturbateurs du repos public, et sera procédé contre eux extraordinairement par punition de mort, et confiscations de biens, sur iceux préalablement pris les reparations adjugées, sans qu'il soit loisible aux Juges de nos Cours Souveraines et autres, de modérer la peine établie par notre présente Ordonnance. Enjoignons à cet effet à tous nos Juges d'informer promptement desdits crimes, sitôt qu'ils auront été commis: et à nos Procureurs Généraux et leurs Substituts d'en faire poursuite, encore qu'il n'y eût plainte ni partie, pour être procédé au jugement, nonobstant oppositions et appellations quelconques, sur peine d'en répondre en leur nom; et outre défendons très-expressément à toutes personnes de quelques qualité ou condition qu'elles soient, de favoriser, donner retraite, ou recevoir en leurs Maisons lesdits coupables, ni retenir les personnes enlevées, à peine du rasement d'icelles, et de répondre solidairement et leurs héritiers des réparations adjugées. Même aux Capitaines et Gouverneurs qui commandent aux Places sous notre autorité, de les y admettre ni recevoir, sur les mêmes peines, et d'être privés de leurs Charges, lesquelles en ce cas avons déclarées vacantes et impétrables, pour y être par nous pourvu, sans qu'ils y puissent être rétablis. Et afin de faire cesser telles entreprises, et qu'à l'avenir tels crimes ne puissent être excusés et couverts: Voulons suivant les saints Décrets et les constitutions canoniques, tels Mariages faits avec ceux qui auront enlevé lesdites veuves, fils et filles, être déclarés nuls et de nul effet et valeur, comme non-valablement ni légitimement contractés, sans que par le temps, consentement des personnes ravies, leurs Parens et Tuteurs, prêté avant ou après lesdits prétendus Mariages, ils puissent être validés et confirmés; et que les enfans qui viendront desdits Mariages soient et demeurent bâtards et illégitimes, indignes de toutes successions directes et collatérales qui leur pourraient échoir: ensemble les Parens qui auront assisté, donné conseil, aide et retraite, ou prêté consentement ausdits prétendus Mariages, et leurs hoirs à toujours, incapables de pouvoir succéder, directe-

ment ou indirectement ausdites veuves, fils ou filles; et desquels audit cas, nous les avons privés et déclarés indignes, sans que lesdits enfans puissent être légitimés, ni leurs parens réhabilités pour recueillir lesdits biens; et si aucunes Lettres étaient impétrées de nous par importunité ou autrement, défendons à nos Juges d'y avoir égard.

Déclaration du Roi **LOUIS XIII.** *du 26. Novembre 1639. portant Réglement sur l'ordre qui doit être observé en la célébration des Mariages, et contre ceux qui commettent le crime rapt.* Louis, par la grâce de Dieu, Roi de France et de Navarre : A tous ceux qui ces présentes Lettres verront, Salut. Comme les Mariages sont le Séminaire des Etats, la source et l'origine de la Société civile, et le fondement des Familles, qui composent les Républiques, qui servent de principes à former leurs polices, et dans lesquelles la naturelle révérence des enfans envers leurs Parens, est le lien de la légitime obéissance des sujets envers leur Souverain: aussi les Rois nos Prédécesseurs ont jugé digne de leur soin, de faire des Lois de leur ordre public, de leur décence extérieure, de leur honnêteté, et de leur dignité. A cet effet ils ont voulu que les Mariages fussent publiquement célébrés en face d'Eglise, avec toutes les justes solennités, et les cérémonies qui ont été prescrites comme essentielles par les SS. Conciles, et par eux declarées être non-seulement de la nécessité du précepte, mais encore de la nécessité du Sacrement. Mais outre les peines indictes par les Conciles, aucuns de nosdits Prédecesseurs, ont permis aux Pères et aux Mères d'exhéréder leurs enfans qui contractaient des mariages clandestins sans leur consentement, et de révoquer toutes et chacunes donations et avantages qu'ils leur avaient faits. Mais quoique cet Ordonnance fût fondée sur le premier Commandement de la seconde table, contenant l'honneur et la révérence qui est due aux parens, elle n'a pas été assez forte pour arrêter le cours du mal et du désordre qui a troublé le repos de tant de familles, et flétri leur honneur par des aliances inégales, et souvent honteuses et infames. Ce qui depuis a donné sujet à d'autres Ordonnances, qui désirent la proclamation des bans, la présence du propre Curé et de témoins assistans à la Bénédiction nuptiale, avec des peines contre les Curés, Vicaires, et autres qui passeraient outre à la célébration des mariages des enfans de famille, s'il ne leur apparaissait des consentemens des Pères et Mères, Tuteurs et Curateurs, sur peine d'être punis comme fauteurs de crime de rapt, comme les auteurs et les complices de tels illégitimes mariages. Toutes fois quelque ordre qu'on ait pu apporter jusqu'à maintenant, pour rétablir l'honnêteté publique et des Actes si importans, la licence du siècle, la dépravation des mœurs, ont toujours prévalu sur nos Ordonnances si saintes, si salutaires, dont même la rigueur et l'observation a été souvent relâchée, par la considération des Pères et Mères qui remettent leur offense particulière, bien qu'ils ne puissent remettre celle qui est faite aux lois publiques. C'est pourquoi ne pouvant plus souffrir que nos Ordonnances soient ainsi violées, ni que la sainteté d'un si grand Sacrement, qui est le signe mystique de la conjonction de Jésus-Christ avec son Eglise, soit indignement profané; et voyant d'autre part à notre grand regret et au préjudice de nos Etats, que la plupart des honnêtes familles de notre Royaume demeurent en trouble, par la subornation ou enlèvement de leurs enfans, qui trouvent eux-mêmes la ruine de leur fortune dans ces illégitimes conjonctions, Nous avons résolu d'opposer à la fréquence de ces maux, la sévérité des Lois, et de retenir par la terreur de nouvelles peines, ceux que ni la crainte, ni la révérence des Lois divines et humaines ne peuvent arrêter; n'ayant en cela autre dessein que de sanctifier le mariage, régler les mœurs de nos sujets, et empêcher que les crimes de rapt ne servent plus à l'avenir de moyen et de dégrés pour parvenir à des mariages avantageux. A ces causes, après avoir mis cette affaire en délibération en notre Conseil : de l'avis d'icelui et de notre certaine science, pleine puissance et autorité Royale, Nous avons statué et ordonné, statuons et ordonnons ce qui suit :

Art. I. Nous voulons que l'article 40. de l'Ordonnance de Blois touchant les Mariages clandestins, soit exactement gardé : et interpretant icelui, Ordonnons que la proclamation des Bans sera faite par le Curé de cha-

cune des parties contractantes, avec le consentement des Pères, Mères, Tuteurs ou Curateurs, s'ils sont enfans de famille, ou en la puissance d'autrui; et qu'à la célébration du mariage, assisteront quatre témoins dignes de foi, outre le Curé qui recevra le consentement des parties, et les conjoindra en mariage, suivant la forme pratiquée en l'Eglise. Faisons très-expresses défenses à tous Prêtres, tant Séculiers que Réguliers, de célébrer aucun mariage qu'entre leurs vrais et ordinaires Paroissiens, sans la permission par écrit des Curés des parties, ou de l'Evêque Diocésain, nonobstant les coutumes immémoriales et Priviléges que l'on pourrait alléguer au contraire : et ordonnons qu'il sera fait un bon et fidèle Regitre, tant des mariages que de la publication des bans, ou des dispenses et des permissions qui auront été accordées.

Art. II. Le contenu en l'Edit de 1556 et aux articles 41. 42. 43. et 44. de l'Ordonnance de Blois, sera observé : et y ajoutant, Nous ordonnons que la peine de rapt demeure encourue, nonobstant le consentement qui pourrait intervenir par après, de la part des Pères et Mères, Tuteurs et Curateurs; dérogeant expressément aux Coutumes qui permettent aux enfans de se marier après l'âge de 25 ans, sans le consentement des Pères et Mères. Et avons déclaré et déclarons les veuves, fils et filles moindres de 25 ans qui auront contracté mariage contre la teneur desdites Ordonnances, privés et déchus par leur seul fait, ensemble les enfans qui en naîtront et leurs hoirs, indignes et incapables à jamais des successions de leurs Pères et Mères, et Aïeuls, et de toutes autres directes et collatérales : comme aussi des droits et avantages qui pourraient leur être acquis par Contrats de Mariages et Testamens, ou par les Coutumes et Lois de notre Royaume, même du droit de légitime; et les dispositions qui seront faites au préjudice de cette Ordonnance, nulles et de nul effet et valeur. Voulons que les choses ainsi données, léguées ou transportées, sous quelque prétexte que ce soit, demeurent en ce cas acquises irrévocablement à notre fisc, sans que nous en puissions disposer qu'en faveur des Hôpitaux, ou autres œuvres pies. Enjoignons aux fils qui excèdent l'âge de 30 ans, et aux filles qui excèdent l'âge de 25 de réquérir par écrit l'avis et le conseil de leurs Pères et mères pour se marier, sous peine d'être exhérédés par eux, suivant l'Edit de 1556.

Art. III. Déclarons conformément aux saints Décrets et Constitutions canoniques et civiles, les mariages faits avec ceux qui ont ravi et enlevé des veuves, fils et filles, de quelque âge et condition qu'ils soient, nouvalablement contractés, sans que par le temps, ni par le consentement des personnes ravies, et de leurs Pères et Mères, Tuteurs et Curateurs, ils puissent être confirmés, tandis que la personne ravie est en possession du ravisseur. Et néanmoins, en cas que sous prétexte de majorité elle donne un nouveau consentement, après être mise en liberté, pour se marier avec le ravisseur, Nous la déclarons, ensemble les enfans qui naîtront d'un tel mariage, indignes et incapables de légitime, et de toutes successions directes et collatérales qui leur pourraient échoir, sous quelque titre que ce soit, conformément à ce que nous ordonnons contre les personnes ravies par subornation : et les parens qui auront assisté, donné conseil, et favorisé lesdits mariages, et leurs hoirs, incapables de succéder directement ou indirectement auxdites veuves, fils et filles. Enjoignons très-expressément à nos Procureurs généraux et leurs Substituts, de faire toutes les poursuites nécessaires contre les ravisseurs et leurs complices, nonobstant qu'il n'y eût plainte de Partie civile : et à nos Juges de punir les coupables de peine de mort et confiscation de biens, sur iceux préalablement prises les réparations qui seront ordonnées, sans que cette peine puisse être modérée. Faisons défense à tous nos Sujets de quelque qualité et condition qu'ils soient de donner faveur ni retraite aux coupables, ni de retenir les personnes enlevées, à peine d'être punis comme complices, et de répondre solidairement et leurs héritiers des réparations adjugées, et d'être privés de leurs Offices, Gouvernemens s'ils en ont, dont ils encourront la privation par le seul acte de la contravention à cette défense.

Art. IV. Et afin qu'un chacun reconnaisse combien nous détestons toutes sortes de rapts, nous défendons très-expressément aux Princes et

Seigneurs de ne nous faire instance pour accorder des Lettres, afin de réhabiliter ceux que nous avons déclarés incapables des successions : à nos Secrétaires d'Etat de les signer : et à notre très cher et féal Chancelier de les sceller : et à tous Juges d'y avoir aucun égard, en cas que par importunité ou autrement on en eût impétré aucune de nous : Voulant que nonobstant telles dérogations ou dispenses, les peines contenues dans nos Ordonnances soient exécutées.

Art. V. Désirant pourvoir à l'abus qui commence à s'introduire dans notre Royaume, par ceux qui tiennent leurs mariages secrets et cachés pendant leur vie, contre le respect qui est dû à un si grand Sacrement, Nous ordonnons que les majeurs contractent leur mariage publiquement, et en face d'Eglise, avec les solennités prescrites par l'Ordonnance de Blois ; et déclarons les enfans qui naîtront de ces mariages, que les parties ont tenu jusque ici, ou tiendront à l'avenir cachés pendant leur vie, qui ressentent plutôt la honte d'un concubinage, que la dignité d'un mariage, incapables de toutes successions, aussi-bien que leur postérité.

Art. VI. Nous voulons que la même peine ait lieu contre les enfans qui sont nés des femmes que les Pères ont entretenues, et qu'ils épousent lorsqu'ils sont à l'extrémité de la vie : comme aussi contre les enfans procréés par ceux qui se marient après avoir été condamnés à mort ; même par les sentences de nos Juges rendues par défaut, si avant les décés ils n'ont été remis au premier état suivant les voies prescrites par nos Ordonnances.

Art. VII. Défendons à tous Juges, même à ceux d'Eglise de recevoir la preuve par témoins des promesses de mariage, ni autrement que par écrit, qui soit arrêté en présence de quatre proches parens de l'une et l'autre des parties, encore qu'ils soient de basse condition.... Donné à S. Germain en Laye, le 26. Novembre, l'an de grâce 1639. et de notre Règne le trentième.

LOUIS XIV. *Ordonnance d'Avril* 1667. *tit.* XX. *Art.* VII. Les preuves de l'âge, des mariages, et du temps du décès, seront reçues par des Registres en bonne forme, qui feront foi et preuve en Justice.

Art. VIII. Seront faits par chacun an deux Registres pour écrire les Baptêmes, Mariages, et Sepultures en chacune Paroisse, dont les feuillets seront paraphés et cottés par premier et dernier, par le Juge Royal du lieu, où l'Eglise est située : l'un desquels servira de Minute et demeurera ès mains du Curé ou Vicaire, et l'autre sera porté au Juge Royal pour servir de Grosse, etc.

Art. IX. Aux mariages seront mis les noms et surnoms, âges, qualités et demeures de ceux qui se marient : s'ils sont enfans de famille, en tutelle, curatelle, ou en puissance d'autrui : et y assisteront quatre témoins, qui déclareront sur le Registre, s'ils sont parens, de quel côté, en quel dégré.

Art. X. Les Baptêmes, Mariages et Sépultures seront en un même Registre, selon l'ordre des jours, sans laisser aucun blanc : et aussi-tôt qu'ils auront été faits, ils seront écrit et signés ; savoir,... les actes de mariage, par les personnes mariées, et par quatre de ceux qui y auront assisté.

Edit de Mars 1697 *à Versailles*.... Les saints Conciles ayant prescrit comme une des solennités essentielles au Sacrement de mariage, la présence du propre Curé de ceux qui contractent, les Rois nos Prédécesseurs ont autorisé par plusieurs Ordonnances l'exécution d'un Réglement si sage, et qui pouvait contribuer aussi utilement à empêcher ces conjonctions malheureuses qui troublent le repos, et flétrissent l'honneur de plusieurs familles, par des alliances souvent encore plus honteuses par la corruption des mœurs que par l'inégalité de la naissance : mais comme nous voyons avec beaucoup de déplaisir que la justice de ces lois et le respect qui est dû aux deux Puissances qui les ont faites, n'ont pas été capables d'arrêter la violence des passions qui engagent dans les mariages de cette nature, et qu'un intérêt sordide fait trouver trop aisément des témoins, et même des Prêtres qui prostituent leur ministère aussi-bien que leur foi, pour profaner de concert ce qu'il y a de plus sacré dans la Religion et dans la société civile, Nous avons estimé

nécessaire d'établir plus expressément que l'on n'avait fait jusqu'à cette heure, la qualité d'habitant de Paroisse, et de prescrire des peines dont la juste sévérité pût empêcher à l'avenir les surprises que des personnes supposées, et des témoins corrompus ont osé faire par la concession des dispenses, et pour la célébration des mariages, et contenir dans leur devoir les Curés et les autres Prêtres, tant Séculiers que réguliers, lesquels oubliant la dignité et les obligations de leur caractère, violent eux-mêmes les Règles que l'Eglise leur prescrit, et la sainteté d'un Sacrement, dont ils sont encore plus obligés d'inspirer le respect par leurs exemples que par leurs paroles. Et comme nous avons été informés en même temps, qu'il s'était présenté quelques cas en nos Cours, auxquels n'ayant pas été pourvu par les Ordonnances qui ont été faites sur le fait des mariages, nos Juges n'avaient pu apporter les remèdes qu'ils avaient estimé nécessaires pour l'ordre et la police publique: à ces causes, après avoir fait mettre cette affaire en délibération en notre Conseil, de l'avis d'iceluy, et de notre certaine science, pleine puissance et autorité Royale: Nous avons par notre présent Edit statué et ordonné, statuons et ordonnons, voulons et nous plaît:

Que les dispositions des saints Canons, les Ordonnances des Rois nos Prédécesseurs concernant la célébration des mariages, et notamment celles qui regardent la nécessité de la présence du propre Curé de ceux qui contractent, soient exactement observées; et en exécution d'iceux, défendons à tous Curés, Prêtres, tant Séculiers que Réguliers, de conjoindre en mariage autres personnes que ceux qui sont leurs vrais et ordinaires Paroissiens, demeurant actuellement et publiquement dans leurs Paroisses, au moins depuis six mois, à l'égard de ceux qui demeuraient auparavant dans une autre Paroisse de la même ville, ou dans le même Diocèse; et depuis un an pour ceux qui demeuraient dans un autre Diocèse; si ce n'est qu'ils en aient une permission spéciale et par écrit du Curé des parties qui contractent, ou de l'Archevêque ou Evêque Diocésain. Enjoignons à cet effet à tous Curés et autres Prêtres qui doivent célébrer les mariages, de s'informer soigneusement avant d'en commencer les cérémonies, et en présence de ceux qui y assistent, par le témoignage de quatre témoins dignes de foi, domiciliés, et qui sachent signer leur nom, s'il s'en peut aisément trouver tant dans le lieu où on célébrera le mariage, du domicile, aussi-bien que de l'âge et de la qualité de ceux qui le contractent; et particulièrement s'ils sont enfans de famille, ou en la puissance d'autrui: afin d'avoir en ce cas les consentemens de leurs Pères et Mères, Tuteurs ou Curateurs, et d'avertir lesdits témoins des peines portées par notre présent Edit, contre ceux qui certifient en ce cas des faits qui ne sont pas véritables, et de leur en faire signer après la célébration du mariage les actes qui en seront écrits sur le Registre, lequel en sera tenu en la forme prescrite par les articles sept, huit, neuf et dix du titre vingt de notre Ordonnance du mois d'Avril de mil six cent soixante-sept.

Voulons que si aucuns desdits Curés ou Prêtres, tant Séculiers que Réguliers, célèbrent ci-après sciemment et avec connaissance de cause, des mariages entre des personnes qui ne sont pas effectivement de leur Paroisse, sans en avoir la permission par écrit des Curés de ceux qui les contractent, ou de l'Archevêque ou Evêque Diocésain, il soit procédé contre eux extraordinairement; et qu'outre les peines canoniques que les Juges d'Eglise pourront prononcer contre eux, lesdits Curés et autres Prêtres, tant Séculiers que Réguliers qui auront des Bénéfices, soient privés pour la première fois de la jouissance de tous les Revenus de leurs Cures et Bénéfices, pendant trois ans, à la réserve de ce qui est absolument nécessaire pour leur subsistance, ce qui ne pourra excéder la somme de six cents livres, dans les plus grandes Villes, et celle de trois cents livres partout ailleurs, et que le surplus desdits Revenus soit saisi à la diligence de nos Procureurs, et distribué en œuvres pies, par l'ordre de l'Archevêque ou Evêque Diocésain. Qu'en cas d'une seconde contravention, ils soient bannis pendant le temps de neuf ans des lieux que nos Juges estimeront à propos. Que les Prêtres Séculiers qui n'auront point de Cures, et de Bénéfices, soient condamnés pour la première fois au bau-

I. Quid intelligis per ultimum impedimentum dirimens, hoc versu expressum, *Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ?*

R. Intelligo irritum esse Matrimonium, si contrahatur cum muliere quæ rapta sit, etiam illâ consentiente, sed invitis ejus parentibus vel tutoribus aut curatoribus: nisi post raptum in loco tuto et in parentum vel curatorum potestate posita sit.

I. Cùm adest impedimentum aliquod dirimens, debetne Dispensatio facilè vel postulari vel concedi, ut Matrimonium posteà contrahatur?

R. Audienda est eâ de re Tridentina Synodus, cujus hæc verba sunt:

nissement pendant trois ans, et en cas de récidive pendant neuf ans; et qu'à l'égard des Prêtres Réguliers, ils soient envoyés dans un Couvent de leur ordre, tel que leur Supérieur leur assignera hors des Provinces qui seront marquées par les Arrêts de nos Cours, ou les Sentences de nos Juges, pour y demeurer renfermés pendant le temps qui sera marqué dans lesdits Jugemens, sans y avoir aucune charge, fonction, ni voix active et passive; et que lesdits Curés et Prêtres puissent en cas de rapt fait avec violence, être condamnés à plus grandes peines, lorsqu'ils prêteront leur ministère pour célébrer des mariages en cet état.

Voulons pareillement que le Procès soit fait à tous ceux qui auront supposé être les Pères, Mères, Tuteurs, ou Curateurs des Mineurs, pour l'obtention des permissions de célébrer des mariages, des dispenses de bans, et des mains-levées des oppositions formées à la célébration desdits mariages: comme aussi aux témoins qui auront certifié des faits qui se trouveront faux à l'égard de l'âge, qualité et domicile de ceux qui contractent, soit pardevant les Archevêques et Evêques Diocésains, soit pardevant lesdits Curés et Prêtres, lors de la célébration desdits mariages: et que ceux qui seront trouvés coupables desdites suppositions et faux témoignage, soient condamnés; savoir, les hommes à faire amende honorable et aux Galères, pour le temps que nos Juges estimeront juste, et au bannissement s'ils ne sont pas en état de subir ladite peine des Galères: et les femmes à faire pareillement amende honorable, et au bannissement, qui ne pourra être moindre de neuf ans.

Déclarons que le domicile des fils et filles de famille, mineurs de vingt-cinq ans, pour la célébration de leurs mariages, est celui de leurs Pères, Mères, ou de leurs Tuteurs et Curateurs après la mort de leursdits pères et mères: et en cas qu'ils aient un autre domicile de fait, Ordonnons que les bans seront publiés dans les Paroisses où ils demeurent, et dans celle de leurs Pères et Mères, Tuteurs et Curateurs.

Ajoutant à l'Ordonnance de 1556 et à l'art. II. de celle de l'an 1639 permettons aux Pères et Mères d'exhéréder leurs filles veuves, même majeures de 25 ans, lesquelles se marieront sans avoir requis par écrit leurs avis et conseils.

Déclarons lesdites veuves et les fils et filles majeurs de 25 et de 30 ans, lesquels demeurant actuellement avec leurs Pères et Mères, contractent à leur insçu des Mariages comme habitans d'une autre Paroisse, sous prétexte de quelque logement qu'ils y ont pris pour peu de temps auparavant leurs mariages, privés et déchus par leur seul fait, ensemble les enfans qui en naîtront, des successions de leursdits Pères et Mères, Aïeuls et Aïeules, et de tous autres avantages qui pourraient leur être acquis, en quelque manière que ce puisse être, même du droit de Légitime.

Voulons que l'Art. 6. de l'Ordonnance de 1639 au sujet des mariages que l'on contracte à l'extrémité de la vie, ait lieu, tant à l'égard des femmes qu'à celui des hommes; et que leurs enfans qui sont nés de leurs débauches avant lesdits mariages, ou qui pourront naître après lesdits mariages, contractés en cet état, soient aussi-bien que leur postérité déclarés incapables de toutes successions.

« In contrahendis, inquit, Matrimoniis, vel nulla omninò » detur dispensatio, vel rarò : idque ex causâ et gratis con- » cedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur nisi » inter magnos Principes, et ob publicam causam. (*Sess.* » 24. *de reform. Matrim. cap.* 5. *in fine.*) »

I. Si jam Matrimonium invalidum et irritum contractum sit, debetne dispensatio facilè concedi, ut validum fiat ?

R. Audi etiam ea de re Concilii Tridentini Sanctionem. (*Ibid. initio.*)

« Si quis, (inquit,) intra gradus prohibitos scienter Ma- » trimonium contrahere præsumpserit, separetur, et spe dis- » pensationis consequendæ careat ; idque in eo multò magis » locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, » sed etiam consummare ausus fuerit. Quòd si ignoranter id » fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo » Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis : non » enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè expe- » riatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit. Si » verò solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod pos- » teà subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignoran- » tiam habuit ; tunc faciliùs cum eo et gratis dispensari » poterit. » (E)

§. 4. De Impedimentis non dirimentibus Matrimonium jam contractum.

I. Quænam sunt impedimenta prohibentia fieri Matrimonium, non dirimentia contractum ?

R. Tria sunt hoc versu comprehensa :

1. *Ecclesiæ vetitum*, 2. *Sponsalia*, 3. *jungito Votum.*

I. Quid intelligis per *Ecclesiæ vetitum ?*

R. Intelligo nefas esse Matrimonia celebrare contra Ecclesiæ leges, quibus prohibentur nuptiæ certis temporibus, certis in locis, cum certis personis ; et demùm nisi priùs solemnitates quædam adhibeantur.

I. Quibus temporibus nuptiæ celebrari prohibentur ?

« *R.* Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem » Epiphaniæ, et à feria quarta Cinerum usque in octavam » Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum pro- » hibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Syno- » dus Tridentina præcepit. (*Sess.* 24. *Decret. de reform. Ma-* » *trimon. cap.* 10.) » Sunt prætereà Diœceses quædam in quibus prohibitum est nuptias celebrari diebus Dominicis et festis, et diebus jejuniorum ; idque non sine ratione.

I. Cur prohibentur nuptiæ illis diebus ?

R. Ut non abstrahantur fideles ab Oratione diebus solemnibus, vel statis jejuniorum aut pœnitentiæ temporibus. Sequitur in eo Ecclesia mentem Apostolorum Petri et Pauli,

(E) *Lege librum jussu R. D. Cardin.* DE NOAILLES *hoc titulo Gallicè impressum*, Conférences du Diocèse de Paris sur le Mariage, *et* PYRRHI CORRADI *Tractat.* de Dispensationibus Apostolicis.

qui conjugalem abstinentiam ex Prophetarum oraculis commendant, ut vacetur liberiùs orationi. Modò id fiat ex consensu ad tempus. (A)

I. Si nuptiæ celebrentur ex dispensatione Episcopi tempore prohibito ob graves causas, quid agere debent qui utuntur illâ dispensatione ?

R. Agere debent nuptiarum celebritatem absque ulla solemnitate superflua, absque pompa, absque convivali apparatu : ut mens Ecclesiæ servetur quantùm fieri potest.

I. Quibus in locis prohibentur celebrari nuptiæ ?

R. Matrimonii Sacramentum administrari debet in sola Ecclesia ; eaque parochialis esse debet Ecclesia contrahentium, nisi Parochus det licentiam in alia Ecclesia contrahendi.

I. Cum quibus personis jungere connubia vetitum est legibus Ecclesiæ ?

R. Præter infideles, quorum Matrimonium si celebraretur cum fideli irritum esset, ut jam diximus §. sup. nefas est prætereà Matrimonio jungi cum hæreticis, vel excommunicatis, quandiù stat excommunicatio : quicunque enim Ecclesiæ sinu pulsi sunt, non licet iis Sacramenta ministrari.

I. Quas solemnitates Ecclesia servari præcipit ante Matrimonii celebrationem ?

R. 1. Præcipit fieri denuntiationes futuri Matrimonii tribus diebus Dominicis vel Festivis intra Missarum solemnia. (B)

2. Præcepit inquiri diligenter à Parochis de statu et doctrina, et dispositionibus sponsi et sponsæ, ut certò scire possit num liberi et habiles sint ad contrahendum, et ab omni impedimento vacui.

I. Cur præcipit Ecclesia fieri denuntiationes futurorum Matrimoniorum ?

R. 1. Ut Matrimonia publicentur, nec clam fiant.

2. Ut intelligatur num adsint impedimenta quædam.

3. Ut desponsati commendentur orationibus fidelium.

I. In quo positum est impedimentum sponsalium ?

R. In eo quòd ubi celebrata solemniter sponsalia fuêre, non licet sponsis alias nuptias appetere vel celebrare, donec sponsalia soluta sint. Cùm enim quis fidem solemniter dedit, tenetur eam liberare, alioqui graviter peccaturus.

I. Quandonam sponsalia sic dirimuntur et solvuntur, ut licitum sit ad alias nuptias convolare ?

(A) JOEL. II. 16. Congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera : egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.

1. COR. VII. 5. Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.

1. PETR. III. 7. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ : uti non impediantur orationes vestræ.

(B) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 24. *Decr. de reform. Matrim. cap.* 1. *Vide* §. *super. litt.* (G)

R. 1. Morte naturali alterutriùs sponsi.

2. Morte civili alterutriùs sponsi ; verbi gratiâ , si statum Monasticum alteruter amplectatur , si capite minuatur ; si in servilem adigatur conditionem , etc.

3. Si superveniat impedimentum dirimens.

4. Si uterque consentiat in dissolutionem sponsalium.

5. Si post sponsalia alteruter in fornicationem incidat.

9. Si intercesserit sententia Judicis. Hæc autem sententia necessariò debet intercedere, si causa dissolutionis dubia sit occulta , et publica sponsalia fuerint , nec uterque consentit in dissolutionem sponsalium. Necessaria non est, cùm causa certa est de facto vel de jure , ita ut nullâ tergiversatione celari vel excusari possit.

I. Quænam vota impediunt fieri Matrimonium , licèt non dirimant jam factum ?

R. Vota simplicia castitatis , vel religionis , vel de non nubendo.

Quòd Vota illa Matrimonium impediant per se patet : quia nefas est non reddere vota sua Domino.

Quòd autem non dirimant contractum Matrimonium constat ; quia in Ecclesiæ potestate est impedimenta dirimentia vel apponere vel coarctare. At declaravit Ecclesia solis votis solemnibus , non privatis , dirimi Matrimonium contractum.

I. Quid facto opus si quis post emissum votum simplex castitatis , aut religionis , Matrimonium contraxerit ?

R. Si ante Matrimonii celebrationem voti dispensationem obtinuit , non peccavit , et perindè agere debet ac si nullum emisisset votum.

Si non obtentâ dispensatione nupsit, vel duxit uxorem , peccavit gravissimè, debet agere pœnitentiam , petere dispensationem ; et donec dispensatio concessa sit , non debet postulare conjugale debitum , licèt reddere teneatur.

I. Licetne filiis-familias Matrimonium contrahere sine Parentum vel Tutorum aut Curatorum consensu ?

R. Non licet omninò si minores sint. Id jura omnia prohibent : jus naturæ , jus gentium , jus divinum , jus canonicum , jus civile.

I. Licetne filiis-familiàs ætate majoribus Matrimonium contrahere sine parentum consensu ?

R. Filii-familiàs ubi trigesimum ætatis annum compleverunt, et Filiæ-familiàs ubi attigerunt vigesimum sextum, possunt in Gallia Matrimonium contrahere, non obtento parentum consensu , modò illum in scriptis ter supplices postulaverint.

I. Irritane sunt Matrimonia filiorum-familiàs inita sine parentum consensu ?

R. Irrita sunt quoad effectus civiles , non quoad fœdus et Sacramenti validitatem.

I. Cujus est impedimenta Matrimoniis apponere ?

R. Id pertinet ad Ecclesiam, ut constat ex perpetua traditione. (C)

(C) Conc. Trident. *Sess.* 24. *can.* 4. *de Matrimonio.* Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse : anathema sit.

Exstat Doctissimi viri D. Gerbais *S. Facult. Paris. Doctoris Tractatus de impedimentis Matrimonii, quem inscripsit :* Traité pacifique du pouvoir de l'Eglise et des Princes, sur les empêchemens de Mariage avec la pratique des empêchemens qui subsistent aujourd'hui, Paris 1690. in-4°. *In quo fusè hanc materiam pertractavit. Pauca interim ex Gasp. Juenin in hanc rem argumenta hic proferimus.*

Gasp. Juenin. Cong. Orat. Gallic. Presb. *Tract. de Sacram. dissert.* 12. *Quæst.* 6. *cap.* 1.

Profertur argumentum præscriptionis pro Ecclesiæ potestate ad constituenda impedimenta Matrimonii.

Diffiteri nemo potest quin per quatuor secula quæ immediatè præcessere Tridentinam Synodum, Ecclesia pacificè, et nemine contradicente statuerit Matrimonii impedimenta, tum (ut vocant) prohibentia, tum dirimentia. Et quidem 1. jam nullum ferè exstat quod aut in Gratiani Decreto, aut in Gregorii Papæ IX. Decretalibus non legatur. 2. Iis quatuor seculis ubique ad Ecclesiam deferebantur causæ matrimoniales. 3. Ex omnibus orbis Christiani Provinciis ad Ecclesiam confluebant, non modò viri plebeii, sed et Principes, ut obtentâ dispensatione, intra quosdam prohibitos gradus nubere possent. Ex illa autem facti quæstione, quæ certò certior est, hanc inferimus conclusionem : Ergo Ecclesia quovis seculo, seu à Christo ad hæc usque tempora, potita est jure statuendi impedimenta quæ matrimonium aut impediant aut prohibeant. Nec enim potest assignari tempus quo Ecclesia frui cœperit eâ facultate.

Argumentum ex Traditione petitum profertur pro potestate Ecclesiæ in impedimenta Matrimonii.

1. Tribus prioribus seculis Ecclesiam quædam statuisse matrimonii impedimenta, probant hæc verba Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem rescribentis de nonnullis Monachis qui nuptias ambibant : *Quod et publicæ leges et Ecclesiastica jura condemnant.* Probant iterùm hæc alia Basilii, in Epistola ad Diodorum de viduo qui sororem mortuæ suæ conjugis duxerat : *Principio igitur, quod in ejusmodi rebus maximi momenti est, morem qui apud nos est, objicere possunt quòd in legis vim abeat ; propterea quòd sanctiones istæ à sanctis viris nobis sunt traditæ.* Jura quorum quarto seculo Siricius meminit ; consuetudo quam eâdem ætate Basilius recenset, non erant Imperatorum leges, tum quòd Siricius ea jura legibus Imperatorum opponat ; tum quòd Basilius eam consuetudinem non ad Imperatores, sed ad Sanctorum traditionem referat. Nec Siricius, nec Basilius jura illa aut consuetudinem tanquam res novas proferunt, sed tanquam quas à sanctis majoribus accepissent : Ergo obtinebant ante quartum seculum, quo tum à Siricio, tum à Basilio laudata sunt.

2. Jure de quo agitur, quarto seculo potitam fuisse Ecclesiam demonstrant latæ tunc temporis constitutiones Synodicæ. De affinitate hæc habet alter Canon Concilii Neocæsariensis, quod anno 315. habitum est : *Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem ; veruntamen in exitu, si promiserit quòd ubi convaluerit, solvet matrimonium, propter humanitatem pœnitentiam habebit.* Non laudat ea Synodus Levitici verba, quibus eadem lex sancitur : eam tamen nequaquam prætermissura, si (ut heterodoxis placet) vim et robur haberet in Evangelica lege. De eodem impedimento hæc habet Basilius in Epist. ad Amphilochium : *Si quis affectu immundo correptus, ad illicitam duarum sororum communicationem exorbitaverit, id neque conjugium esse censendum, neque talem ad Ecclesiasticum cœtum admittendum, priusquam à se invicem dirimantur.* Siricius Papa in Epist. ad Himerium Tarraconensem, refert impedimen-

tum publicæ honestatis tanquam à Primatibus Ecclesiasticis statutum. *Hoc ne fiat* (inquit cap. 4. loquens de muliere alicui jam desponsata) *omnimodo inhibemus.* Cùm autem id inhibeat, non quia sic ferunt politicæ leges, sed quia illa benedictio, quam nupturæ *Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur,* Ecclesiæ jus supponit. 3. Quinto et sexto seculo penès Ecclesiam fuisse jus de quo in conclusione, evincitur. 1° Ex Synodo quæ habita est in Hybernia anno 450. sub S. Patricio; Canone 17. irritum fit matrimonium initum cum virgine Deo consecratâ.... Evincitur 2° ex primo Aurelianensi Concilio celebrato anno 511. agente Clodovæo Francorum Rege; Canone 13. hæc leguntur, *Si cuiquam mulier Presbyteri, vel Diaconi relicta* (tanquam vidua) *duplici se conjugio conjunxerit, aut castigati separentur, aut certè si in criminis intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.* Vim non habuit statutum illud vi legum civilium, nulla enim ea de re lata fuit unquam à Principibus. Evincitur 3° ex altera Aurelianensi Synodo habita anno 533. Canone 17. hæc habet in causa de qua nihil unquam sanxere politici Principes, *Fœminæ quæ benedictionem Diaconatûs hactenùs, contra interdicta Canonum acceperant, si ad conjugium probentur iterùm devolutæ, à communione pellantur: quòd si hujusmodi contubernium admonitæ ab Episcopo, cognito errore, dissolverint, in communionis gratiam acta pœnitentiâ revertantur.*

4° Septimo, octavo et nono seculo Ecclesiam, nullo contradicente, auctoritate à Christo acceptâ præscripsisse leges quibus nuptiæ quædam nullæ fierent et irritæ; ostenditur 1° ex Gregorio Magno, qui incunte seculo septimo, Anglorum Genti Romano Imperatori nequaquam subditæ prohibuit sub pœna nullitatis ne intra primum et secundum consanguinitatis gradum nuberet. *Undè necesse est, ut jam tertia, aut quarta generatio fidelium decenter sibi jungi debeat. Nam secunda, quam diximus à se omninò debet abstinere.* Verba sunt laudati Pontificis ad sextam quæstionem ab Augustino Cantuariensi Episcopo sibi propositam respondentis. 2° Ex Zacharia Papa, quo præside anno 747. Synodus Romæ habita est, quâ revocata fuit indulgentia post quartum gradum nubendi à Gregorio secundo Germanis recenter ad fidem conversis concessa. *Deo autem largiente* (inquiunt illius Synodi Patres) *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, præteritis annis litteras miserunt Archiepiscopi, et Reges Provinciæ illius, petentes Apostolica præcepta qualiter liceat illius conjugia copulare, et quomodo debeat observare.* Agnoscebant igitur octavo seculo Germanorum Reges potestatem Ecclesiæ in præscribendis matrimonio legibus. 3° Ex Nicolao Papa I. qui nono seculo Bulgaros nuper ad fidem conversos, et Romanis Imperatoribus nequaquam subditos docuit, quo in consanguinitatis gradu valerent inita matrimonia, et in quo irrita essent et invalida. *De consanguinitate generationum exquiritis, ut quibus utique fœminis jungi debeatis, liquidò cognoscatis* (inquit in suis ad Bulgaros responsis cap. 39.): *inter eas enim personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt.... Inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quadam similis observatio, sed non tanta.*

5. Decimo seculo Orientales Episcopi convocati ad Concilium, declararunt nullas fore deinceps quartas nuptias, præsente et consentiente Constantino Imperatore nato ex quartis nuptiis Leonis Imperatoris, et ob id excommunicatione damnati à Nicolao Patriarcha. *Quod si quis* (inquiunt) *ad hujusmodi conjugium progredi decreverit, ab omni cœtu Ecclesiastico exclusus est.... donec in hoc conjugio permanserit.... Et in hunc quidem modum de quarto matrimonio.* Eodem seculo, anno nimirùm 998. Robertus Francorum Rex Bertham Adonis Comitis filiam, consanguineam suam duxit in matrimonium: Archembaldus Turonensis Archiepiscopus conjugium illud consecravit, probaruntque multi adulatores et aulici Epis. sed Gregor. V. coacto Romæ Concilio ipsum damnavit, duosque edidit canones, ex quibus invictissimè colligitur Ecclesiæ potestas in fidelium matrimonia. Priore canone Rex sub excommunicationis pœna jubetur, ut Bertham dimittat. *Ut Rex Robertus* (verba sunt canonis) *consanguineam suam Bertham, quam contra leges in uxorem duxerat, derelinquat, et septem annorum pœnitentiam agat, ut secundùm præfixos Eccle-*

siasticos gradus judicatum est : Quòd si non fecerit, anathema sit : Idemque de eâdem Berthâ præceptum est : altero canone ejicitur è communione fidelium illius conjugii consecrator : *Erchembaldum Turonensem Archiepiscopum talis conjugii consecratorem cum omnibus Episcopis, qui consentientes interfuerunt his incestis nuptiis Regis et Berthæ consanguineæ suæ à sacro-sancta communione suspendimus, donec ad hanc Sedem Apostolicam veniant satisfacturi.* Non vi legum à Romanis Imperatoribus sancitarum dissolutum fuit Roberti cum Bertha conjugium : Nec enim quidquam poterant illæ leges in principem ab aliquo alio in rebus temporalibus nequaquam pendentem. Solutum igitur fuit vi Ecclesiasticorum canonum, contra quos Robertus suas inierat nuptias.

6. Seculis 12. et 13. eodem jure Ecclesiam potitam fuisse demonstratur 1° ex Alexandri Papæ II. Epistola 3ª ad Episcopos, Clericos, et Judices Italiæ, sub pœna nullitatis confirmat prohibitionem multis jam seculis sancitam nubendi infra septimum consanguinitatis gradum. Illius summi Pontificis verba describemus infrà, agentes de modo suppulandi consanguinitatis gradus. Demonstratur 2° ex Burchardo Episcopo Wormaliensi, qui sub finem undecimi seculi in suam Canonum collectionem retulit decretales Epistolas adscriptas prioribus Romanis Pontificibus, quibus Epistolis præscribuntur impedimenta matrimonium dirimentia. Demonstratur 3° Ex Yvone Carnotensi et Gratiano, qui ineunte seculo 12. illas easdem Epistolas suis inseruêre decretis. Demonstratur 4° ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. habito, anno 1215. Eo enim Concilio consanguinitas ad quartum gradum coarctata fuit. Demonstratur 5° ex Gregorio nono, cujus auctoritate ubique ferè promulgatæ fuerunt Decretales, quibus jus præscribendi matrimoniis irritantes leges Ecclesiæ vindicatur.

7. Seculis 14. et 15. Ecclesiam jus suum in nuptias fidelium exercuisse ostenditur 1° ex facto quod anno 1366. contigit. Eduardus Anglorum Rex Edmundum nuptui tradiderat Margaretæ filiæ Ludovici Belgarum Comitis ; sed rescissum est conjugium illud, eo quòd inter consanguineos initum esset. Nec Urbanus Papa V. adduci potuit, ut petitam ab Eduardo dispensationem concederet. Ostenditur 2° ex altero facto quod 15. seculo contigit in Galliis. Ludovicus Rex XII. quasi invitus Joannam ex Ludovico XI. natam duxerat : sed ratus posteà non valere nuptias hujusmodi, rem totam commisit, non sui regni proceribus, sed Alexandro Papæ VI. cujus auctoritate solutum fuit illud matrimonium, et aliud initum cum Anna Britannica prædecessoris sui vidua.

8. Jus quo Ecclesia à Christo usque ad seculum 16. potita fuerat circa impedimenta matrimonium dirimentia, confirmavit Concilium Tridentinum. 1° Lutheranorum hac de re doctrinam proscripsit. 2° Reduxit ad praxim sacra Synodus potestatem quam vindicavit Ecclesiæ. Lutherus duo hæc de quæstione docuerat. Primo in genere contenderat nullâ humanâ lege irrita fieri posse fidelium matrimonia, *conjunctio viri et mulieris* (inquiebat) *tenet quocunque modo contra hominum leges contigerit.* 2° In specie asseruerat Ecclesiam, seu ordinem Sacerdotalem non posse statuere impedimenta dirimentia : quo ex principio hanc inferebat conclusionem, Debent Sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quæ contra Ecclesiasticas, vel Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, et quæ non sunt in sacra Scriptura expressa. Utramque illam propositionem in genere et in specie conjunctim Concilium canone 3. sessionis 14. proscripsit : *Si quis dixerit eos tantùm consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere ne plures impediant et dirimant, anathema sit.* Posteriorem propositionem in specie damnat sacra Synodus canone 4. ubi hæc habentur, *Si quis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta, matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.*

Concilium verò iis canonibus proposuisse fidelibus fidei dogma non difficilebitur, qui ad ejus methodum attenderit ; id observavit sacra Synodus, ut quæ ad disciplinam spectant, capitibus sub hocce titulo, *De reformatione*, complecterêtur : quæ verò ad fidem Catholicam, redigeret in Canones, anathema dissentientibus intorquendo.

Nomine *Ecclesiæ*, quo sacra Synodus in iisdem canonibus utitur, non societatem fidelium prout Laïcos et Clericos complectitur, sed solùm ordinem Sacerdotalem designatum voluit. 1° Sacro illi ordini præsertim, Lutherus abstulerat potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, ut patet ex secundâ ejus propositione mox relatâ. Præterea Ecclesiæ nomen nusquam privatis personis tribuitur, nisi ejus nomine, et auctoritate, quæ ab ipsa emanarit, agant. At Launoïus, hujusce novæ interpretationis auctor in suo de regiâ in matrimonium potestate libro, non concedit politicos Principes, si quasdam circa conjugia leges tulerint, egisse Ecclesiæ nomine, et potestate, quam ab eâ receperint. 3° Sacra Synodus facultatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia confirmatam voluit illi eidem Ecclesiæ, quæ præcedentibus seculis ea statuerat. At ea Ecclesia haud dubiè est ordo Sacerdotalis; ut probatum manet ex superioribus. 4° Concilium Tridentinum, id est, Ecclesia prout solum ordinem Sacerdotalem complectitur, variis capitibus sub hocce titulo, *De reformatione matrimonii*, de impedimentis disserit. Capite 1. irritos facit et nullos clandestinos contractus. Capite 2. affinitatem spiritualem ad certum personarum numerum restringit. Capite 3. impedimento, quod vocant *honestatis publicæ*, limites præscribit. Capite 4. affinitatem ex crimine ortam reducit ad primum et secundum gradum. Capite 5. prohibet ne quis nubere ausit infra prohibitos gradus; regulasque præscribit in concedendis dispensationibus deinceps observandas. Cap. 6. raptum accenset impedimentis dirimentibus. Absurdum esset asserere iis omnibus locis sacram Synodum non suo, sed Principum laïcorum nomine egisse; Cur enim, si id ipsi erat in animo, nusquam laïcos Principes nominavit? Cur toties hæc repetiit verba, *Declarat sancta Synodus?* Cur si Principum nomine locuta fuerit, omnes Principes singula ea decreta quæ ad disciplinam pertinent, suis in regnis posteà non promulgarunt?

Proferuntur Argumenta petita ex Principum secularium testimonio et praxi.

1. Altissimum fuit quovis seculo apud omnes Principes silentium, cùm Ecclesia, suis in Conciliis impedimenta matrimonium dirimentia constituit. Probat illud silentium Principibus ratum fuisse semper æquo titulo potuisse Sacerdotalem ordinem quod factitabat. Non enim (ut suprà fuit observatum) verisimile est traditæ sibi auctoritatis alioquin amantissimos Principes tantum servaturos fuisse silentium, si fuisset ipsis persuasum Ecclesiam latis à se constitutionibus invasisse Principum jura.

2. Seculares Principes tantùm detulerunt Ecclesiasticis canonibus, ut eis suas leges postposuerint. Imperatorum constitutionibus, viduis non nisi post expletum à morte sponsi annum nubere licebat, sed vi sacrorum Canonum altera ubique disciplina obtinuit. Servis non obtento dominorum consensu matrimonia sub pœnâ nullitatis quondam interdicebantur à Principibus; alius tamen, post decretalium promulgationem à Gregorio IX. factam, usus invaluit. Jus civile nullam affinitatis collateralis habuit rationem: habuerunt tamen postea Principes Christiani, eò quòd habendam esse decrevisset jus canonicum. Civili jure non contrahitur affinitas nisi ex legitimo viri et mulieris coïtu; ubi tamen oriri etiam ex illegitimo concubitu statutum fuit canonibus, Principes hujusmodi mutationi subscripserunt.

3. Exhibuerunt se sæpiùs Principes Christiani tanquam canonum executores. *De reliquis verò propinquis juxta constituta sanctorum Patrum, et juxta decreta canonum judicetur.* Verba sunt Caroli Magni lib. 6. Capitularium num. 7.

4. Iidem Principes matrimonia damnarunt præcisè eò quòd contra canonum prohibitionem inita fuissent. Anno 577. Chilpericus Francorum Rex Prætextatum Archiepiscopum Rothomagensem sic in Concilio Parisiis coacto, narrante Gregorio Turonensi Hist. lib. 5. cap. 18. alloculus est: *Quid tibi visum est, ô Episcope, ut inimicum meum Merovæum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, id est, cum Patris sui uxore conjungeres? An ignarus eras quæ pro hac causa, canonum statuta sanxissent.*

5. Principes ad Ecclesiasticum tribunal confugerunt ad dirimenda

I. Nonne et Reges impedimenta Matrimoniis apponere possunt ?

R. Non desunt Theologi qui asserant et ad Reges cæterosque supremos Principes et Dynastas id juris pertinere ; quia ipsi supremam habent potestatem apponendi contractibus civilibus conditiones quasdam , quarum defectu contractus irritentur. Matrimonium autem in contractu civili fundatum esse , ita ut nullum sit , ubi non adest conditio huic civili contractui per supremos Principes posita. Porrò Principibus , corumque legibus vel ipsâ lege divinâ parere jubemur : ac proindè nullum est dubium quin Matrimonium contra leges à Principe latas contrahentes , graviter delinquant. (D)

Horum Theologorum sententiam eatenùs veram esse existimo , quatenus Ecclesiæ consensus accesserit. Ad solam enim Ecclesiam pertinet definire quæ necessaria sint ad Sacramenti validitatem ; et summæ temeritatis esse puto, ne plura dicam , asserere irritum esse Sacramentum , ubi Ecclesia declaraverit illud irritum non esse.

Ad Principes ergo pertinere fateor jus irritandi Matrimo-

contracta illegitima matrimonia. Carolus Magnus priorem suam conjugem filiam Desiderii Longobardorum Regis non nisi post latum ab Episcopis judicium dimisit. Lotharius post suam à Thiedebergâ separationem, à Concilio Aquisgranensi decretam , alterarum nuptiarum veniam hisce verbis petiit , *Vos ô sancti Pontifices , et venerandi Patres , qui estis positi mediatores inter Deum et hominem.... ad vos humiliter proclamo , etc. Nam ipsi fœminam de infando et incestuosæ fornicationis contagio spontè confessam , juxta Beati Pauli præceptum à nobis vestrâ jussione sequestravimus.* Henricus hujusce nominis IV. Francorum Rex dimisit Margaretam Reginam , cum qua contraxerat , post repudii sententiam , quam latam per commissos in Francia judices Ecclesiasticos tulerat Clemens Papa VIII.

6. Principes Christiani nusquam contra canones post 14. seculum nupsere , quin priùs prohibiti matrimonii quod ambibant ,veniam et dispensationem à Sacerdotali ordine obtinuissent.

7. Tandem seculo proximè elapso Regibus Christianissimis ita ratum fuit , ac fixum posse Ecclesiam , seu Sacerdotalem ordinem , leges condere , quibus quædam matrimonia irrita fiant , et quoad substantiam invalida , ut eorum et Gallorum omnium nomine similem legem à Patribus Tridentinis circa clandestina matrimonia promulgari solemniter petierint. « Inter articulos , de duobus magis disputatum est , » (inquit Pallavicinus libro 22. de Tridentini Concilii Historia cap. 1. num. 12. et 13.) « Alter fuit de irritis declarandis Matrimoniis clandestinis. Agnoscebantur immensa detrimenta , quæ indè nascebantur.... Idcircò Oratores Galli , quorum regna fortassis hoc incommodum frequentiùs , nocentiùsque patiebantur , vigesimo quarto Julii à concilio , Regis nomine , solemniter petierunt , ut hujusmodi matrimonia imposterum irritata decernerentur , renovatis antiquis nuptiarum ritibus : quòd si gravi de causâ interdùm aliter fieri opportunum censeretur , saltem matrimonia pro non legitimis haberentur , quoties non adesset Sacerdos cum tribus aut pluribus testibus. »

(D) Rom. xiii. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo : quæ autem sunt , à Deo ordinatæ sunt. 2. Itaque qui resistit potestati , Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt , ipsi sibi damnationem acquirunt.

De impedimentis tum prohibentibus tum dirimentibus plura apud Canonistas , quos consule : hos brevitatis causâ , ne opus crescret in immensum , omisimus

nia quoad effectus civiles, nimirùm quantùm ad facultatem succedendi in bona paterna, transmittendi ea in liberos, faciendi testamentum, prolem illegitimam in civilibus declarandi.

Sed adduci non possum ut credam posse Principes supremos sine Ecclesiæ consensu conditiones apponere, ex quibus Sacramenti validitas pendeat.

§. 5. Quæ sint dispositiones et præparationes præviæ ad Matrimonium. Quomodo agendus sit nuptiarum dies.

I. Quem ad finem matrimonii vinculum appetere licet?

R. 1. Ut ad vitam æternam perveniatur, sanctam et quietam vitam hîc agendo cùm conjuge.

2. Ut liberi procreentur et Christianè educentur.

3. Ut habeatur præsens concupiscentiæ remedium.

I. Quæ cautiones et præparationes adhibendæ, ut Matrimonium sanctè suscipiatur, et agatur dehinc cum conjuge sanctum et quietum vitæ genus?

R. 1. Orandus Deus ut ipse totum hoc negotium dirigat, nec patiatur fieri quidquam quod obsit saluti. (A)

2. Assumenda in conjugium persona frugi et timens Deum. (B)

(A) *Servus missus ab Abraham ad quærendam uxorem pro filio suo Isaac, ita Dominum deprecatus est* (GENES. XXIV. 12.), Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodiè, et fac misericordiam cum domino meo Abraham.

PROV. XIX. 14. Domus, et divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens.

(B) GENES. XXIV. 2. Dixitque (*Abraham*) ad servum seniorem domûs suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, 3. ut adjurem te per Dominum Deum cœli et terræ ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: 4. sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et indè accipias uxorem filio meo Isaac.

EXOD. XXXIV. 15. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cùm fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis. 16. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne, postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant et filios tuos in deos suos.

DEUTER. VII. 2. Non inibis cum eis fœdus, nec miserebéris earum. 3. Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipiens filio tuo: 4. quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis, irasceturque furor Domini, et delebit te citò.

JOS. XXIII. 12. Quòd si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant erroribus adhærere, et cum eis miscere connubia atque amicitias copulare: 13. jam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas delcat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.

JUDIC. III. 5. Itaque filii Israël habitaverunt in medio Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi: 6. et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt diis eorum. 7. Fecerunteque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui, servientes Baalim et Astaroth. 8. Iratusque contra Israël Dominus, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis.

XIV. 1. Descendit ergo Samson in Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philistiim, 2. ascendit, et nuntiavit patri suo, et matri suæ, dicens : Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philistinorum : quam quæso ut mihi accipiatis uxorem. 3. Cui dixerunt pater et mater sua, Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum : Hanc mihi accipe : quia placuit oculis meis.

1. ESDR. IX. 1.... Accesserunt ad me principes, dicentes : Non est separatus populus Israël, Sacerdotes et Levitæ à populis terrarum, et abominationibus eorum, Chananæi videlicet, et Hethæi, et Pherezæi, et Jebusæi, et Ammonitarum, et Moabitarum, et Ægyptiorum, et Amorrhæorum : 2. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi et filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum : manus etiam principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima. 3. Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum et tunicam, et evelli capillos capitis mei et barbæ, et sedi mœrens, etc.

X. 2.... Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, et duximus uxores alienigenas de populis terræ : et nunc, si est pœnitentia in Israël super hoc, 3. percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores, et eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini, et eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri.

2. ESDR. XIII. 23. Sed et in diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, et Moabitidas. 24. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azoticè, et nesciebant loqui Judaïcè, et loquebantur juxta linguam populi et populi. 25. Et objurgavi eos, et maledixi. Et cecidi ex eis viros, et decalvavi eos, et adjuravi in Deo, ut non darent filias suas filiis eorum, et non acciperent de filiabus eorum filiis suis, et sibimetipsis, dicens : 26. Nunquid non in hujusmodi re peccavit Salomon Rex Israël? Et certè in gentibus multis non erat rex similis ei, et dilectus Deo suo erat, et posuit eum Deus regem super omnem Israël : et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. 27. Nunquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo nostro, et ducamus uxores peregrinas?

TOB. VII. 12. Dixit ei Angelus? Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua : propterea alius non potuit habere illam. 13. Tunc dixit Raguel : Non dubito quòd Deus preces et lacrymas meas in conspectu suo admiserit. 14. Et credo quoniam ideò fecit vos venire ad me, ut ista conjungeretur cognationi suæ secundùm legem Moysi : et nunc noli dubium gerere quòd tibi eam tradam.

2. COR. VI. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? 15. Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? 16. Qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus (*Levit.* XXVI. 12.) : Quoniam inhabitabo in illis, inambulabo inter eos, et ero illorum Deus et ipsi erunt mihi populus. 17. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus (*Isai.* LII. 11.), et immundum ne tetigeritis : 18. et ego recipiam vos : et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. (*Jerem.* XXXI. 9.)

S. AMBROS. *Epist.* 19. *ad Vigilium*, *aliàs* 24. *aut* 70. *n.* 2. Doce ergo plebem, ut non ex alienigenis, sed ex domibus Christianis conjugii quæratur copula.

N. 7. Sed propè nihil gravius quàm copulari alienigenæ, ubi et libidinis et discordiæ incenditur, et sacrilegii flagitia conflantur. Nam cùm ipsum conjugium velamine Sacerdotali, et benedictione sanctificari oporteat; quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia? Cùm oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares devotione potest esse conjugii communis charitas? Sæpè plerique capti amore feminarum fidem suam prodiderunt, ut patrum populus in Beelphegor. (*Num.* XXV. 3. *Ibid.* 7. *et seq.*) Undè Phinees, arreptо gladio, interfecit Hebræum et Madianitem feminam, et mitigavit indignationem divinam; ne totus populus exstingueretur.

Lib. 1. *de Abraham cap.* 9. *n.* 84. Constrinxit autem eum ne de semine Chananæorum uxorem arcessiret Domino suo, quorum generis auctor patrem non honoraverat, et ideò maledictionis hæreditalem transmisit in suos; ut cognoscamus fidem, et quamdam hæreditatem de auctoris prosapia in iis requirendam, quos nobis volumus adjungere. *Cum sancto* enim *sanctus eris, et cum perverso perverteris.* (*Ps.* XVII. 27.) Si hoc in aliis, quantò magis in conjugio, ubi una caro et unus spiritus est. Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideò cave, Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere. Cave, inquam, Gentilem aut Judæam atque alienigenam, hoc est, hæreticam, et omnem alienam à fide tua uxorem arcessias tibi. Prima conjugii fides castitatis gratia est. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria, si Christum neget, qui præceptor et remunerator est pudicitiæ, quomodo potest diligere pudicitiam? Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento Baptismatis. Simul ad orationem nocte vobis surgendum est, et conjunctis precibus obsecrandus Deus. Accedit aliud insigne castimoniæ, si credas à Deo tuo tibi quod sortitus es, conjugium datum. Undè et Salomon ait (*Prov.* XIX. 14.), *A Deo*, inquit, *præparabitur viro uxor.* Non possunt hoc dispares fide credere, ut ab eo quem non colit, putet sibi connubii impartitam gratiam. Ratio docet, sed ampliùs exempla commonent. (3. *Reg.* X. 4.) Sæpè illecebra muliebris decepit etiam fortiores maritos, et à religione fecit discedere. Et ideò tu vel amori consule, vel errorem cave. Primùm ergo in conjugio Religio quæritur. Ideò Abraham proximam quæsivit dare filio suo.

N. 85. Disce deindè quid in uxore quæratur: non aurum, non argentum quæsivit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis.

Serm. 20. *in Ps.* CXVIII. *n.* 48.... Quanti foris confessi sunt, et intùs negaverunt! Namque uxoris ducendæ gratiâ, quæ Gentili viro à Christianis parentibus negabatur, simulatà ad tempus fide plerique produntur quod foris confessi sunt, intùs negasse. An fornicationis causà tantummodò putamus Deum nostrum in populum Judæorum tam severè esse commotum; ut viginti tria millia de populo necarentur, propterea quòd Madianitæ gentis feminis concubitu miscerentur: an non eò quòd per illis concubitus alienigenarum desciscere à fide, negare Dominum cogerentur.

S. AUG. *de Civitat. Dei lib.* 15. *cap.* 22. Hoc itaque libero voluntatis arbitrio genere humano progrediente atque crescente, facta est permixtio, et iniquitate participatà quædam utriusque confusio civitatis. Quod malum à sexu femineo causam rursùs invenit: non quidem illo modo quo ab initio; non enim cujusquam etiam tunc fallacià seductæ illæ feminæ persuaserunt peccatum viris: sed ab initio quæ pravis moribus fuerant in terrena civitate, id est, in terrigenarum societate amatæ sunt à filiis Dei (*Gen.* VI.), civibus scilicet peregrinantis in hoc seculo alterius civitatis, propter pulchritudinem corporis. Quod bonum Dei quidem est: sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur donum bonis. Deserto itaque magno bono et bonorum proprio, lapsus est factus ad bonum minimum, non bonis proprium, sed bonis malisque commune: ac sic filii Dei filiarum hominum amore sunt capti, atque ut eis conjugibus fruerentur, in mores societatis terrigenæ defluxerunt, desertâ pietate quam in sancta societate servabant. Sic enim corporis pulchritudo, à Deo quidem factum, sed temporale, carnale, infimum bonum, malè amatur postposito Deo, æterno, interno, sempiterno bono: quemadmodum justitiâ desertâ et aurum amatur ab avaris, nullo peccato auri, sed hominis.... Definitio brevis et vera virtutis, ordo est amoris: propter quod in sancto Cantico canticorum cantat sponsa Christi, Civitas Dei, *ordinate in me charitatem.* (*Cant.* II. 4.) Hujus igitur charitatis, hoc est, dilectionis et amoris ordine perturbato, Deum filii Dei neglexerunt, et filias hominum dilexerunt.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 74. *aut* 73. *in Matth.* Quis uxorem ducturus quibusnam sit moribus, et quomodo puella educata sit, investigat? Nullus omninò: sed pecunia statim, possessionum magnitudo et supellectilium quæritur. Hæc quasi quidquam empturus esset vel permutationem quamdam facturus, diligenter perscrutatur, ac ideo synal-

3. Habenda ratio ætatis, fortunarum, conditionis, ingenii, et indolis, ut in omnibus, quantum fieri potest, inter utrumque conjugem æqualitas ferè servetur. (C)

lagma, id est, commutationem sive contractum nuptias appellant. Audivi enim multos dicentes, Ille contraxit cum illa, id est, conjugio copulati sunt. Ita donum Dei vituperant, cùm quasi vendentes ac ementes uxores viri ducant, et viris nubant mulieres. Stipulationes quoque nuptiarum majore astutiâ componunt, quàm eas quæ in vendendo et emendo confici solent. Discite quomodo priores uxores ducebant, et imitamini. Quo pacto ergo ducebant? Ingenium, mores, animi virtutem quærebant; ac ideò stipulationibus et longâ instrumentorum serie non indigebant: sufficiebat enim loco istorum omnium sponsæ indoles. Quare vos hortor, ne facultates et copiam rerum, sed modestiam et mores quæratis; quære pudicam et religiosam puellam, et hæc tibi magno thesauro erunt præstantiora. Si enim quæ Dei sunt quæritas, hæc quoque tibi addentur (*Matth.* VI. 33.): si verò illis omissis ad hæc rapienda festinas, et illa amittes, et hæc non consequeris.

Homil. 48. *in Gen. Vide infrà hocce §. litt.* (H)

(C) CONCIL. FOROJULIENSE *ann.* 791. *can.* 9. Illud prætereà per omnia præcaventes prohibere decrevimus, ut nullus præsumat ante annos pubertatis, id est, infra ætatem, puerum vel puellam in Matrimonium sociare, nec in dissimili ætate, sed coætaneos, sibique consentientes. Multas sæpiùs ex hujusmodi nuptiali contractu ruinas animarum factas audivimus, et tales fornicationes perpetratas, quales nec inter gentes. Ita planè, ut cùm contigit puerum adultum esse, et puellam parvulam, et è contrario, si puella maturæ ætatis, et puer sit teneræ, et per virum cognata et socrus deprehendantur adulteræ, et per puellam frater vel pater pueri tanti peccati flagitio pereant irretiti. Undè qui hæc prohibita de cætero usurpare præsumpserit, ab omni Ecclesiastico consortio sit alienus, sed nec à publicis sit immunis judiciis.

S. JOAN. CHRYSOST. *Hom.* 73. *aut* 74. *in Matth. versùs finem. Vide superiùs hocce §. litt.* (B)

Lib. de Virginit. cap. 53.... Quidnam id est? Qui pauper, humilis, abjectus sis, ex ampla ac potenti, et locupleto domo uxorem capere. At verò præclarum hoc nihilominus, quàm illud abominandum, calamitatum habere invenies.... Mulieres.... ordinem invertunt, summa infimis mutant. Nam virum uxor capitis locum tenere non sinit, sed quà est contumaciâ atque fastu, de eo gradu dejectum, in suum, id est, ad subjectionem compellit. Ipsaque fit caput et dux. Et quid eâ absurditate gravius esse potest?

Cap. 54. Jam si quis dicat.... Tantùm dives et nummosa sit, nullo negotio ejus fastum affligemus ac dejiciemus. Si quis hæc dicat, næ ille primùm ignorat valdè id difficile esse. Deindè ut contingat, non parum affert detrimenti. Etenim vi, et timentem ac coactam viro subjici, gravius atque injucundius est, quàm vel summâ auctoritate ei imperare. Quid ita? quod ea vis amicitiam omnem ac voluptatem expellat.

Cap. 55. Sin, sors sit, eâ nihil habente, vir prædives sit, famula erit pro conjuge, et quæ ingenuâ sit serva efficietur, ac se dignâ libertate è manibus amissâ, emptitiis nihilo præstabit; sed quantumvis lasciviat, quantumvis spurcus sit, quantumvis meretricum manum in ejus torum adsciscat, omnia pati ac benignè accipere necessum erit aut domo cedere. Neque id solùm est molestiæ, sed etiam quòd viro sic affecto, nec servis, nec ancillis liberè mandare poterit, sed velut in alienis degens, iisque quæ ad se non pertineant utens, et hero potiùs quàm viro convivens, ita omnia et agere et pati cogitur.

S. AMBROS. *Lib.* 1. *de Abraham cap.* 9. *n.* 84. *Vide superiùs hocce §. litt.* (B)

COD. *Lib.* 5. *titulo* 5. *cap.* 6. *de incestis et inutilibus nuptiis.* Si quis incesti, velitique conjugii sese nuptiis funestaverit, proprias quandiù vixerit teneat facultates: sed neque uxorem, neque filios ex ea editos habere credatur. Nihil prorsùs prædictis neque per interpositam quidem personam, vel donet superstes, vel moriturus derelinquat. Dos si qua fortè solemniter aut data aut promissa fuerit: juxta jus antiquum, fisci nostri commodis

4. Is tenendus rectitudinis et justitiæ modus, ut nullo mendacio, nullâ fraude futurorum conjugum alter alterum decipiat : sed contrà manifestent sivi invicem ingenuè quod nosse utriusque interest, antequam ad Matrimonii legem veniatur. Sic Raguel Saram filiam Tobiæ traditurus in Matrimonium, monuit eum priùs de nece septem virorum, quibus illa jam nupserat. (*Tob.* VII. 11.) (D)

5. In spiritu humilitatis id secum animo reputare juvat, Matrimonium esse infirmum vitæ Christianæ statum ; per-

cedat. Testamento suo extraneis nihil derelinquat : sed (sive testato, sive intestato) legibus ei et jure succedant, si qui fortè ex justo et legitimo Matrimonio editi fuerint : hoc est, de descendentibus filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis : de ascendentibus autem pater, mater, avus, avia : de latere frater, soror, patruus, amita. Testandi sanè ita demùm habeat facultatem, ut his tantummodò personis pro juris ac legum, quod voluerit arbitrio relinquat, quas succedere Imperialis præcepti tenore mandavimus : ita tamen, ut ab hæreditate defuncti penitùs arceatur, si quis ex his quos memoravimus, in contrahendis incestis nuptiis consilium iniisse monstrabitur : successuro in locum illius, qui post eum gradu proximus invenitur. Ea sanè quæ de viris cavimus, etiam de feminis, quæ prædictorum sese consortiis commaculaverint, custodiantur. Memoratis verò personis non exstantibus, nostro fisco locus pateat.

(D) TOBI. VII. 10. Tobias dixit : Hic ego hodiè non manducabo neque bibam, nisi priùs petitionem meam confirmes, et promittas mihi dare Saram filiam tuam. 11. Quo audito verbo Raguel, expavit, sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam : et timere cœpit ne fortè et huic similiter contingeret : et cùm nutaret, et non daret petenti ullum responsum, 12. dixit ei Angelus : Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua : propterea alius non potuit habere illam. 13. Tunc dixit Raguel : Non dubito quòd Deus preces et lacrymas meas in conspectu suo admiserit. 14. Et credo quoniam ideò fecit vos venire ad me, ut ista conjungeretur cognationi suæ secundùm legem Moysi : et nunc noli dubium gerere quòd tibi eam tradam. 15. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens : Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. 16. Et acceptâ chartâ, fecerunt conscriptionem conjugii. 17. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.

S. AMBROS. *Lib.* 3. *offic. minist. cap.* 4. *n.* 24. Hinc ergo colligitur quòd homo, qui secundùm naturæ formatus est directionem, ut obediat ei, nocere non possit alteri : quòd si cui nocerat, naturam violet : neque tantum esse commodi quod adipisci sese putet, quantum incommodi, quod ex eo sibi accidat. Quæ enim pœna gravior, quàm interioris vulnus conscientiæ ? Quod severius judicium, quàm domesticum, quo unusquisque sibi est reus, seque ipse arguit quòd injuriam fratri indignè fecerit ? Quod non mediocriter Scriptura commendat dicens : (*Prov.* XIV. 3.) *Ex ore stultorum baculum contumeliæ.* Stultitia igitur condemnatur, quia contumeliam facit. Nonne hoc magis fugiendum, quàm mors, quàm dispendium, quàm inopia, quàm exilium, quàm debilitatis dolor ? Quis enim vitium corporis, aut patrimonii damnum non levius ducat vitio animi, existimationis dispendio.

N. 25. Liquet igitur id spectandum et tenendum omnibus, quod eadem singulorum sit utilitas, quæ sit universorum : nihilque judicandum utile, nisi quod in commune prosit. Quomodo enim potest uni prodesse ? Quod inutile sit omnibus, nocet. Mihi certè non videtur, qui inutilis est omnibus, sibi utilis esse posse. Etenim si una lex naturæ omnibus, una utique utilitas universorum, ad consulendum utique omnibus naturæ lege constringimur. Non est ergo ejus qui consultum velit alteri secundùm naturam, nocere ei adversùs legem naturæ.

fectioremque esse virginitatem, aut viduitatem conjugio. (E)

6. Non accedendum priùs ad connubii legem, quàm tenuantur præcipua religionis mysteria, Christianæque vitæ ratio, et conjugatorum officia probè noscantur. (F)

7. Instandum orationi, vacandum bonis operibus; suscipienda ritè Sacramenta, antequam Matrimonium ineatur. (G)

8. Cavendum maximè ab eorum insaniâ, qui Matrimonium ita suscipiunt, ut Deum à se et à sua mente excludant, qui hoc unum agunt ut *libidini ita vacent sicut equus et mulus*, (*Tob.* VI. 17.), qui ita conjunguntur *sicut gentes quæ ignorant Deum* (1. *Thess.* IV. 5.), qui tempore nuptiarum nil nisi terrena sapiunt, qui in vanitatibus et ludis, et comessationibus tunc licere putant omnia profundi; qui si fortè confitentur illis diebus coram Sacerdote peccata sua, id agunt profunctoriè, quia alioqui per Pastores non liceret ad Matrimonii sacramentum accedere, sed reverâ sic extra se vagantur, ut de Deo ne cogitent quidem. Illi quàm longè

(E) S. Aug. *de bono viduitatis*, *cap.* 5. *n.* 6... Bonum est pudicitia conjugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. Hoc ergo melius illius boni submissione honoratur : non illud bonum melioris hujus laude damnatur.

N. 7. Quod autem Apostolus cùm cælibum et innuptarum commendaret fructum, quia cogitans quæ sunt Domini, quomodò placeant Deo, subjecit et ait, (1. *Cor.* VII. 35.) *Hoc autem ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam*, id est, non ut vos cogam; *sed ad id quod honestum est :* non quia innuptarum bonum honestum dixit, ideò putare debemus turpe esse vinculum conjugale : alioquin etiam primas nuptias condemnabimus, quas nec Cataphryges, nec Novatiani, nec disertissimus eorum adstipulator Tertullianus turpes ausus est dicere. Sed quemadmodùm cùm ait, (*Ibid.* 8.) *Dico autem innuptis et viduis, bonum esse illis si sic permanserint :* utique bonum posuit pro meliore, quoniam omne quod bono comparatum melius dicitur, etiam hoc procul dubio bonum est : nam quid est aliud quod ita dicitur melius, nisi quod magis bonum est? Nec ideò consequenter eum sensisse arbitramur, malum esse si nupserint, quoniam dixit, (*ibid.*) *bonum esse illis si sic permanserint :* Ita etiam cùm ait, *sed ad id quod honestum est ;* non Matrimonium turpe esse monstravit, sed quod honesto erat honestius generalis honesti nomine commendavit. Quia honestius quid est, nisi quod magis honestum est? Magis autem honestum utique honestum est. Apertè quippè declaravit, hoc esse bono illo melius, ubi ait (*Ibid.* 38.), *Qui dat nuptum benefacit ; et qui non dat nuptum, melius facit :* et hoc illo beato beatius, ubi ait : (*Ibid.* 40.) *Beatior autem erit, si sic permanserint.* Sicut ergo bono melius et beato beatius, sic honesto honestius est, quod honestum voluit appellare. Absit enim ut turpe sit. Undè loquens Apostolus Petrus ait (1. *Petr.* III. 7.), *viri uxoribus vestris tanquàm vasi infirmiori et subjecto tribuite honorem, quasi cohæredibus gratiæ.* Et illas alloquens, subditas esse viris suis exemplo Saræ adhortatur : *Nam sic quædam*, inquit, (*Ibid.* 5. 6.) *sanctæ mulieres, quæ in Deum sperabant, ornabant se, obsequentes viris suis : quomodo Sara obediebat Abrahæ, Dominum illum vocans, cujus factæ estis filiæ benefacientes et non timentes ullam perturbationem.*

(F) Concil. Mediolan. V. *sub* S. Carolo, *part.* 3. *Tit. quæ ad Matrim. pertinent.* Parochus quos sponsos experiundo viderit doctrinæ Christianæ rudimenta planè ignorare, ne Matrimonio illos antè jungat, quàm eà item ratione cognorit didicisse, quæ eo de genere illos planè scire oportet.

(G) Concil. Trident. *Sess.* 24. *De reformat. Matrim. cap.* 1. *Vide superiùs* §. 3. *hujusce Cap. litt.* (C)

sunt à Christiana ineundi Matrimonii ratione ! Quàm arcent longè à se Dei benedictionem ! Quantas sibi molestias et tribulationes parant ! (H)

(H) S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 48. *in Genesim. Edit. Paris. in fol. ann.* 1614. *pag.* 671.... *Non accipias uxorem filio meo Isaac de filiabus Chananæorum, inter quos ego habito : sed in terram meam in qua natus sum, ibis, et ad cognationem meam, et indè accipies uxorem filio meo Isaac....* (*Gen.* XXIV. *et* 4.) At ne perfunctoriè prætereas dicta, sed cogita mentem et propositum justi, et quò spectarit : et attende quomodo veteres non quærebant substantiam multam, non divitias, non servos, et jugera agri tot et tot, non externæ venustatis formam : sed animæ pulchritudinem, et morum nobilitatem. Nam.... sciens quantum bonum sit sortiri conjugem iisdem moribus viventem, præcipit servo et juramentum adhibet, ut ex sua cognatione uxorem adducat Isaac, et neque intervallum locorum, neque aliæ difficultates seguem eum in his reddunt : sed sciens rei necessitatem, omnem curam et studium adhibet, ac mittit servum. Cæterùm Patriarcha habens respectum virtutum animæ, et abhorrens à vicinorum malitiâ, ita quidem se gerit : at nunc omnes tale quiddam ne cogitarent quidem. Nam etsi malis innumeris plena sit, hoc solum inquirunt, quantùm abundet pecuniis, cætera omnia posteriore loco habent, nescientes quòd cùm mens perversa sit, licèt immensæ affluant divitiæ, facilè in extremam venient inopiam : et nihil proderunt opes, cùm non sit ibi mens quæ benè illas dispensare queat.... Vide servi prudentiam. Nam quia scivit Patriarchæ hospitalitatem, et quia virginem indè ducendam, congruebat iisdem esse præditam moribus, quibus justus : nullam aliam conjecturam inquirit, sed characterem virginalis animi ex hospitalitate colligere vult.... Cogita, obsecro, quanta etiam eâ ætate fuerit continentiæ diligentia, et modestiæ eminentia hospitalitatisque frequentia. Quibus igitur opibus hæc non sunt pretiosiora ? Quibus thesauris hæc non sunt præferenda ? Hæc summa dos, hæc innumera bona, hic thesaurus qui non consumitur.... Vidisti quomodo solebant olim filiis suis uxores ducere ? Quomodo magis animæ generositatem, quàm opum abundantiam inquirebant ? Nusquam instrumenta, nusquam pacta, et alia ridicula quæ nunc apud nos fiunt, et conditiones illæ quæ tabulis inseruntur : Si absque liberis, inquit, moriatur, si hoc et hoc contingat. Verùm apud illos nihil tale, sed maximæ et securissimæ tabulæ erant virginis mores : nusquam cymbala et choreæ.... *Rebecca autem ut vidit Isaac, desiliit à camelo, et dixit servo : Quis est homo ille qui vadit in campo nobis obviam ?* (*Ibid.* 64. *et* 65.) Vide puellæ generositatem, postquam vidit Isaac, quærebat quis essel. Et ubi didicit quod ipse esset sponsus, (*Ibid.* 66.) velavit se theristro : et veniens servus omnia clarè annuntiavit Isaac. Hic considera, oro, quomodo nusquam superflua illa et inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala, et tibiæ et choreæ, et satanica illa convivia, et scommata omni obscenitate plena : sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis bonitas. *Introvit autem Isaac*, inquit, (*Ibid.* 67.) *in domum matris suæ, et accepit Rebeccam : et fuit ei uxor, et dilexit eam, et consolationem accepit Isaac super Sara matre sua.* Hanc imitentur mulieres, hunc æmulentur viri. Sic sponsas ducere curent. Quare enim, dic, oro, statim ab initio sordibus impleri sinis puellæ aures, tam turpibus cantilenis, tam intempestivâ illâ pompâ ? Nescis quomodo adolescentia per se in malum propensa ? Cur honesta nuptiarum mysteria invulgas ? Cur oporteat omnia hæc depellere, et verecundiam principio docere puellam, et Sacerdotes vocare, et precibus et benedictionibus concordiam conjugii constringere : ut amor sponsæ augeatur, et puellæ continentia crescat, et omnia quæ fiunt eò spectent ut virtutis opera ingrediantur in domum illam, tollanturque è medio omnes diaboli insidiæ, et ipsi favore Dei uniti jucundè vitam exigant.

Homil 56. *in Genes. initio. Congregavit autem*, inquit, *Laban omnes viros loci, et fecit nuptias, et factum est vespere, et accepit Laban Liam filiam suam, introduxitque eam ad Jacob.* (*Gen.* XXIX. 22. *et* 23.) Vidisti cum quanta olim honestate nuptias egerint ? Audite, qui satanicas pompas admiramini. Num tunc tibiæ, num tunc cymbala, num tunc choreæ

diabolicæ? Quare enim (dic mihi) tantum statim ad initio damnum inducis in domum tuam, et eos qui in scenis et orchestris operam locant vocas, ut cum intempestivo sumptu virginis lædas continentiam, et juvenem impudentiorem facias? Satis enim arduum erat, absque illis sufflationibus illam ætatem posse ferre æquiter tempestatem affectionum: cùm autem et hæc accedunt, tam quæ videntur, quàm quæ audiuntur, majusque accenditur incendium, et fornax concupiscentiarum magis inflammatur, quomodo non pessum it adolescentis anima? Hinc enim omnia pereunt et corrumpuntur: quia ab initio castitas oppugnatur eorum qui inter se conventuri sunt, et sæpè primo die juvenis oculis videns incontinentibus, telo diabolico in anima vulneratur; et puella per ea quæ audit et videt captiva fit, et ab eo die posteà crescunt vulnera, majusque fit malum. Etenim illinc statim discunt, ut et mutuam concordiam dilacerent, et amorem corrumpant. Quando enim ille mentem ad aliam vertit, hùc et illùc dividens cogitationem, et à diabolo ipso instigatur, multâ amaritudine domum implet. Quòd si et illa comperitur ita affecta esse, ex ipsis fundamentis omnia (ut ita dicam) evertit. Posteà mutuum se fugiunt et latere volunt, et ille quidem suspiciosè observat uxorem, et similiter illa virum. Et ubi oportebat concordiam esse et copulam, et qui debebant esse caro una, *erunt* enim, inquit, *duo in carne una* (*Gen.* II. 24. I. *Cor.* VI. 16. *Ephes.* V. 31.) hi in tanta vivunt divisione quasi dissecti sint. Diabolus enim subingressus, tantum in eis damnum facit, ut quotidianæ pugnæ inter eos nascantur, et à malis nunquam habeant quietem. Quid enim quis dixerit, quomodo posteà à famulis contemnantur, quomodo à vicinis videantur, quàm fœda operentur? Nam sicut quando gubernatores inter se dissident, etiam qui in navi feruntur, periclitantur, ac timent ne submergatur navis: ita et hic si discordes sint vir et mulier, verisimile est omnes qui apud illos sunt, participes esse malorum. Propterèa oro, ut hæc omnia prævidentes, consuetudinem non sectemur. Scio enim quòd multi hanc prætexunt, neque tolerant quòd hæc à nobis dicuntur: attamen necesse est ut nos utilia dicamus, et quæ illos à futuro supplicio liberent. Ubi enim tantum animæ damnum, qua de causa mihi consuetudinem prætexere audes? Ecce enim et ego tibi consuetudinem meliorem objicio, quam veteres habuerunt, quando nondum tanta pietatis erat agnitio. Et ne justum hic Jacob tantùm cogites, sed et Laban adhuc idolorum cultui deditum, et tantam præ se ferentem philosophiam. Neque enim hæc honestas ejus erat, qui ducturus puellam, sed patris eam tradentis. Ideò et illum feci sermonem, non ad sponsos tantùm intendens, quantùm ad parentes, et ad patrem sponsi, et ad tradentem virginem. Quomodo enim non absurdum, si nos qui tantam accepimus gratiam, et misericordiam, et tam terribilium ineffabiliumque Sacramentorum participes sumus, hac in re inferiores sumus Laban, qui cultui idolorum adhuc erat deditus? Au non audis Paulum dicentem (*Ephes.* V. 32.), quòd Sacramentum sunt nuptiæ, et imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesia declaravit? Ne igitur confundamus nos ipsos, et honestatem nuptiarum corrumpamus. Nam siquidem bonum et utile fuerit consilium, etiamsi non sit consuetudo, fiat: sin damnosum et perniciosum est, quod nunc à vobis efficitur: etiamsi consuetudo sit, rejiciatur. Nam si hoc admiserimus, et fur, et adulter, et quamtumvis malus alius ad consuetudinem provocabit: at nullum hinc illis lucrum est vel venia, sed major potiùs accusatio, quòd malam consuetudinem superare non valuerunt. Si enim voluerimus prudentes esse, et habere curam nostræ salutis, possumus et à mala consuetudine desistere, et in bonam consuetudinem nos reducere, et sic posteris nostris non parvam dabimus occasionem eadem imitandi, et accipiemus etiam nos mercedem eorum quæ ab his aguntur. Nam qui initium bonæ viæ præbuerit, hic auctor est eorum quæ et ab aliis fiunt, et duplicem recipiet mercedem, tam pro his quæ ipse rectè facit, quàm quibus alios in optimam illam inducit philosophiam. Ne prætexatis, frigida et ridicula verba hæc dicentes: legitima quædam esse hæc, et propterèa impleri oportere. Non hæc legitimum faciunt conjugium, sed si juxta leges Dei, cum castitate et honestate fiat conventus, et si concordiâ magnâ

cohæreant hi qui conveniunt. Noverunt hoc etiam externæ leges: et audies, qui his studuerunt, dicere : conjugium nihil aliud constituere quàm consuetudinem. Ne igitur divinas leges cum humanis transgrediamur, ne præferamus diabolicas leges, et perniciosam hanc consuetudinem. Illius enim lex sunt hæc, qui gaudet de interitu nostro. Quid igitur hac consuetudine magis ridiculum, quando vir et uxor innumeris convitiis et scommatis à servis et triobolaribus hominibus incessuntur, et nemo est qui increpet : sed licet cuivis volenti ad vesperam omnia loqui, et convitia jacere in sponsum et sponsam? Et in alio die si quis conaretur ita salibus mordere, periclitaretur, ad tribunal abduceretur, et puniretur. Tunc autem, quando plurimam oportebat esse reverentiam, majoremque honestatem et castitatem, obscœnitate implentur omnia, ut probabile sit à Diabolo hæc omnia inventa esse.

Hom. 12. *in* 1. *ad Corinth. in morali.* Nuptiæ res pretiosa et nobis et externis videtur. Verùm perfectis nuptiis tot ridicula sequuntur, quot mox audietis. Nonnulli enim consuetudine oppressi et depravati, errorem suum nequeunt dignoscere, sed aliis indigent qui se doceant. Etenim choreæ, cymbala, tibiæ, verba turpia et cantilenæ, ebrietates, comessationes, et multa diabolica colluvies inducitur. Et certò quidem scio, quòd videbor ridiculus esse hæc aggressurus, et multæ à nonnullis stultitiæ arguar, quòd in antiquas leges verba facio. Quod enim jam dixi, multus consuetudinis error est. Verumtamen non cessabo hæc dicere : fortasse enim, licet non omnes, pauci tamen nos suscipient, et nobiscum derideri præoptabunt, quàm ridere nos cum illis risum lacrymis et multâ pœnâ et supplicio dignum. Quomodo enim non fuerit hoc summè condemnandum, virginem quæ perpetuò vixerat in thalamo, et ab ineunte ætate didicerat verecundiam, repentè cogere simul omnem effundere pudorem, et ab exordio Matrimonii docere impudentiam et viris petulantibus, et impudicis, scortatoribusque et mollibus eam in medium adducere? Quodnam enim malum illo die non inseretur sponsæ? Impudentia, audacia, inverecundia, indecoræ amor gloriæ. Volent enim omnes dies habere his similes. Hinc sunt mulieres profusæ et sumptuosæ : hinc impudentes, hinc mala illis innumerabilia. Neque mihi dicas consuetudinem, nam si res quidem est mala, ne semel quidem fiat; sin autem bona, semper fiat. Nam dic mihi, scortari non est malum? concedemusne ergo hoc semel fieri? Nequaquam. Quare? Quoniam et si semel tantùm fiat, malum est similiter. Sic quidem oblectari sponsam, si est quidem malum, ne semel quidem fiat. Sin autem non est malum, semper fiat. Cur ergo de nuptiis detrahis? Absit. Non sum adeò insanus. Sed ea quæ maiè attrahuntur ad nuptias, nempè attrita pigmenta, et fucos, et quidquid est in eis curiosum et superfluum. Nam ab illo die multos accipiet amatores, etiam ante eum qui cum ipsa est habitaturus. At multi propter speciem admirabuntur mulierem : et quid tum? Nam si sit pudica, vix effugiet suspicionem. Sin autem ejus nulla geratur cura, citò capietur, ex illo die acceptâ occasione libidinis.... Vide quæ hinc jam oriantur. Non die tantùm, sed noctu ebrii, et ebrietate attoniti, et deliciis fracti, in virginei aspectûs pulchritudinem oculos dirigere festinant : et neque in domo duntaxat, sed per forum publicè eam ostendunt : et in obscura nocte cum funalibus ipsam ducunt, ut omnibus ostendatur. Quibus rebus nihil aliud faciunt, quàm quòd admonent omnem jam pudorem exuendum. Neque hactenùs contenti, cum turpissimis sermonibus ipsam ducunt. Et hæc multitudini lex est. Perniciosi homines securè et cum summa licentia dicunt quæ volunt, et in sponsam, et in eum qui est cum illa habitaturus : et nihil quidem honestum, omnia autem turpia, probroque plena et dedecore : bonam autem temperantiæ et moderationis doctrinam non habebit sponsa, quæ audit hæc et videt. Et est quædam diabolica contentio eorum qui hæc suadent, ut alii alios superent, probrorum ac turpium verborum gloriosa probatione, per quæ eos qui conveniunt probro afficiunt ac dedecore : et illi victoriâ partâ recedunt, qui plura probra, et majores congesserunt turpitudines.... Quomodo enim.... non est injucundum, contumeliâ et maledicto affici, et ab omnibus cum sponsa dedecore et ignominia notari. Et si vel unus ex fori hominibus conjugi maledixerit, omnia per-

I. Quid facto opus illis qui jam sponsalia celebrarunt, quousque Matrimonium celebretur?

1. Non licet ipsis manere simul in eadem domo, sub eodem tecto. (1)

2. Cavendum ne conversentur inter se familiariùs, ne sine teste colloquantur.

3. Tunc maximè instent orationi et bonis operibus.

I. Quid agendum in ipsa nuptiarum celebratione, et sacramenti susceptione?

R. Qui Matrimonium suscipiunt, debent tunc maximè supplices petere *benedictionem à Domino et misericordiam à Deo salutari suo* (*Ps.* XXIII. 5.), ut sanctè conjugium ineatur et exerceatur.

Qui adsunt nuptiis id ipsum pro sponsis enixè rogare Dominum debent.

turbas, et acerbam vitam vivere te arbitraris. Omni autem præsente civitate impudenter cum conjuge gaudes et exsultas. Et quænam hæc insania? Sed consuetudinis res est, inquis. Propter hoc maximè deflendum est, quòd in consuetudinem id traxit diabolus. Nam cùm nuptiæ res honesta sit, et quæ genus nostrum conservet, et multorum bonorum causa, cùm ægrè id ferret dæmonis iniquitas, videretque contra fornicationem munimenta fieri, aliâ ratione omnem induxit fornicationem. Multæ igitur in hujusmodi consuetudinibus dedecore affectæ virgines. Quòd si non ubique, satis tamen est dæmoni primùm verbis et obscenis illis cantibus traducere sponsam et sponsum per forum diffamare. Præterea cùm vesperi hæc fiant, ne tenebræ hæc mala abscondat, plura funalia afferuntur, ne turpitudinem latere sinant. Quid enim immensa turba sibi vult? quid ebrietas? quid fistulæ? Nonne satis constat, ne scilicet ii, qui in domibus profundo somno tenentur, hæc ignorent, sed à fistula excitati, et supernè fenestris incumbentes, testes fiant obscenitatis illius? Quid dixeris de ipsis canticis, quæ sunt plena omni impudentiâ, et amores pravos, et concubitus illegitimos, ac nefarios, et domorum eversiones, et tragœdias inducunt innumerabiles. Eis adsunt virgines omni exuto pudore, ad sponsæ honorem, vel potiùs ignominiam, et suam projicientes salutem et inter impudicos adolescentes, incompositos, lascivientes, et indecorè se gerentes, cantilenis, verbisque turpibus, et satanicâ consonantiâ. Et adhuc me rogas undè sint adulteria, undenam stupra, undè Matrimoniorum corruptiones. Verùm generosi et honesti hæc non faciunt, inquis. Quomodo igitur me derides, cùm prior me legem ipsam videas? Nam si bona sunt quæ fiunt, sine et illas hæc facere. Nunquid si pauperem vitam agunt non sunt virgines, neque pudicitiæ curam habere eas oportet? Nunc autem saltat virgo in communi theatro juvenum impudicorum, et non tibi videtur esse infamis magis quàm meretrix.

In Epist. Pauli ad Ephes. Sermone 20. *in Morali.* Relictis illis quæ ad scenicum magis apparatum pertinent, tu ipse multâ venustate domum adorna, modestiam, imò plurimum bonæ fragrantiæ spirantem.... Quid igitur necessarium dico? Amputari à nuptiis omnia turpia satanicaque cantica, inhonestas odas, concursusque immundorum adolescentum, atque tum poterit sponsus ad istorum normam moderari sponsam. Statim enim apud se ipsam cogitabit. Papæ! qualis est hic vir? Philosophus est: nihili reputat præsentem vitam. Ad generandos et educandos liberos custodiendamque domum me in ædes suas induxit. Verùm injucunda erunt ista sponsæ? Unum aut alterum diem, deinceps verò nequaquam, sed magnam etiam indè voluptatem capiet, liberans hoc pacto se ipsam ab omni suspicione. Qui enim neque libias, neque saltantes, neque prafractos cantus tolerat, idque nuptiarum tempore, difficillimè susti nebit aliquid unquam, quod turpe sit, vel facere vel dicere.

(1) Concil. Trident. *Sess.* 24. *de reformat. Matrim. cap.* 1. *Vide hujusce Cap.* §. 3. *litt.* (C)

I. Quomodo agendus est nuptiarum dies ?

R. 1. Dies ille sanctus est et sanctè agendus, ut Christianos decet : non gentium more in ludis et dissolutionibus et choreis et saltationibus et nimiis compotationibus et comessationibus consumendus. (K)

2. Licet tamen in eo lætari, et convivium agere, et vocare cognatos et amicos, ut ipsi veniant in partem gaudii et convivii nuptialis. Id et rectæ rationi consentaneum ; et in Scripturis probatum, et firmatum exemplo Christi ipsius, qui vocatus ad nuptias in Cana Galilææ, nuptiali convivio interfuit, et deficiente vino, aquam in vinum mirabiliter convertit. Id modò caveatur ne ebrietates, ne vana et obscena colloquia misceantur, uno verbo ne quid fiat quod ad gentium procacitatem et lasciviam accedere videatur. (L)

3. Non sic à sponsis agendus est solidus ille dies in lætitia et conviviis, ut ne sumant sibi saltem aliquantum temporis ad orationem, et gratiarum actionem exhibendam supremo numini. Undè valdè expedit eos idcircò ad Ecclesiam, si commodè fieri potest, vel saltem in interius aliquod cubiculum orandi causâ seorsùm convenire.

4. Quod à Raphaële Angelo præceptum est Tobiæ juniori, ut post acceptam conjugem triduum ab ea contineret, et vacaret interim orationibus, id omninò consulendum recèns conjugatis. (M) Concilium Carthaginense quartum

(K) *Vide* S. JOAN. CHRYSOST. *locis suprà allatis hocce* §. *litt.* (B. C. H.)

(L) GENES. XXIV. 53. Prolatisque vasis argenteis, et aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere ; fratribus quoque ejus, et matri dona obtulit. 54. Inito convivio, vescentes pariter et bibentes manserunt ibi.

XXIX. 22. Qui (*Laban*) vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.

TOB. IX. 9. Et dixit : (*Gabelus Tobiæ*) Benedicat te Deus Israël, quia filius es optimi viri, et justi, et timentis Deum, et eleemosynas facientis : 10. et dicatur benedictio super uxorem tuam, et super parentes vestros : 11. et videatis filios vestros, et filios filiorum vestrorum, usque in tertiam et quartam generationem : et sit semen vestrum benedictum à Deo Israël, qui regnat in secula seculorum. 12. Cumque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad convivium : sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

JOAN. II. 1. *Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 6. *litt.* (P)

(M) TOB. VI. 11. Respondensque Angelus, (Tobiæ) ait : Est hic Raguel nomine vir propinquus de tribu tua, et hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque feminam ullam habet aliam præter eam. 12. Tibi debetur omnis substantia ejus, et oportet eam te accipere conjugem. 13. Pete ergo eam à patre ejus, et dabit tibi eam in uxorem. 14. Tunc respondit Tobias, et dixit : Audio quia tradita est septem viris, et mortui sunt : sed et hoc audivi, quia dæmonium occidit illos. 15. Timeo ergo, ne fortè et mihi hæc veniant : et cùm sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. 16. Tunc Angelus Raphaël dixit ei : Audi me, et ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. 17. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, et à sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus : habet potestatem dæmonium super eos. 18. Tu autem cùm acceperis eam ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, et nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea. 19. Ipsâ autem nocte, incenso jecore piscis, fugabitur dæmo-

præscripsit olim conjugibus continentiam primâ nuptiarum nocte. (N) Idem olim in Ecclesia Gallicana decretum vigebat. (O) Jam non decretum, sed consilium est, non nisi ex mutuo consensu servandum. (P)

§. 6. Quæ sint Conjugatorum inter se Officia.

I. Quam vitam agere debent conjugati ?

R. Vitam sanctam, rectam, honestam : *Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum.* (1. *Thess.* IV. 4. *et* 5.) *Nec tradant semetipsos impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam : nos autem non ita didicimus Christum.* (*Ephes.* IV. 19. *et* 20.) (A)

nium. 20. Secundà verò nocte in copulatione sanctorum Patriarcharum admitteris. 21. Tertià autem nocte, benedictionem consequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes. 22. Transactà autem tertià nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

VIII. 4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei : Sara, exsurge, et deprecemur Deum hodiè, et cras, et secundum cras : quia his tribus noctibus Deo jungimur : tertià autem transactà nocte, in nostro erimus conjugio. 5. Filii quippè Sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi sicut gentes, quæ ignorant Deum. 6. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis.

(N) CONCIL. CARTHAG. IV. *Can.* 13. *ann.* 398. Sponsus et sponsa cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis, vel paranymphis offerantur. Qui cùm benedictionem acceperint, eàdem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.

(O) CAROLUS MAGNUS *Lib.* 7. *Capitular. cap.* 463. Decretum est ut uxor legitimè viro conjungatur, aliter enim legitimum à patribus accepimus, et à sanctis Apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit conjugium, nisi ad his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, et à quibus custoditur, uxor petatur, et à parentibus propinquioribus sponsetur, et legibus dotetur, et suo tempore Sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus à Sacerdote benedicatur, et à paranymphis,ut consuetudo docet, custodita et sociata à proximis, quæ tempore congruo petita legibus, detur et solemniter accipiatur : et biduo vel triduo orationibus vacent, et castitatem custodiant ; et bonæ soboles generentur, et Domino suis in actibus placeant : taliter enim et Domino placebunt, et filios non spurios sed legitimos, atque hæreditabiles generabunt.

(P) CONCIL. MEDIOL. V. *sub* S. CAROLO, *part.* 3. *Tit. Quæ ad Matrimonium pertinent.* Parochus, quorum Matrimonium ex Concilii Tridentini præscripto publicè ter denuntiaturus est, eos primùm gravi cohortatione diligenter moneat, ut cùm ad illud ineundum jejuniis orationibusque se parent, tum etiam ut eo ritè celebrato, Sacerdotalique benedictione à proprio Parocho acceptâ, orationi frequentiori interim vacantes, triduo abstineant pro reverentia : sicque contra spirituales nequitias et carnis procacitatem sanctè muniti, salutem et gratiam Dei ex eo Sacramento uberiorem sibi comparare studeant.

(A) TOBIÆ VIII. 5. Filii quippè Sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.

IX. 12. Cumque omnes dixissent Amen, accesserunt ad convivium : sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

1. THESSAL. IV. 3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos à fornicatione : 4. ut sciat unusquisque vestrùm vas suum possidere in sanctificatione, et honore ; 5. non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum..... 7. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 8. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum : qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.

Hebr. xiii. 4. Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus. Fornicatores enim, et adulteros judicabit Deus.

1. Petr. iii. 1. Similiter et mulieres subditæ sint viris suis : ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, 2. Considerantes in timore castam conversationem vestram. 3. Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus : 4. Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples. 5. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo ornabant se, subjectæ propriis viris. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans : cujus estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem. 7. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes vestræ.

Tertull. *lib.* 2. *ad uxor. cap.* 2. Non quidem abnuimus conjunctionem viri et feminæ benedictam à Deo, ut seminarium generis humani, et replendo orbi, et instruendo seculo, excogitatam, atque exindè permissam; unam tamen. Nam et Adam unus Evæ maritus, et Eva uxor illius, una mulier, una costa. Sanè apud veteres nostros ipsosque Patriarchas, non modò nubere, sed etiam plurifariam matrimoniis uti fas fuit. Erant et concubinæ. Sed licèt figuraliter in Synagoga Ecclesia intercesserit, ut tamen simpliciter interpretemur, necessarium fuit instituere, quæ posteà aut amputari mererentur. Superventura enim lex erat. Oportebat legis adimplendæ causas præcucurrisse. Item mox legi succedere habebat Dei sermo, circumcisionem inducens spiritalem. Igitur per licentiam tunc passivam, materiæ subsequentium emendationum præministrabantur, quas Dominus Evangelio suo, dehinc Apostolus in extremitatibus seculi aut excidit redundantes, aut composuit inconditas. Sed non ideò præmiserim de libertate vetustatis, et posteritatis castigatione, ut præstruam Christum separandis matrimoniis, abolendis conjunctionibus advenisse, quasi jam hinc finem nubendi præscribam. Viderint qui inter cætera perversitatum suarum disjungere docent carnem in duobus unam, negantes eum qui feminam de Masculo mutuatus, duo corpora ex ejusdem materiæ consortio sumpta, rursùs in se matrimonii computatione compegit. Denique prohiberi nuptias nusquam omninò legimus, ut bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, (1. *Cor.* vii. 6. *etc.*) permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente : illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum. Quâ ratione utriusque pronuntiationis inspectâ, facilè dignoscitur necessitate vobis concessam esse nubendi potestatem. Quod autem necessitas præstat, depretiat ipsa.

S. Clemens Alexandr. *lib.* 2. *Pædagogi cap.* 10. Tempus autem opportunum conjunctionis solis iis relinquitur considerandum, qui juncti sunt matrimonio : qui autem matrimonio juncti sunt iis scopus est et institutum, liberorum susceptio : finis autem, ut boni sint liberi... Dixit enim (*Deus*) *Crescite et multiplicamini...* (*Gen.* i. 28.) Neque seminandum est supra petram, neque semen est injuriâ afficiendum, quod quidem dux est et princeps generationis, estque substantia, quæ simul habet insita naturæ rationes. Quæ sunt autem secundùm naturam rationes, absque ratione præternaturalibus mandando mealibus, valdè est nefarium et impium... Non est ad adulteria prorumpendum... Qui se voluptatibus dedunt libidinosi, quadrupedum coeunt more et filios seminare conantur. *Impios autem tradidit Deus*, ut ait Apostolus, (*Rom.* i. 26. *et* 27.) *in perturbationes ignominiæ : nam et feminæ eorum mutaverunt naturalem usum, in eum qui est præter naturam : similiter autem et masculi eorum relicto usu naturali exarserunt in desiderio sui, inter se invicem masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in se recipientes...* Hinc nobis manifestum atque adeò in confesso est, vitandos esse cum masculis concubitus, et infrugiferas salliones, et venerem præposteram : et quæ naturâ cohærere non possunt.... A vehementibus ergo appetitionibus, mutuisque congressionibus, et cum prægnantibus feminis conjunctionibus, alternisque initibus, puerorumque stupris, adulteriis et libidine abstinere... est prohibitio.. Idcirco

apertè et non per ænigmata Moses adhuc nudo capite prohibuit, *non fornicaberis, non mœchaberis, pueris stuprum non afferes...* (*Exod.* XX. 14. *Levit.* XVIII. 22.) Libidinis autem supplicium notum nobis facient, illi qui Sodomam accesserunt Angeli. Ii eos qui probro illos afficere voluerunt, unà cum ipsa civitate combusserunt, evidenti hoc indicio, ignem, qui est fructus libidinis, describentes. Quæ enim veteribus acciderunt.. ad nos admonendos scripta sunt; ne iisdem teneamur vitiis, et caveamus ne in pœnas similes incidamus. Oportet autem filios existimare, pueros: uxores autem alienas intueri tanquam proprias filias... Natura sicut alimentis, ita etiam legitimis nuptiis quantum convenit, confert et decet nobis uti permisit. Permisit autem appetere liberorum procreationem. Quicunque autem quod modum excedit persequuntur, labuntur in eo quod est secundum naturam, per congressus qui sunt præter leges, seipsos lædentes. Omninò enim rectè habet supra omnia, nunquam cum adolescentibus, perindè ac cum feminis, veneris uti consuetudine..... *Et cum masculo non dormies feminino concubitu, est enim abominatio...* (*Levit.* XVIII. 22.) Neque ullam omninò tange mulierem, præterquam tuam ipsius uxorem, ex qua sola tibi licet carnis voluptates percipere, ad suscipiendam legitimam successionem. Hæc enim rationi sola sunt legitima.... Moses cum ipsis quoque prohibet uxoribus congredi, si fortè eas detineant purgationes menstruæ... (*Levit.* XV. 24. XX. 18.) Sola enim voluptas, si quis eà etiam utatur in conjugio, et præter leges et injusta et à ratione aliena. Rursùs autem Moyses abducit viros à prægnantibus, quousque pepererint... Nefas est ergo operantem jam naturam adhuc molestiâ afficere superfluè ad petulantem prorumpendo libidinem.... Parantur intemperantibus flagella, et supplicia humeris insipientium... (*Proverb.* II. 22.) In summa ergo, vel jungi matrimonio, vel omninò à matrimonio purum et mundum esse oportet... Circuncidamini fornicationem vestram... Non coïre autem ad liberorum procreationem, est facere injuriam naturæ. Quâ quidem oportet magistrâ, quas prudenter introducit temporis commoditates, diligenter observare, senectutem, inquam, et puerilem ætatem. His enim nondum concessit: illos autem non vult ampliùs uxores ducere. Sed non vult homines semper dare operam matrimonio. Matrimonium autem est filiorum procreationis appetitio, non nullo, ac incerto ordine seminis excretio, quæ est et præter leges, et à ratione aliena. Secundùm naturam autem nobis vita universa processerit, si et ab initio cupiditates contineamus... Cæterùm quibus uxores ducere concessum est, iis pædagogo opus fuerit, ut non interdiù mystica naturæ celebrentur orgia, nec ex Ecclesia, verbi gratiâ, aut ex foro manè rediens, galli more coëat, quando orationis et lectionis et efficacium quæ interdiù fiunt operum tempus est. Vesperè autem oportet post convivium quiescere, et post gratiarum actionem quæ fit Deo pro bonis quæ percepimus. Non semper autem concedit tempus natura, ut peragatur congressus matrimonii:.... neque verò noctu, tanquam in tenebris, immodestè sese ac intemperanter gerere oportet, sed verecundia tanquam lux rationis, in animo est includenda. Nihil enim à Penelope telam texente differemus, si interdiù quidem texamus dogmata temperantiæ, noctu autem ea resolvamus, cùm in cubile venerimus. Si enim honestatem exercere oportet, multò magis tuæ uxori honestas est ostendenda, inhonestas vitando conjunctiones: et quòd castè cum proximis verseris, fide dignum è domo adsit testimonium... Impudicorum verò verborum, et turpium figurarum, meritriciorumque osculorum, et hujusmodi lasciviarum nomina, ne sunt quidem memoriâ tenenda, beatum sequentibus Apostolum, qui apertè dicit (*Ephes.* V. 3.): *Fornicatio autem, et omnis immunditia, vel plura habendi cupiditas ne nominetur quidem in vobis, sicut decet sanctos.*

Rectè ergo videtur dixisse quispiam: Nulli quidem profuit coïtus, rectè autem cum eo agitur quem non læserit. Nam et qui legitimus, est periculosus, nisi quatenùs in liberorum procreatione versatur.... Ne simul ac exuitur tunica, pudorem quoque exuamus: nam justo temperantiam nunquam fas est exuere.... Neque ut dicit Paulus, *membra Christi, facienda sunt membra meretricis* (2. *Cor.* V. 15.), nec Dei templum, faciendum est templum turpium affectionum. Recordemini qua-

tuor et viginti millia fuisse propter fornicationem extrusa. (*Num.* XXV.) Ea autem quæ evenerunt iis qui fornicati sunt.... sunt figuræ quæ nostras libidines corrigunt.... Non est ergo justum vinci à rebus venereis, nec libidinibus stolidè inhiare, nec à ratione alienis appetitionibus moveri, nec desiderare pollui. Ei autem soli qui uxorem duxit, ut qui tunc sit agricola, serere permissum est, quando tempus sementem admittit. Adversùs allam autem intemperantiam, optimum quidem est medicamentum, ratio. Fert etiam auxilium penuria satietatis, per quam accensæ libidines, prosiliunt ad voluptates.

S. AUG. *de bono conjug. c.* 20. *n.* 23. Nec quòd purificari lex hominem et post conjugalem concubitum jubet (*Levit.* XV. 16.), peccatum esse declarat; si non est ille qui secundùm veniam conceditur, qui etiam nimiùs impedit orationes.

Lib. de peccato orig. contra Pelag. et Cœlest. cap. 33. *n.* 38. Sic autem argumentantur, dicentes: *Ergo malum sunt nuptiæ, et non est opus Dei homo quem generant nuptiæ?* Quasi nuptiarum bonum sit morbus concupiscentiæ, in quo uxores diligunt, qui ignorant Deum, quod Apostolus prohibet (1. *Thess.* IV. 5.), ac non potiùs pudicitia conjugalis, quâ in bonos usus ordinatè filios procreandi redigitur libido carnalis.

N. 39. Bonum ergo sunt nuptiæ in omnibus quæ sunt propria nuptiarum. Hæc autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubii sacramentum. Propter ordinationem generandi scriptum est (1. *Tim.* V. 14.): *volo juniores nubere, filios procreare, matres-familias esse.* Propter fidem pudicitiæ (1. *Cor.* VII. 4.): *uxor non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Propter connubii sacramentum (*Matth.* XIX. 6.): *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* De quibus in aliis opusculis nostris, quæ vobis non sunt incognita, quantùm Domino adjuvante potuimus, satis nos disseruisse meminimus. Propter hæc omnia, *honorabiles nuptiæ in omnibus, et torus immaculatus.* (*Hebr.* XIII. 4.) In quantùm enim nuptiæ bonæ sunt, in tantùm faciunt plurimum boni etiam de libidinis malo: quoniam libidine non benè utitur libido, sed ratio. Libido est autem in illa, quam notat Apostolus (*Rom.* VII. 23.), repugnante legi mentis inobedientium lege membrorum: ratio verò benè utens libidine, ipsa est lege nuptiarum.

De Nupt. et concupis. lib. 1. *cap.* 4. *n.* 5. Copulatio itaque maris et feminæ generandi causâ, bonum est naturale nuptiarum: sed isto bono malè utitur, qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluntate libidinis, non in voluntate propaginis?

Cap. 15. *n.* 17. Sed tamen aliud est, non concumbere nisi solâ voluntate generandi, quod non habet culpam: aliud, carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem, quod venialem habet culpam. Quia etsi non causâ propagandæ prolis concumbitur, non tamen hujus libidinis causâ propagationi prolis obsistitur, sive volo malo, sive opere malo. Nam qui hoc faciunt quamvis vocentur conjuges, non sunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt.

Lib. 2. *cap.* 31. *n.* 53. Deus enim fecit sexus, quia *masculum et feminam fecit eos*, sicut scriptum est. (*Genes.* I. 27.) Undè autem fieri posset, ut qui fuerant conjungendi, et ipsâ conjunctione generaturi, sua corpora non moverent; quando quidem nullus sit hominis ad hominem corporalis accessus, si desit corporis motus? Non ergo hic quæstio est de motu corporum, sine quo non possent omninò misceri; sed de pudendo motu genitalium, qui profectò non esset, et tamen seminatrix commixtio non deesset, si genitalia, non libidini, sed voluntati sicut cætera membra servirent. An non etiam nunc in corpore mortis hujus imperatur pedi, brachio, digito, labro, linguæ et ad nutum nostrum continuò porriguntur?.... Quantò ergo facilius atque tranquillius obedientibus genitalibus, corporis partibus et ipsum membrum porrigeretur, et homo seminaretur, nisi hominibus illis inobedientibus membrorum istorum inobedientia justo supplicio redderetur? Quod supplicium casti sentiunt, qui procul dubio mallent, si possent, jubente voluntate quàm proriente voluptate filios seminare. Immundi autem qui propter istum morbum, non

solùm meretrices, verùm etiam conjuges amant; de hoc supplicio carnis graviore supplicio mentis exsultant.

Lib. 2. *contra Julian. cap.* 7. *n.* 20. An tu dicturus es, quòd nuptiis ingerat crimen, quia et indè quod nascitur concupiscentiæ voluptate concretum, dicit subire contagium delictorum? Audi ergo de nuptiis Ambrosii sententiam in Apologia sancti David. (*Cap.* II.) *Bonum*, inquit, *conjugium, sancta copula. Sed tamen* qui habent uxores, ita sint ac si non habentes (1. *Cor.* VII. 29.) : *ipse est* torus incoinquinatus; *et nemo alterum fraudare debet eo*, nisi fortè ad tempus, ut vacent orationi. (*Hebr.* XIII. 4. 1. *Cor.* VII. 5.) *Tamen secundùm Apostolum, non vacat orationi quis eo tempore, quo usum corporeæ illius conventionis exercet.* Audi et alteram in libro de Philosophia : *Bona*, inquit, *continentia, quædam velut crepido pietatis. Namque in præcipitiis vitæ hujus labentium statuit vestigia; speculatrix sedula, ne quid obrepat illicitum. Mater autem vitiorum omnium incontinentia, quæ etiam licita vertit in vitium. Ideoque Apostolus non solùm à fornicatione nos retrahit* (1. *Cor.* VII.) : *verùm etiam in ipsis conjugiis modum quemdam docet, et tempora præscribit orandi. Intemperans enim in conjugio, quid aliud nisi quidam adulter uxoris est?* Cernis quemadmodum velit etiam inter se ipsa verè honesta esse conjugia? Vides quemadmodum dicat incontinentiam etiam licita vertere in vitium, ubi et licitum demonstrat esse connubium, et in ipso non vult incontinentiam fœdare quod licitum est? Advertis quomodo intelligere nobiscum debeas, *in* quo *morbo desiderii* noluerit Apostolus unumquemque *vas suum possidere sicut gentes, quæ ignorant Deum?* (2. *Thess.* IV.) Tibi autem libido non nisi præter uxorem videtur esse culpabilis. Quid ergo de Ambrosio judicabis, qui intemperantem in conjugio adulterum quemdam appellat uxoris?.... Tu ergo meliùs honoras nuptias, quarum dignitatem tanquam omninò irreprehensibili volutabro carnalis concupiscentiæ decoloras; an ille qui cùm dicat, non solùm licitum, sed etiam bonum conjugium, sanctamque copulam, tamen cessante libidinis voluptate, tempora orandi ab Apostolo præscripta commemorat; atque ita non vult illi morbo deditos esse conjuges, undè trahitur originale peccatum, ut eos qui habent uxores, secundùm eumdem Apostolum, ita esse velint, ac si non habentes (1. *Cor.* VII. 29.); nec vocare dubitat etiam uxoris adulterum intemperantem maritum, omne connubii bonum pensans non cupiditate carnis, sed fide potiùs castitatis; non morbo passionis, sed fœdere conjunctionis; non voluptate libidinis, sed voluntate propaginis? Nam mulierem viro non nisi generandi causâ perhibet institutam.

Lib. 2. *de Morib. Manichæor. cap.* 18. *n.* 65. Nuptiæ autem, ut ipse nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causâ maremfeminamque conjungunt: quisquis ergo procreare liberos quàm concumbere gravius dicit esse peccatum, prohibet utique nuptias; et non jam uxorem, sed meretricem feminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam ejus libidinem jungitur. Si enim uxor est, matrimonium est. Non autem matrimonium est ubi datur opera ne sit mater : non igitur uxor.

Enchirid. de fide, spe et charitate cap. 78. *n.* 21. Videmus quædam ab ipsis Apostolis ignoscendo fuisse concessa : quale illud est quod venerabilis Paulus conjugibus ait (1. *Cor.* VII. 5.), *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterùm ad idipsum estote, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram :* Quod putari posset non peccatum, misceri scilicet conjugi non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis : ut fornicationis, sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest tentante satanâ libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset, *Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium.* (*Ibid.* 6.) Quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus apostolicâ auctoritate, fateatur.

Lib. 22. *contra Faustum c.* 30. Lex æterna, id est, voluntas Dei creaturarum omnium conditoris conservando naturali ordini consulens : non

ut satiandæ libidini serviatur, sed ut saluti generis prospiciatur, ad prolem tantummodò propagandam, mortalis carnis delectationem dominatu rationis in concubitum relaxari sinit.

S. Cæsarius Arelat. *Serm.* 88. *in append. tom.* 5. S. Aug. *Edit. BB. Serm.* 292. *aliàs de tempore* 244. *n.* 1. Pueri vel puellæ qui in conjugio conjungendi sunt, virginitatem usque ad nuptias servent. Nam si ante legitimam conjunctionem per adulterium corrupti fuerint, ad nuptias corpore quidem vivi veniunt, sed in anima mortui comprobantur, quia scriptum est, *anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* (*Ezech.* XVIII. 20.)

N. 2. Nulla mulier potationes ad abortum suscipiat, nec filios aut conceptos aut jam natos occidat; quia quæcunque fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illic eorum causam quos occiderit esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debent accipere. Mulier autem quæcunque fecerit hoc per quod jam non possit concipere, quantoscunque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.

N. 3. Quoties ad Ecclesiam in qualibet solemnitate venitis, et Sacramenta Christi percipere volueritis, ante dies plures castitatem servate; ut cum secura conscientia ad altare Dei possitis accedere. Quam rem etiam per totam Quadragesimam, et usque ad clausulam Paschæ fideliter custodite; ut vos solemnitas Paschalis castos et puros inveniat. Qui enim bonus Christianus est, non solùm ante dies plures quàm communicet, castitatem servat; sed et uxorem suam, excepto desiderio filiorum, non agnoscit: quia uxor non propter libididem, sed propter filiorum procreationem accipitur. Denique et ipsæ tabulæ matrimoniales continent, *Liberorum*, inquit, *procreandorum causâ.* Videte quia non dixit, libidinis causà; sed liberorum procreandorum. Velim tamen scire, Fratres charissimi, ille qui uxore suâ incontinenter utitur, si quoties se luxuriâ victum agnovit, toties suum agrum in uno anno araverit, vel seruerit, qualem messem colligere possit. Quid ergo se continere nolunt, si toties terram quamdam suam, quam jam seminaverant, iterùm arent et seminent, videamus qualiter de ejus fructu gaudebunt; quia... nulla terra poterit dare legitimum fructum, in qua frequenter in uno anno fuerit seminatum. Quod ergo non vult aliquis in agro suo, quare facit in corpore suo?

N. 4. Sed dicet aliquis, Homo juvenis sum, continere non possum. Ne fortè ideò te non contines, quia plus manducas quàm expedit, et plus vinum accipis quàm oportet. Fortè etiam turpibus cogitationibus occupas mentem tuam, et luxuriosa verba non solùm libenter, sed etiam frequenter aut ipse dicere, aut, aliis dicentibus, audire nec metuis nec erubescis. Incipe cum Dei adjutorio gulæ concupiscentias refrenare, castis cogitationibus et honestis sermonibus mentem vel linguam tuam jugitur occupare; et videbis quia Deo auxiliante castitatem poteris custodire. Nec te pigeat, si te corporis infirmitas non prohibet frequentiùs jejunare, ad Ecclesiam maturiùs surgere; ut possis tuam animam à libidinosis maculis nitidam custodire. Et si hoc non infideliter faciens vides te adhuc carnis impugnationibus fatigari, et fortè aliquoties, excepto filiorum desiderio, ad cognoscendam uxorem propriam vinci; secundùm vires tuas quotidianas eleemosynas adde: quoniam scriptum est (*Eccli.* III. 33.), *sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccata.* Et illud quod contra omnia peccata magnum est et salubre medicamentum, omnibus qui in te peccaverint, plenam indulgentiam tribue; ut quod per incontinentiam inquinatur jejuniis, eleemosynis, ac præcipuè per inimicorum indulgentiam diluatur.

N. 5. Sed dicis, Uxorem excepto desiderio filiorum agnoscere, peccatum non est. In tantum peccatum est, ut Propheta pœnitens clamet, *In iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.* (*Psal.* L. 7.) Et sic in veteri testamento legimus, quando populus Judæorum accessurus erat ad Montem Sinaï, ex præcepto Domini dicebatur eis, *Sanctificamini et estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris* (*Exod.* XIX. 15.): et illud, *Si quis nocturno pollutus fuerit somnio, non manducet carnes sacrificii salutaris; ne pereat anima sua de populo.* (*Deut.* XXIII. 10. *etc.*) Si post pollutionem quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non licet, nisi priùs procedat compunctio et

I. Quæ sunt mutua inter se conjugatorum officia ?

R. Ea videri possunt in Epistolis beati Pauli Apostoli (B), eleemosyna, et si infirmitas non prohibet, etiam jejunium; Quis potest dicere illud, quod vigilantes et volentes facimus, non esse peccatum ?

N. 6. Sed dicis, Peccatum quidem est; sed tamen parvum est. Nec nos dicimus quia capitale peccatum est: sed tamen si frequentiùs exerceatur, et jejuniis vel eleemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit.... Cùm enim ad imaginem Dei facti simus, quoties aliquid turpe aut loquimur aut facimus, toties Dei imaginem sordidamus. Etiam videte, si hoc vos deceat aut oporteat. Verè dico vobis.... quia non hoc de nobis Deus meretur, ut in nobis imago ipsius per malas concupiscentias injuriam patiatur. Et cùm nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam convenire, nescio quâ conscientiâ cum anima, quæ per luxuriam sit inquinata, præsumit ad altare accedere: non timens illud quod Apostolus dixit, *Qui enim manducat corpus, et sumit sanguinem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini.* * (1. *Cor.* XI. 27.) Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere, plus debemus timere ipsam Eucharistiam in anima polluta suscipere. Et quia, ut dixi, in anima nostra facti sumus ad imaginem Dei; si in tabula aut lignea aut lapidea faceres imaginem tuam, et aliquis impudens homo vellet illam imaginem aut lapidibus frangere, aut aliquibus sordibus inquinare, velim scire si contra eum non moveretur animus tuus. Rogo te, si imaginem pictam in tabula mortua sic zelaveris, putas qualem injuriam patitur Deus quando in nobis imago sua per luxuriam sordidatur? Et ideò si nobis non parcimus propter nosmetipsos, parcamus nobis vel propter imaginem Dei ad quam facti sumus.

N. 7. Ante omnia ut quoties dies Dominicus aut aliæ festivitates veniunt, uxorem suam nullus agnoscat. Et quoties fluxum sanguinis mulieres patiuntur, similiter observandum est: propter quod ait Propheta: *Ad mulierem menstruatam non accesseris.* (*Ezech.* XVIII. 6.) Nam qui uxorem suam in profluviis positam agnoverit, aut in die Dominico, aut in alia qualibet solemnitate se continere noluerit; qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci nascentur. Et reverà, fratres, si animalia sine intellectu non se contingunt, nisi certo et legitimo tempore: quantò magis homines, qui ad imaginem Dei facti sunt, hoc observare deberent; sed quod pejus est, sunt aliqui ita luxuriosi vel ebriosi, qui aliquoties nec prægnantibus uxoribus parcunt. Et ideò si se non emendaverint, ipsi videant si non pejores animalibus judicandi sint. Istis talibus clamat Apostolus, dicens (1. *Thess.* IV. 4.), *Ut sciat unusquisque suum vas possidere, in honore et sanctificatione, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ spem non habent*: et quia sunt multi qui legitimam non custodiunt castitatem cum suis uxoribus,.... largas eleemosynas faciant, et omnibus inimicis suis indulgeant:.... Ut quod luxuria sordidum effecit, assiduis eleemosynis abluatur.

(B) 1. COR. VII. 1. *Et seq. Vide suprà hujusce Operis Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 7. *litt.* (D)

EPHES. V. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: 23. quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse salvator corporis ejus. 24. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. 25. Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.... 28. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. 29. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam: 30. quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. 31. Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam: et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne una. (*Gen.* II. 21. *Matth.* XIX. 5. *Marc.* X. 7.) 32. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. (1. *Cor.* VI. 16.) 33. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

COLOSS. III. 18. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. 19. Viri diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. (*Eph.* V. 22. 1. *Pet.* III. 1.)

in prima Petri Apostoli Epistola (C), in toto Tobiæ libro, et alibi in veteri Testamento. (D) Eò isthæc omnia spectant,

1. THESS. IV. 3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione (*Rom.* XII. 2. *Ephes.* V. 17.), 4. ut sciat unusquisque vestrùm vas suum possidere in sanctificatione, et honore: 5. non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum.

HEBR. XIII. 4. Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus: fornicatores enim, et adulteros judicabit Deus.

(C) 1. PETR. III. 1. Similiter et mulieres subditæ sint viris suis: ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, 2. Considerantes in timore castam conversationem vestram. 3. Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus (1. *Tim.* II. 9.): 4. sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritùs, qui est in conspectu Dei locuples. 5. sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ.

(D) TOB. III. 16. Tu scis Domine, quia nunquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. 17. Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. 18. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

IV. 13. Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione (1. *Thess.* IV. 3.), et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.

VI. 16. *et seq. Vide suprà hujusce Cap.* §. 5. *litt.* (M)

VIII. 8. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutorium Hevam. (*Gen.* II. 7.) 9. Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.

X. 12. Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire: 13. monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere.

PROVERB. XXXI. 10. *Vide infrà* §. *seq. litt.* (N)

ECCLE. IX. 9. Perfruere vitâ cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vita, et in labore tuo, quo laboras sub sole.

ECCLI. IX. 1. *Vide infrà litt.* (E) *hocce* §.

XXV. 1. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus: 2. Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier benè sibi consentientes.... 11. Beatus qui habitat cum muliere sensata, et qui linguâ suâ non est lapsus, et qui non servivit indignis se.... 17. Omnis plaga, tristitia cordis est: et omnis malitia, nequitia mulieris. 18. Et omnem plagam, et non plagam videbit cordis: 10. et omnem nequitiam, et non nequitiam mulieris.... 23. Et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. 24. Nequitia mulieris immutat faciem ejus: et obcæcat vultum suum tanquam ursus et quasi saccum ostendit. In medio proximorum ejus 25. ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum. 26. Brevis omnis malitia, super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam. 27. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. 28. Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie. 29. Mulieris ira, et irreverentia, et confusio magna. 30. Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo. 31. Cor humile, et facies tristis, et plaga cordis, mulier nequam. 32. Manus debiles, et genua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum. 33. A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. 34. Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum, nec mulieri nequam veniam pro-

ut mutuo sese conjuges amore prosequantur, mutuam sibi operam præstent, *portent alter alterius onera* (*Galat.* VI. 2.); *in pace in idipsum dormiant et requiescant* (*Psal.* IV. 9.), et concordi voluntate familiam regant. Caveant denique à vitiis conjugatorum, quibus solet et Deus offendi, et turbari familia, et sæpè conjugalis amor in odium converti.

I. Quænam isthæc vitia sunt?

R. Nimius amor, quo fit ut mutua vitia, mutuæ cupiditates foveantur; zelotypia, æmulatio, adulteria, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, impatientia, etc.

I. Quæ specialia virorum erga uxores officia?

R. Vir caput est uxoris: debet ergo eam diligere, tueri, fovere; debet illi exemplum vitæ Christianæ; debet indulgentiam et obsequium quantùm ratio et religio ferre potest; debet infirmitates sexûs debilioris sustinere; debet quantùm prudentia suggesserit res et negotia familiæ illi pandere. Debet tamen retinere semper auctoritatem in familiam, nec subesse uxori, cùm præesse et regere debeat. (E)

deundi. 35. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum. 36. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.

XXVI. 1. Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. 2. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. 3. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.... 8. Dolor cordis et luctus, mulier zelotypa. 9. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. 10. Sicut boum jugum, quod movetur, ita et mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. 11. Mulier ebriosa, ira magna: et contumelia, et turpitudo illius non tegetur. 12. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscetur. 13. In filia non avertente se, firma custodiam: ne inventâ occasione utatur se. 14. Ab omni irreverentia oculorum ejus cave, et ne mireris si tę neglexerit. 15. Sicut viator sitiens, ad fontem os aperiet, et ab omni aqua proxima bibet, et contra omnem palum sedebit, et contra omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat. 16. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. 17. Disciplina illius, datum Dei est. 18. Mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. 19. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. 20. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. 21. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domûs ejus. 22. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem. 23. Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. 24. Fundamenta æterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

XXXVI. 23. Omnem masculum excipiet mulier: et est filia melior filia. 24. Species mulieris exhilarat faciem viri sui, et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. 25. Si est lingua curationis, est et mitigationis et misericordiæ: non est vir illius secundùm filios hominum. 26. Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adjutorium secundùm illum est, et columna ut requies. 27. Ubi non est sepes, diripietur possessio: et ubi non est mulier, ingemiscit egens....

XL. 23. Amicus et sodalis in tempore convenientes, et super utrosque mulier cum viro.

(E) COLOSS. III. 18. Mulieres subditæ estote viris: sicut oportet in Domino. 19. Viri diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas.

EPHES. V. 25. Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.... 28. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.

S. AMBROSIUS. *Lib.* 5. *Hexameron, cap.* 7. *n.* 19. Vir depone tumoren

cordis', asperitatem morum, cùm tibi sedula uxor occurrit : propelle indignationem, cùm blanda conjux ad charitatem provocat. Non es dominus, sed maritus : non ancillam sortitus es, sed uxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexûs inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam.... Non potes duritiam mentis deponere ? Sed habes naturalem rigorem, debes temperare cum contemplatione conjugii, et reverentiâ conjunctionis deponere animi feritatem.... Nolite quærere viri alienum torum. Nolite insidiari alienæ copulæ. Grave est adulterium, et naturæ injuria.... Deus jussit ambos esse in uno corpore, et in uno spiritu vivere. Quid unum separas corpus, unum dividis spiritum ?

S. JOAN. CHRYSOST. *Hom.* 10. *in Epist. ad Coloss. circa initium*.... Virorum est diligere, obtemperare uxorum. Si ergo quisque quod se decet attulerit ac præstiterit, firma persistent omnia. Siquidem ex eo quòd diligatur, fit mulier amica et benevola : ex eo autem quòd sit subdita, vir fit mitis et clemens. Vide autem quòd hoc quoque naturâ sic sit comparatum, ut vir quidem diligat, mulier autem obediat. Nam quando is qui imperat, diligit eum qui paret, imperio tunc consistunt omnia.... Ne ergo quoniam subjecta est mulier, sis insolens ; neque tu, quoniam vir diligit, intumesce. Neque viri amicitia extollat mulierem, neque mulieris subjectio inflet virum.... Habe etiam vinculum quod est ex charitate, imbecilliorem enim tolerabilem reddet.

In Epist. Pauli ad Ephes. cap. v. *Serm.* 20. *Viri*, inquit, *diligite uxores vestras quemadmodum et Christus dilexit Ecclesiam*. Intellexisti obedientiæ mensuram ? Audi et mensuram dilectionis. Vis ut uxor tibi obediat, quemadmodum Ecclesia Christo ? Provide ipse quoque illi, quemadmodum Christus Ecclesiæ. Etsi animam pro ipsa dare oporteat ac millies trucidari, et quamcunque rem ferre et pati, ne detrectes. Nam etiam si ista passus fueris, tamen unquam tale feceris, quale Christus. Etenim tu quidem jam conjunctus cum illa facis, ille verò pro aversante et odiente. Quemadmodum igitur Christus aversantem se et odientem, et conspuentem ac lascivientem, multâ sollicitudine, nec minis, nec convitiis, nec metu, neque aliâ re ejusmodi sibi subjecit, ita et tu adhære uxori tuæ. Et si despicientem, lascivientem, et contemnentem te videris, tamen ipsam poteris sub pedes tuos redigere, si multâ fueris usus providentiâ, dilectione, et amicitiâ. Nihil enim violentius his vinculis, maximè viro et mulieri. Famulum quidem metu cogere ac sibi devincire quisquam poterit : imò ne illum quidem ; mox enim resiliendo aufugiet. Eam verò quæ vitæ tuæ est socia, quæ liberorum mater, quæ omnis lætitiæ materia, non timore et minis constringere ac devincire oportet, sed dilectione et cordis affectu. Quale est enim istud conjugium, quando uxor virum tremebunda exhorret ? Quâ verò vir ipse jucunditate fruetur, qui uxori non ut liberæ, sed velut famulæ cohabitat ? Itaque etiamsi quid uxoris gratiâ ferendum sit, ne doleas : nam neque Christus hoc fecit.... Quantum itaque quisque dilectionis habet erga se ipsum, tantum vult nos Apostolus et erga uxores nostras habere.... Verumtamen non propter ipsum solum ita dictum est. Sed *quid* ? Ut uxorem scilicet tanquam propriam carnem foveat, quemadmodum et Christus Ecclesiam ; uxor verò ut revereatur virum. Jam non ea duntaxat quæ dilectionis sunt ponit. Sed quid ? Ut revereatur virum. Alterum principatûs locum habet uxor : proindè neque ipsâ honoris æqualitatem appetat ; Est enim sub capite : neque ille tanquam subjectam contemnat ; Corpus namque est. Et si caput contempserit corpus, et ipsum simul peribit. Sed dilectionem inducat quæ obedientiæ ac subjectioni ex æquo respondeat, quale est, quando manus, pedes, et reliqua omnia membra capiti serviunt ; illud vicissim eorum curam ac providentiam agit, omnem sensum in se habens : nihil isto conjugio melius. Et quomodo potest esse dilectio, inquis, præsente timore ? Tum sanè potissimùm potest. Quæ enim timet virum, diligit etiam ; quæ diligit, timet ut caput, diligit ut membrum, quandoquidem et caput membrum est totius corporis. Propterea mulierem Deus subjecit, virum verò illi præfecit, ut pax sit.

Homil. 26. *in* 1. *ad Corinth.* Nullum sit hujusmodi peccatum, ut vobis afferat necessitatem verberandæ uxoris. Et quid dico uxoris ? Ne ancillam quidem verberare, et ei manus inferre, viro ingenuo fuerit toleran-

I. Quæ sunt uxorum officia in maritos ?

R. Uxores debent esse subjectæ viris suis, etiam discolis; debent eos colere et timere; iis obsequi, eos ad virtutis studium accendere, et exemplo, patientiâ, constanti Christianæ vitæ ratione et patientiâ eos Deo lucrari; nihil agere quod sit alicujus momenti inconsulto marito, non res familiæ distribuere, non largas eleemosynas erogare, non alienare quidquam. Quod tamen intellige de bonis communibus, non de paraphernis, si quæ sint. (F)

dum. Si autem viro servam verberare est probrum, multò magis in liberam manus intendere. Hoc autem etiam ex externis videris Legislatoribus, qui eam quæ talia est passa non ampliùs cogunt habitare cum eo qui verberavit; ut qui sit indignus qui cum ea habeat consuetudinem. Est enim extremæ iniquitatis vitæ sociam, et quæ in rebus necessariis et summè est tibi conjuncta, eam tanquam mancipium afficere contumeliâ et ignominiâ.... At est, inquis, mulier audax et insolens. Sed cogita mulierem esse vas imbecillum, te autem virum. Propterea enim factus es rector et princeps, et datus es instar capitis, ut feras ejus quæ à te regitur imbecillitatem. Effice ergo ut sit tui principatus et imperium splendidum.... Cogita quòd post Deum per ipsam habes liberos, et pater factus es: et ideò sis ei mitis et clemens.... Est mulier portus et maximum medicamentum tranquillitatis animi... Quando aliquid molestum domi evenerit, quòd ea peccarit, consolare nec auge dolorem.... Quamobrem ejus dilectio est omnibus pretiosior. Nam si oportet alterum alteriùs onera portare, multò magis uxoris: et si sit pauper ne exprobres; et si sit stulta, ne insultes: sed potiùs eam corrigas, et emendas: est enim membrum tuum, et facti estis una caro. Sed est garrula ac nugatrix, ebriosaque et iracúnda. Propterèà ergo dolere oportet, non irasci, et Deum rogare, et eam admonere, et ei consulere, et omnia facere ut vitium amputes. Si autem eam verberes, et conteras, morbus non curatur. Audaciâ enim solvitur lenitate, non aliâ audaciâ. Simul etiam cogita quæ à Deo præbetur merces.

Eccli. ix. 1. Non zeles mulierem sinûs tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. 2. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris. 3. Ne respicias mulierem multivolam: ne fortè incidas in laqueos illius.

1. Petr. iii. 7. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ.

(F) 1. Cor. xi. 3. Volo autem vos scire quòd omnis viri caput Christus est: (*Ephes.* v. 23.) caput autem mulieris, vir; (*Genes.* i. 26.) caput verò Christi, Deus... 7. Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. 8. Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro. (*Gen.* ii. 23.) 9. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum... 11. Verumtamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in Domino. 12. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem: omnia autem ex Deo.

Ephes. v. 22. Mulieres viris suis subditæ sunt, sicut Domino: 23. quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse salvator corporis ejus. 24. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.

Coloss. iii. 18. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.

Tit. ii. 4. (Anus) prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, 5. Prudentes, castas, sobrias, domûs curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.

1. Petr. iii. 1... Mulieres subditæ sint viris suis.

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 26. *in* 1. *ad Cor. cap.* xi. (*Mulieres*) *in habitu ornato cum verecundia et modestia ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro.* (*Tim.* ii. 9.) Si enim nudum caput habere non decet, sed semper circumferre signum subjectionis: multò magis hæc oportet ostendere

ipsis actionibus. Sic quidem certè et priscæ mulieres maritos suos vocabant Dominos, et primas eis concedebant... Da operam ut benevolo, et grato animo marito præbeas quod debes. Nam et quando cum marito tuo loquor, consulens ut te diligat, et tui curam gerat, non sino ut in medium afferat legem quæ lata est de muliere : sed ab eo exigo legem quæ de ipso est constituta. Et tu ergo de iissolis quæ ad te pertinent sis curiosa, et te præsta marito morigenam et ad regendum facilem : etenim si propter Deum pares marito, ne mihi proferas quæ ab ipso debent fieri, sed quibus legislator te fecit obnoxiam ea fac diligenter et accuratè. Hoc enim est maximè Deo parere, etiam contra patientem legem non transilire. Propterea enim qui amat amantem, nihil videtur magnum facere. Qui autem cum qui odit observat et colit, is est maximè qui coronatur. Eodem modo tu quoque reputa, quòd si gravem et importunum tuum maritum tuleris, præclaram accipies coronam. Sin autem mitem et mansuetum, cujusnam rei tibi dabit Deus mercedem ? Hæc autem dico, non jubens maritos esse sævos et asperos, sed suadens mulieribus, ut sævos et asperos ferant maritos. Quando enim studuerit unusquisque implere quæ sua sunt, statim sequentur etiam quæ sunt proximi : ut quando parata fuerit mulier, etiam acerbam et molestam uxorem contumeliâ non affecerit, tunc sunt omnia tranquilla et sita in portu libero à fluctibus.... Ne igitur viri virtutem exspectet mulier, ac tam demùm suam exhibeat... Sed uterque, ut dixi, suum præoccupet officium. Nam si externis dexteram percutientibus oportet alteram præbere maxillam : multò magis ferocientem maritum ferre oportet. Neque hoc dico ut verberetur mulier, absit. Hoc est enim extrema contumelia, non ei qui verberatur, sed ei qui verberat. Sed si casu aliquo tibi sors ejusmodi obtigerit, ut talem habeas conjugem, ne ægrè feras, quæ tibi pro eo est reposita cogitans mercedem.

Homil. 60. *in Joann. in moral.* Mulieres quàm viros sapientiores esse oportet, quæ curæ familiari, ut plurimùm incumbunt.. Vir enim in medio foro et judiciis tanquam quibusdam fluctibus versatur, mulier verò tanquam in quodam Philosophiæ gymnasio domi sedens, et mentem in se colligens, et orationibus, et lectionibus, et aliis bonis operibus vacare potest, et more eremos habitantium, qui se perturbet habet neminem, domi sedet, ubi semper potest in tranquillitate vivere. Si quando domo exeundum est, nullam etiam perturbationis habet materiam : sive enim hùc veniant, sive balneas petant, tunc necessariò egrediuntur, plurimum autem temporis domi degitur, et potest virtuti incumbere, et virum perturbatum lenire admonereque, superfluas ejus et molestiores cogitationes abscindere, et ita dimittere ut quascunque molestias è foro domum tulerit, deponat, et quæ domi bona didicerit, secum in forum afferat. Nihil enim potentius muliere bonâ et prudenti ad instituendum, et informandum virum quodcunque voluerit ; neque tam leniter amicos, neque magistros, neque principes patietur, ut conjugem admonentem, atque consulentem : habet enim voluptatem quamdam admonitio uxoris, cùm plurimùm amet cui consulit. Multos possum afferre viros asperos, et immites, per uxorem mites redditos, et mansuetos ; ipsa enim mensâ, lecto, filiorum communicatione, dicendis, tacendis, ingressu, exitu et aliis pluribus cum marito communicans, et ut corpus capiti conjuncta, si prudens erit et diligens, omnes vincet et conjugis superabit diligentiam..... Ut enim ad virtutem mulier, ita ad malitiam plurimùm potest. Mulier Absalon, mulier Ammon perdidit, ipsa Job perdere conata est : ipsa Nabal à cæde eripuit ; ipsa universam gentem liberavit. Et Debbora et Judith et aliæ multæ Imperatorum functæ sunt officiis. Ideò Paulus, inquit, *Qui enim scis mulier, an virum salvabis ?* (1. *Cor.* VII. 16.) Nec verbis tantùm, sed re informandus est conjux. Quomodo autem reipsà eum erudiemus ? Cùm te non malam viderit, non pretiosis indutam, non superflua expetentem, sed necessariis contentam viderit ; tùnc enim consulentem patietur. Quòd si verbis philosophaberis, re contra feceris, nugas tuas reprehendet : sed cùm verbis operum etiam doctrinam addideris, tunc monita tua accipiet, tunc persuasus erit. Ut exempli gratiâ, cùm aurum non quæres, neque margaritas, nec pretiosas vestes : sed pro his modestiam, benevolentiam,

et te indueris, et ab illo exiges. Nam si studendum est ut viro placeas, anima ornanda est, non corpus corrumpendum. Neque enim aurum adeò amabilem ac desiderabilem uxorem reddet, ut modestia et charitas et animus vitam exponendi pro marito. Hæc virum capiunt. Ille ornatus obstat ei, pecunias exponit, et sumptum et sollicitudinem præbet; hæc mariti animam uxori copulat. Amor enim, charitas, desiderium, nullam affert molestiam, nullam impensam. Sed è contrario et ille quidem ornatus usu deterior fit, hic in dies florentiorem animam reddit, et majorem excitat charitatem. Quamobrem si viro placere vis, ornato animam pudicitiâ, pietate, rei familiaris curâ. Hæc, inquam, confirmant amorem, qui nunquam cessat, neque senectus hunc tollit ornatum, non morbus; corporis autem et hæc et alia plura auferunt. Nam animæ bona præstantiora sunt quàm corporis.

In Epist. Pauli ad Ephes. cap. v. *Homil.* 20. Uxores propriis viris subditæ sitis, veluti Domino. (*Ephes.* v. 22.) Qua ratione? Quoniam si vir et uxor concordes fuerint, et liberi benè educantur, et domestici probè instituuntur, et vicini ex eo pariter et amici et cognati, quasi boni odoris fragrantiâ fruuntur. Si verò contrarium fuerit, omnia subversa sunt et confusa. Et quemadmodum militibus inter se benè pacatis omnia prosperè succedunt, et vicissim turbatis illis omnia sursùm ac deorsùm volvuntur; ita sanè et hic: Uxores, inquit, propriis viris subditæ sitis veluti Domino. Papæ! Quomodo ergo alibi dicit Christus: Nisi quis renuntiaverit, et uxori vir et uxor viro, non poterit me sequi. (*Luc.* xiv. 26.) Si enim veluti Domino subdi oportet propter Christum, utique vehementer opus est ut non deseratur. Sed illud, Veluti, non omninò ejusdem valoris ubique est: aut certè hoc dicit, veluti quæ sciatis vos Domino servire. Id et quod alio quodam loco dicit: Quoniam, inquit, et si non propter virum, sed præcipuè propter Dominum, quando viro subderis, veluti Domino servis. Si enim Dei ordinationi resistit, qui principatibus illis externis, politicis vi scilicet, repugnat, multò magis quæ viro non subditur. Ita ab initio voluit Deus. Admonemur itaque, virum positum esse in locum ac dignitatem capitis, mulierem verò in locum corporis. Deindè et à rationibus. *Quoniam vir caput est*, inquit, *uxoris*, *quemadmodum et Christus Ecclesiæ, et ipse est qui corpus salvat. Verùm ut Ecclesia subdita est Domino, ita et uxores propriis viris in quacunque re.* (*Ephes.* v. 23. 24.) Deindè, inquit, vir est caput uxoris, quemadmodum Christus Ecclesiæ. Et ipse est, qui corpus salvat, caput enim salus est corporis. Præstruxit jam viro et uxori dilectionis causam, et providentiam, unicuique competentem distribuens locum, huic quidem principatûs et providentiæ, illi verò subjectionis. Quemadmodum igitur Ecclesia subdita est Christo (Quid est Ecclesia? Viri et Mulieres:) ita et uxores viris suis, tanquam Deo.

Homil. 4. *in Epist. ad Titum. cap.* ii. Cæterùm mulieri domi tantùm exhortationis permittit verbum, nunquam tamen præsidere concedit, nec prolixum omninò sermonem intendere. Idcircò subjungit, *neque præesse viro.... Amare viros* præcipuum illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentiens sit. Nam ubi hoc fit, nihil triste contingere poterit. Quo pacto enim cùm caput corpori connexum conjunctumque sit ulla ibi seditio, ulla dissensio possit exoriri? Necessariò profectò reliqua omnia in pace sunt.... Quemadmodum è contra his invicem dissentientibus, nihil salubre esse poterit, totaque simul nutabit familia. Nihil igitur hac re majus, nihil magis necessarium: verùm præstat id et pecuniis et ingenuitati atque potentiæ et cæteris omnibus longè utilissimum est. Neque enim ait simpliciter in pace esse: sed *amare viros.... pudicas esse, castas, domûs curam gerentes, benignas.* (*Tit.* ii. 4. *et* 5.) Hinc omnia proveniunt bona: etenim benignæ et curatrices domûs, ex charitate et amore viri facillimè fiunt. *Subjectas propriis viris, ne verbum Dei blasphemetur.* Nempè enim quæ virum contemnit, etiam rei domesticæ negligens erit; ex ea autem dilectione viri etiam pudicitia nascitur. Ex ea charitate omnis contentio tollitur.... Uxor enim quæ domûs curam habet, pudica quoque sit necesse est, hujusmodi dispensationi et curæ inserviens, nunquam vel circa delicias, vel circa intempestivos improbosque processus, aut aliud ali-

quid hujuscemodi se occupabit.... Audiant mulieres quæque quæ malis aut infidelibus conjunctæ sunt viris, audiant atque discant moribus probis ac virtutis operibus eos ad Dei cultum, religionemque adducere.

S. AUGUST. *Epist.* 262. *aliàs* 190. *ad Ecdiciam*, *n.* 1.... Vehementer doleo, sic te agere cum marito, ut ædificium continentiæ, quod in eo jam construi cœperat, amissâ perseverantiâ in adulterii ruinam miserabiliter laberetur. Cùm enim lugendus esset, si post continentiam votam Deo, jamque actu ipso moribusque susceptam, reverteretur ad conjugis carnem: quantò magis nunc demersus in interitum profundiorem lugendus est, qui tam abruptâ dissolutione mœchatur, iratus tibi, perniciosus sibi, tanquam in te acerbiùs sæviat, si ipse pereat? Hoc autem tantum mali accidit, dum tu ejus animum non quâ debuisti moderatione tractasti: quia et si carnali consortio jam ex consensu vobis non miscebamini, in cæteris tamen rebus conjugali obsequio, viro tuo mulier servire debuisti; præsertim cùm ambo essetis membra corporis Christi. Et utique si maritum infidelem fidelis habuisses, agere te conversatione subditâ oportuit, ut cum Domino lucrareris, sicut Apostoli monuerunt. (1. *Cor.* VII. 14. 1. *Petr.* III. 1.)

N. 2. Omitto enim quòd ipsam continentiam, illo nondum volente, non secundùm sanam doctrinam te suscepisse cognovi. Neque enim corporis tui debito fraudandus fuit, priusquam ad illud bonum, quod superat pudicitiam conjugalem, tuæ voluntati voluntas quoque ejus accederet: nisi fortè non legeras nec audieras, vel non attenderas Apostolum dicentem (1. *Cor.* VII. 1. *et seq.*), *Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationes autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autem et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier; nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterùm ad idipsum estote, ne vos tentet satanas propter intemperantiam vestram.* Secundùm hæc verba Apostolica, etiam si se ipse continere voluisset, et tu noluisses, debitum tibi reddere cogeretur, et illi Deus imputaret continentiam, si non suæ, sed tuæ cedens infirmitati, ne in adulterii damnabile flagitium caderes, maritalem tibi concubitum non negaret; quantò magis te, quam magis subjectam esse decuerat, ne ipse quoque in adulterium diabolicâ tentatione traheretur, in reddendo hujusmodi debito voluntati ejus obtemperare convenerat, cùm tibi voluntatem continendi acceptaret Deus, quia propterea non faceres, ne periret maritus?

N. 3. Sed hoc.... omitto, quoniam posteà tibi nolenti sibi ad reddenda conjugalia debita consentire, ad eadem continentiæ pacta ipse consensit, et tecum continentissimè diù vixit, suoque consensu à peccato illo, quo ei debitum carnis negabas, ipse te absolvit. Non ergo jam in tua causa ista vertitur quæstio, utrum redire debeas ad concubitum viri. Quod enim Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis: à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissimè persevera. Quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat. Nam si nunquam tenuisses ejus assensum, numerus te nullus defendisset annorum, sed post quantumlibet tempus me consuluisses, nihil tibi aliud responderem, nisi quod ait Apostolus (1. *Cor.* VII. 4.) *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir:* de qua potestate sic tibi jam permiserat continentiam, ut eam tecum ipse susciperet.

N. 4. Sed illud est quod minùs te observasse contristor, quia tantò humiliùs et obedientiùs ei obsequi in domestica conversatione debuisti, quantò ille religiosiùs tibi rem tam magnam etiam imitando concesserat. Non enim quia pariter temperabatis à commixtione carnali, ideò tuus maritus esse destiterat; immò verò tantò sanctiùs inter vos conjuges manebatis, quantò sanctiora concorditer placita servabatis. Nihil ergo de tua veste, nihil de tuo auro vel argento vel quacunque pecunia, aut rebus ullis terrenis tuis sine arbitrio ejus facere debuisti, ne scandalizares hominem, qui Deo tecum majora voverat, et ab eo quod de tua carne licitâ potestate posset exigere, continenter abstinuerat.

N. 5. Denique factum est ut vinculum continentiæ, quo se dilectus ille innexuerat, contemptus abrumperet, et iratus tibi non parceret sibi.

Sicut enim mihi retulit perlator Epistolæ tuæ, cùm cognovisset quòd omnia vel penè omnia, quæ habebas, nescio quibus duobus transeuntibus Monachis tanquam pauperibus eroganda donaveris; tunc ille detestans eos tecum, et non Dei servos, sed domûs alienæ penetratores et tuos captivatores et deprædatores putans, tam sanctam sarcinam, quam tecum subierat, indignatus abjecit. Infirmus enim erat, et ideò tibi, quæ in communi proposito fortior videbaris, non erat præsumptione turbandus, sed dilectione portandus: quia etiamsi ad ipsas eleemosynas largiùs faciendas fortè pigriùs movebatur, posset et ista condiscere, si tuis inopinatis non fieret expensis, sed exspectatis invitaretur obsequiis; ut etiam hoc quod temerè sola fecisti, multò consultiùs dilectione concordi, multoque ordinatiùs et honestiùs ambo faceretis; nec blasphemarentur servi Dei, si tamen hoc fuerunt, qui marito absente atque nesciente, ab ignota muliere et ab aliena uxore tanta sumpserunt; et laudaretur Deus in operibus vestris, quorum esset tam fida societas, ut à vobis communiter teneretur, non solùm summa castitas, verùm etiam gloriosa paupertas.

N. 7. Neque hoc ita dicimus, ut si quisquam scandalizatus fuerit de bonis operibus nostris, ab eis desistendum putemus; sed alia causa est alienarum, alia necessariarum in societate aliqua personarum, alia fidelis, alia infidelis; alia parentum erga filios, alia filiorum erga parentes: alia postremò ea, quæ in his rebus vel maximè intuenda est viri et uxoris, ubi mulierem conjugatam non licet dicere. Facio quod volo de meo: cùm et ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est, viri sui. Nam sic quædam ut commemorat Apostolus Petrus (1. *Petr.* III. 5. *et* 6.); *mulieres sanctæ quæ in Deum sperabant, subjectæ suis viris, sicut Sara obsequebatur Abrahæ dominum eum vocans, cujus*, inquit, *factæ estis filiæ*, cùm ad Christianas non ad Judæas feminas loqueretur.

N. 8. Quamvis enim ad meliora excitandi et erudiendi sint filii Sanctorum, *unusquisque tamen proprium donum habet à Deo: alius sic, alius autem sic...* (1. *Cor.* VII. 7.) Pariter ergo consilium de omnibus haberetis, pariter moderaremini quid thesaurizandum esset in cœlo, quid ad vitæ hujus sufficientiam vobis et vestris vestroque filio relinquendum, ne aliis esset refectio, vobis autem angustia: et in his disponendis atque faciendis, si quid tibi fortè melius videretur, suggereres viro reverenter, ejusdemque auctoritatem tanquam tui capitis sequereris obedienter; ut omnes qui sanum sapiunt, ad quos posset hoc bonum vestrum fama perferre, de domûs vestræ fructu in pace gauderent, et adversarius revereretur nihil habens de vobis dicere pravi.

N. 9. Porrò si de faciendis eleemosynis et in pauperes impendendis rebus tuis, de quo bono opere et magno tam evidentia præcepta sunt Domini, cum viro tuo fideli et tecum sancta continentiæ pacta servante consilium communicare deberes, ejusdemque non spernere voluntatem; quantò magis de habitu atque vestitu nihil tibi præter ejus arbitrium mutandum vel usurpandum fuit, undè nihil divinitùs legimus imperatum? Scriptum est quidem (1. *Tim.* II. 9.), mulieres esse debere in habitu ornato, aurique circumpositio, et intorsio crinium, et cætera hujusmodi quæ ad inanem pompam vel ad illecebram formæ adhiberi solent, meritò reprehensa sunt. Sed est quidem pro modulo personæ habitus matronalis à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis salvâ religionis observantiâ convenire. Hunc te maritus si deponere noluit, ne te velut viduam illo vivente jactares, puto quia non fuerat in hac re usque ad dissensionis scandalum perducendus, magis inobedientiæ malo, quàm ullius abstinentiæ bono. Quid enim est absurdius, quàm mulierem de humili veste viro superbire, cui te potiùs expediret obtemperare candidis moribus, quàm nigellis vestibus repugnare? Quia etsi te indumentum Monachæ delectabat, etiam hoc gratiùs posset marito observato exoratoque sumi, quàm illo inconsulto contemploque præsumi. Quòd si omninò non sineret, quid tuo proposito deperiret? Absit ut hinc displiceres Deo, quòd conjuge tuo nondum defuncto, non indueremis sicut Anna, sed sicut Susanna.

N. 10. Neque enim et ille, qui tecum jam cœperat tam magnum continentiæ bonum, etiamsi conjugale non viduale voluisset ut acciperes indumentum, ad indecentem quoque te compulisset ornatum: quo et

aliquâ durâ conditione cogereris, posses habere in superbo cultu cor humile. Nempè apud Patres, Esther illa Regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito Regi alienigenæ non eumdem secum colenti Deum, tamen subjecta serviebat; quæ cùm in extremo periculo, non suo tantùm, sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstrualem (*Esther.* XIV. 16.); et ita orantem confestim exaudivit, qui cordis inspector eam verum dicere scivit. Et utique maritum habebat multarum mulierum virum, et Deorum alienorum falsorumque cultorem. Tu autem si et ille in proposito, quod tecum susceperat, perduraret, nec à te offensus in flagitium corruisset, maritum habebas non solùm fidelem, et verum Deum tecum colentem, sed etiam continentem, qui proculdubio propositi vestri non immemor, et si ad conjugalia te cogeret indumenta, ad superba tamen indumenta non cogeret.

N. 11. Indue itaque humilitatem mentis, et ut te Deus conservet perseverantem, noli maritum contemnere pereuntem. Funde pro illo pias et assiduas orationes, sacrifica lacrymas tanquam vulnerali sanguinem cordis. Et scribe ad eum satisfactionem, petens veniam, quia in eum peccasti, quòd præter ejus consilium et voluntatem de rebus tuis fecisti, quod faciendum putasti, non ut te pœniteat tribuisse pauperibus, sed eum tui boni operis participem et moderatorem habere noluisse. Promitte de cætero in adjutorio Domini, si et illum suæ turpitudinis pœnituerit, et continentiam quam deseruit repetiverit, te illi, sicut decet, in omnibus serviturum, *ne forte*, ut ait Apostolus, *det illi Deus pœnitentiam, et resipiscat de diaboli laqueis, à quo captivus tenetur secundùm ipsius voluntatem.* (2. *Tim.* II. 26.)

Confess. lib. 9. *cap.* 9. *n.* 19. Educata itaque pudicè ac sobriè (Monica,) potiusque à te subdita parentibus, quàm à parentibus tibi, ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro servivit veluti Domino, et sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, et reverenter amabilem atque mirabilem viro. Ita autem toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet unquam simultatem. Exspectabat enim misericordiam tuam super eum, ut in te credens castificaretur. Erat verò ille præterea sicut benevolentiâ præcipuus, ita irâ fervidus. Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Jam verò refracto et quieto, cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè ille inconsideratiùs commotus fuerat. Denique cùm matronæ multæ quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia, etiam dehonestatâ facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam, veluti per jocum graviter admonens, ex quo illas tabulas quæ Matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta, quibus ancillæ factæ essent, deputare debuisse; proindè memores conditionis, superbire adversùs dominos non oportere. Cumque mirarentur illæ, scientes quàm ferocem conjugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quòd Patricius cecidерit uxorem, aut quòd à se invicem vel unum diem domesticâ lite dissenserint, et causam familiariter quærerent, docebat illa institutum suum, quod suprà memoravi. Quæ observabant, expertæ gratulabantur; quæ non observabant, subjectæ vexabantur.

S. Basil. *Homil.* 7. *in Hexameron. Edit. Paris. in fol. an.* 1638. *pag.* 81.... Vos, ô viri, conjuges vestras diligite, et si locis longinquis semoti in conjugii societatem convenistis, naturæ vinculum legibus, ac benedictione obstrictum unio ac jugum distantium esto.... Sive asper est cujuspiam conjux, sive ferus moribus, perferat illum uxor necesse est: nec ullam prorsùs ob causam societatem vinculumque dissolvere patiatur. Feritne, verberat, estque percussor? At vir tamen est tuus. Tumulentusne? At tibi est naturâ conjunctus. Durusne, morosus, et implacidus? At membrum jam tuum est, et membrorum præstabilissimum.

S. Thom. 1. *part. Quæst.* 92. *art.* 1. *ad secundum.* Dicendum quòd duplex est subjectio: una servilis, secundùm quam præsidens utitur subjecto ad sui ipsius utilitatem; Et talis subjectio introducta est post peccatum. Est

I. Quis debet esse ornatus mulierum ?

R. Mulieres sint, inquit Apostolus (1. *Tim.* II. 9. *et* 10.), *in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ : sed quod decet mulieres promittentes pietatem per bona opera.*

His similia habet Petrus Apostolus : *Mulierum*, inquit, *non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus : sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuplex.* (1. *Petr.* III. 3. *et* 4.)

Ex his Apostolorum verbis constat fugiendam esse mulieribus in exteriori cultu vanitatem, magnificentiam sumptuosam, abstinendum à fuco et variis pigmentis quæ solent ad lasciviam adhiberi. (G)

alia subjectio œconomica, vel civilis, secundùm quam præsidens utitur subjectis ad eorum utilitatem et bonum : Et ista subjectio fuisset etiam ante peccatum : Defuisset enim bonum ordinis in humana multitudine, si quidam per alios sapientiores gubernati non fuissent : Et sic, ex tali subjectione naturaliter femina subjecta est viro ; quia naturaliter in homine magis abundat discretio rationis : nec inæqualitas hominum excluditur per innocentiæ statum.

2. 2. *Quæst.* 32. *art.* 8. *in conclus.* Respondeo dicendum quòd ille qui est sub potestate alterius constitutus, in quantum hujusmodi, secundùm superioris potestatem regulari debet : Hic est enim ordo naturalis, ut inferiora secundùm superiora regulentur : Et ideò oportet quòd ea in quibus inferior superiori subjicitur, dispenset non aliter quàm ei sit à superiore permissum. Sic ergo, ille qui est sub potestate constitutus, de re secundùm quam superiori subjicitur, eleemosynam facere non debet, nisi quatenùs ei à superiori fuerit commissum. Si quis verò habeat aliquid secundùm quòd potestati superioris non subsit, jam secundùm hoc non est potestati subjectus, quantùm ad hoc proprii juris existens : Et de hoc potest eleemosynam facere.

Ad secundum, dicendum quòd uxor si habet alias res præter dotem, quæ ordinatur ad sustentanda onera Matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocunque alio licito modo, potest dare eleemosynas etiam irrequisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur : aliàs autem non debet dare eleemosynas sine consensu viri, vel expresso vel præsumpto ; nisi in articulo necessitatis, sicut de Monacho dictum est : Quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu Matrimonii, tamen in his quæ ad dispositionem domûs pertinent, *vir caput est mulieris*, secundùm Apostolum 1. ad Cor. II. 3.

(G) 1. Tim. II. 9. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia, et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa : 10. sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

1. Petr. III. 2. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (C)

S. Clemens Alexand. *Lib.* 2. *Pædagog. c.* 10. Ergo nec sumptuosa vestis est assumenda, sicut nec cibus varius.... *Quærite* enim, inquit, *regnum Dei, et quæ ad alimentum pertinent adjicientur vobis.* * (*Matth.* VI. 33.) Si ergo de veste et deliciis rebusque supervacaneis tanquam non necessariam omninò curam tollit, quid censendum est eum dicere de nimio ornatûs studio, de tinctura lanarum, varietate colorum, superflua cura gemmarum, auri elaboratione, capillis artificiosis et intortis crinibus ? Quid de fucata oculorum pictura, quid de vulsionibus, purpurissi ac cerussæ fucationibus, tinctisque pilorum coloribus, improbisque hujusmodi artificiorum fraudibus ? Laudo ergo et admiror veterem Lacedæmoniorum civitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes et aurum

mundum gestare permisit, à probis mulieribus mundi studium auferens, quòd solis meretricibus se ornare concederet.... Ii ergo qui pulchri simulacrum, nimium scilicet ornatûs studium, non autem ipsum pulchrum et honestum attendunt, speciosо nomine simulacrorum cultum rursùs inducentes, à veritate longè sunt relegandi, cùm opinione non scientiâ, pulchri naturam somnient: et est vita quæ ab eis hîc agitur, profundus somnus ignorantiæ. An non oportet nos excitatos, ad id quod verè pulchrum est et ornatum contendere? et id solum assequi desiderare, reliuquentes quæ hîc sunt mundana, ipso mundo, hoc est, vero ornatu gaudentes, priusquam perfectè obdormiamus? Dico ergo hominem non alia de causa opus habere vestimentis, quàm ut tegatur corpus, ad maxima frigora et vehementes æstus propulsandos, ne nos lædat ambientis aëris immoderatio. Quòd si hîc est vestis scopus, vide ne non alia quidem viris, alia verò feminis vestis tribuenda sit: legi enim utrisque commune est, quemadmodum comedere et bibere. Cùm usus itaque sit communis, constructionem similem comprobamus. Quemadmodum enim utrisque commune est ut egeant iis quæ tegunt, ita à quibus tegendi sunt esse oportet similia, etsi oporteat hujusmodi tegumentum assumere, quo sunt feminarum celandi oculi. Etsi enim femina propter imbecillitatem longè plura concupiscat, id malæ educationis consuetudini tribuendum est, per quam sæpenumerò viri in malis vitæ institutis educati, evaserunt mulieribus magis effeminati: non est igitur eis hac in re cedendum. Quòd si se eis aliquantulum accommodare oporteat, vestibus quidem paulò mollioribus eis uti concedendum est, dummodò nimis subtiliter per summam stultitiam laborata opera, curiosæque in texturis plicaturæ, longissimè amandentur: auri fila, et indicas seres et operosos bombyces valere jubentibus.... Superflua enim hæc et perspicua, mentem minimè constantem arguunt, quæ exigui ex passione veli, tanquam quodam lenocinio, probrum corporis illiciunt. Non est enim amplius tegumentum mollis ac delicata vestis, quæ nudam figuram non potest occulere: ejusmodi enim vestis in corpus incidens, mollius ipsi corpori imprimitur, et applicatur, figuræ carnis instar, adhærens: et mulieris typum ita exprimit, ut vel non videnti manifesta sit tota constitutio corporis. Rejiciendæ quoque sunt vestimenti tincturæ: ipsæ enim et ab usu et à varietate longè remotæ sunt, præterquam quòd ex eis morum oritur reprehensio: neque enim est earum usus utilis: nam nec ad frigus propulsandum est paratus, neque ad tegumentum habet aliquid amplius quam alia vestis, nisi solum vituperium. Coloris autem delectans suavitas male habet avidos, eos ad stultam impellens lippitudinem, atque eos quidem qui sunt candidi, et non intùs adulterini, candidis et minimè curiosis ac operosis vestibus uti convenientissimum.... Apertè itaque suadet pædagogus, * (*Eccli.* XI. 4.) *In amictu vestis ne glorieris, neque in omni gloria quæ est præter leges efferaris.* Eos certè irridens qui mollibus vestibus induti sunt, dicit in Evangelio, * (*Matth.* X. 8.) *Ecce qui in vestitu glorioso et deliciis degunt, sunt in terrenis regiis.* Regias dicit terrenas, mortales ac corruptibiles, ubi est vana honesti opinio, inanis gloriæ ambitio, error et adulatio. Qui aulam autem cœlestem observant quæ est circa omnium Regem, incorruptibilem animæ vestem, nempè carnem sanctificant, per eam induunt incorruptibilem. Quemadmodum ergo quæ non nubit, soli Deo dat operam, et ejus cura non dividitur * (1. *Cor.* VII. 32.): pudica autem quæ nupsit, vitam cum Deo et cum marito dividit: quæ autem aliter fertur, tota conjugii, hoc est, vitii efficitur: eodem modo pudica mulier, ut ego quidem sentio, quæ marito dat operam, pia est et religiosa citra ullam fictionem: quæ autem immoderato ornatûs studio tenetur, et à Deo et à pudico conjugio excedit, ut quæ maritum ornamento permutet.... Est autem maximè ineptum et indecorum pepla xystides, ephaptides, lænasque ac tunicas stupere et admirari, et quæ, ut ait Homerus, velant circumquaque pudorem. Pudet me, ut verè dicam, cùm videam tantum opum effundi ad tegenda pudenda. Vetus enim homo qui erat in paradiso, ramis et foliis tegumentum dimetiebatur pudoris (*Gen.* III. 7.): nunc autem cùm nobis oves factæ sint, ne similiter ac oves

simus insipientes. A ratione autem seu Verbo instituti : sumptuosas vestes redarguamus, dicentes, Estis pili ovium.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 10. *in Epist. ad Coloss. paulò post initium.* Si Christo induaris, ipsi te formidabunt Dæmones : sin autem auro, etiam homines irridebunt. Si Christo induaris, etiam te reverebuntur homines. Vis videri pulchra et decora ? Tibi sufficiat formatio Creatoris. Quid aurea inducis ornamenta, tanquam id quod Deus, effinxit correctura ? Vis videri decora ? Induere eleemosynâ, induere benignitate, induere modestiâ, et temperantiâ, et à te absit fastus. Hæc omnia sunt auro pretiosiora. Hæc omnia speciosam reddunt magis decoram. Hæc etiam non formosam efficiunt formosam.... Quando te impensè ornaris, ô mulier, tunc nudâ facta es turpior, exuisti enim modestiam.

Lib. de Virg. cap. 7. Vilis est amictus : at non in vestibus aut colore, sed in animo atque corpore virginitas est. Nam cùm nec Philosophum comâ, baculo, aut abollâ, sed moribus et animo metiamur : nec militem paludamento, aut balteo, sed robore et magnanimitate : an non absurdum sit virgini, rei tam præclaræ, et quæ humana omnia superet, capilli squalorem, vultûs demissionem, ac pullam vestem, temerè sanè ac supinè, ipsissimæ virtuti ducere, nec ejus animo denudato, indè studia ejus accuratè explorare ? At non id permittit, qui luctæ hujus leges sanxit : neque enim qui in hoc certamen se conjiciunt, vestitu, sed dogmatibus et animo spectari jubet. *Qui enim certat*, inquit, *ab omnibus se continet*, * (1. *Cor.* IX. 25.) scilicet quæ animi sanitatem infestent. Et, *nemo coronatur, nisi legitimè certaverit.* (2. *Tim.* II. 5.) Quæ sunt igitur luctæ hujus leges ? Audi eumdem dicentem, vel potiùs in eo Christum certaminis auctorem, *Honorabile est matrimonium, et torus immaculatus.* * (*Hebr.* XIII. 4.)

Epist. 2. Panca nimirùm de vestitu tuo atque indumentis, quibus corpus tuum neglectim ac temerè amictum est, verba faciens. Quanquam enim hæc virtus aliis cedere videtur, tamen si quis eam accuratè perpenderit, admodum ingentem eam esse reperiet, atque ejusmodi, quæ sapiente animo, ac humana superante, et ad ipsum usque cœlum volitante opus habeat. Ac propterea non in novo duntaxat, sed etiam in veteri Testamento, cùm per umbram ac figuram Deus hominum genus, atque ea, quæ ad vivendi rationem pertinebant, crassiùs quodammodo moderabatur, nec de cœlestibus rebus verbum ullum adhuc fiebat, nec de futuris ulla mentio, nec philosophiæ hujus, quæ nunc viget, nota ulla et tacita significatio erat ; verùm pinguiore quodam et crassiore modo leges Hebræis scribebantur, elegantioris vestitûs studium vehementissimè interdicens, per Prophetam ad hunc modum loquebatur : *Pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum et progressum pedum tunicas trahebant, et pedibus suis simul ludebant, et humiliabit Deus dominatrices filias Sion, et denudabit habitum earum, et auferet gloriam vestimenti earum. Et erit tibi pro suavi odore pulvis, et pro zona funiculo cingeris, et pro ornamento capitis tui calvitium habebis propter opera tua ; et pro tunica clavatæ purpuræ sacco cingeris.* * (*Isai.* III. 16. et *seq.*) Hæc tibi ornamenti loco erunt. Vides iracundiam, omnem sermonis vim superantem ? Vides acerbissimum supplicium et cruciatum ? Vides acerrimam atque captivitati non dissimilem animadversionem ? Hinc peccati magnitudinem conjicias licet. Neque enim benignus ac facilis Deus tam gravem et acerbam pœnam unquam inflixisset, nisi peccatum, quod eam accerseret, longè gravius et atrocius esset. Quòd si magnum hoc scelus est, quin virtus ea, quæ ipsi opponitur maxima sit, minimæ profectò dubium atque obscurum est. Ac proindè Paulus quoque (1. *Tim.* II. 9.), cùm ad mulieres, eas quæ mundanam vitam complexæ sunt, orationem haberet, non modò ab auro gestando eas adduxit, sed ne sumptuosis quidem et exquisitis vestibus utendi potestatem ipsis facit. Norat enim, perspicuè inquam norat, gravem hunc, ac profligatu perdifficilem animi morbum esse, corruptæque mentis apertissimum indicem, quique perquàm sapienti animo ac sententiâ opus haberet.

In Epist. Paul. ad Timoth. 1. *cap.* II. *v.* 9. *Homil.* 8. *Cum verecundia*, inquit, *et pudicitia in habitu ornato seipsas ornare, non in tortis crinibus*,

aut auro, aut margaritis : sed quod decet mulieres pollicentes pietatem per bona opera. Habitum profectò tunicam undique honestam, compositam significare voluit. Ornatum non exquisitum intelligas, sed moderatum. Hic enim ornatus habitus est, ille autem etiam fœdus.

In morali. Quid dicis? Deum precatura pergis, et ornamenta aurea circumfers, flavosque crines, et ipsos auro compositos? An verò saltatura ad Ecclesiam pergis? Nunquid hîc nuptias, et lasciviæ oblectamenta conquiris? Num ut tui spectaculum præbeas advenisti? Num tibi nunc instruendus est thalamus? Illic nempè monilia, illic ornamenta aurea, illic ornatus crinium, illic pretiosa vestis locum aliquando fortassis habeat. At verò nunc nullo tibi hujusmodi ornatu atque apparatu opus est.... *Cum verecundia*, inquit, *et pudicitia.* Noli igitur eas imitari, quæ meretricio feruntur incessu. Namque illæ per exteriorem cultum atque habitum, plurimos post se trahunt amatorum greges, atque hinc plurimæ pessimâ sæpiùs suspicione non carent : nihilque prorsùs ejusmodi lucrantur ornatu, imo et plurimis ex ea opinione nocuerunt.... Quocirca et Paulo ingens cura est, hujusmodi superfluum ornatum ad honestiorem modum componendi, ac tuendo pudori plurimùm studii impendit. Quòd si ea quæ opum tantum indicia sunt, tanto studio circumcidit, aurum scilicet, margaritas, et vestimenta pretiosa : quantò magis ea quæ immodico studio et arte quæruntur, cujusmodi sunt purpurisso vultus inficere, et stibio oculos pingere, fracto incedere gressu, vocem formare molliorem, lascivum obtutum, et qui libidinis jaculetur incendia, superfluam pallii ac tunicæ jactationem, cingulum exquisitâ arte studioque confectum, stridentes soccos, et cætera irritamenta lasciviæ? Hæc enim omnia uno verbo signavit cùm diceret, *in habitu ornato, et cum verecundia ornare se.* Ista quippè et à verecundia remotissima sunt, et plena dedecoris turpitudinisque censentur. Sed quæso feratis æquanimiter. Nam idcircò ista apertâ ac liberiori voce deprompsimus, non ut feriant, neque ut mœrore conficiant : verùm ut quod alienum est, à nostro grege omne simul amputetur. Enim verò si his quæ sub viro sunt, quæ in deliciis vivunt, quæ divitiis circumfluunt, interdicit : quantò magis eis, quæ virginitatem professæ sunt? Et quænam, inquies, virgo monilia aurea torquemque crinem circumfert? Atqui tanta est reliqui habitûs cura, tamque exquisita diligentia, ut omnem illum aureum cultum facilè transcendere videatur. Licet enim etiam vilibus pannis, ejusce compositionis opinione notari, nec minùs quàm si aureas amicirelur vestes. Ubi enim pulla tunica fuerit, et pectori cingulo diligenter adstricta, ad earum instar, quæ in scena saltant, ut neque nimium turgens in latum excedat, neque tenue, adstrictumque immodicè contrahatur, verùm servato medio inter utrumque modo, rugas circa pectus intendant pariles, quam sericæ vestis illecebram hac arte non superet? Quid autem cùm calceus ipse pullæ vesti subjectus, majorem sui decorem cernentibus præfert, atque ad imitationem antiquæ picturæ in acumen venustiùs desinat? Quid item cum faciem fucis quidem ornare non pergis, sed eam nimio studio diligentiaque circumluis, atque supernè à fronte velum facie candidius suspendis, ac demùm pallium imponis, ut sub nigro colore decentior videatur, et gratior? Quid item oculorum illos innumeros jactus? Quid item de collo, quod nunc quidem operitur, nunc autem de industria denudatur? Quid item de strophio, quod mamillis constringendis apponitur? et hoc enim sæpenumerò nudant, ut cingendi magis appareat diligentia, dum pallium omne circa caput agitur. Manus autem quemadmodum tragœdi, ita accuratè manicis induunt, ut naturaliter ita effictæ videantur. Quid memorem tractam humi tunicam, incessumque infractum, et hujusmodi cætera studia, quibus longè magis quàm auri monilibus intuentes capi solent? Timeamus, dilectissimi, ne nos quoque ea audiamus, quæ Prophela Hebræis mulieribus hujusmodi ornatu exteriori gloriantibus comminatur, dicens : *Pro zona funiculo cingêris, et pro ornamento capitis tui calvitium habitura es.* * (*Isai.* III. 24.) Adeò autem plus ista, quàm aurum, ad lasciviæ illecebram valent, ut etiam scorta plurima ad hoc omni studio intendant, et per aspectum sui capiant intuentes. Non minimum istud peccatum est, sed magnum prorsùs, ut quidem ipsum Deum irritare ad iracun-

diam possit, omnemque virginitatis laborem absumere, gloriamque corrumpere. Christum habes sponsum, quid amatores post te homines trahis? Meritò tunc te ille adulterii damnat, quòd ornatum sibi gratum atque charum tibi conquirere negligis, verecundiam scilicet, pudorem, honestatem, habitumque ornatum: hic nempè habitus adulter est, atque adeò fœdus, ut meretrices ac virgines ferè discernere nequeamus. Intuere hujusmodi virgines, ad quantam turpitudinem devolutæ sunt. Simplicem esse, neque accuratè compositam virginem decet, negligentiæque potiùs, quàm ejusmodi curæ notari. Quippè ejusmodi exterior ornatus, ornamenta intima demolitur. Is enim qui ejusmodi fuerit studiosus, interioris ornatûs negligens sit necesse est: quemadmodum et is qui exteriorem aspernatur, studium omne, omnemque diligentiam, ad componenda sua intima transfert. Ne velim dicas, Me miseram, attritum pallium fero, abjectosque calceolos, nullius pretii tunicam: cujusmodi hic ornatus est? Nolli teipsam fallere: licet, ut dixi, etiam per hujusmodi vilia magis ornari, quàm per aurea illa monilia, et exquisitissimas vestes. Quippè per attritum pallium corpori decenter adstrictum, impudentiam præfers magis, ac pulchritudinis gloriam aucuparis. Ista mihi nunc loqueris. Cæterùm Deo quid dictura es, qui mentis rimatur arcana, novitque quâ ista intentione facias? Sed esto, non ista causâ libidinis facias, neque ut post te gregem adolescentum trahas. Cur, quæso, id facis? Ut admirationi habearis? Non erubescis infelix, neque pudore suffunderis in rebus hujusmodi admirationem humanam gloriam quærens?

In Epist. Paul. ad Timoth. I. *cap.* 1. *Hom.* 4. *in moral.* Quis igitur Deum glorificat in anima, quis item in corpore? In corpore glorificat qui non se libidini subjicit, qui minimè inebriatur, qui ventri ac gutturi non studet, qui exteriorem non quærit ornatum, qui tantum curæ circa se ostendit, quantum ad sanitatem sufficere potest: qui non mœchatur, quæ unguentis delibuta non pergit, quæ faciem nequaquam fucis atque coloribus pingit, quæ Dei contenta opificio, nihil ex se addere quasi arte molitur. Quid enim studium tuum, quid artem consummato à Deo opificio admovere præsumis? Non tibi sufficit divina formatio? An verò veluti excellentior opifex divinum opificem corrigere impiâ moliris audaciâ? atque ad auctoris injuriam ornaris, ut post te greges juvenum trahas? Et quid, inquies, ipsa facere possum? Neque enim ego hæc volo, sed viri gratiâ facere ista compellor. Adamari non potest quæ non vult. Pulchram te condidit Deus, ut in hoc ipse laudetur, admirationique sit opificium suum, non ut injurias patiatur. Noli ipsi hujusmodi referre vicem, verùm pudicitiâ atque verecundiâ te ornare contende. Pulchram idcircò te creavit Deus, ut virtutis tibi adderet præmia: neque enim idem est, speciosam et quæ amari à plurimis possit, studere pudicitiæ, et quæ hujusmodi careat, nullique sit expetenda, castitatem servare. Audi denique quod de Joseph Scriptura dixerit. *Erat*, inquit, *speciosus ac decorus aspectu.* (*Gen.* XXXIX. 6.) Quid nobis profuit audire decorum fuisse Joseph? Ut scilicet ipsius magis admiremur speciem, honestatemque laudemus. Speciosam te creavit Deus: quid igitur teipsam deformem facis? Velut enim si quis aureæ statuæ illiniat lutum, ita sunt quæ fucis utuntur, terram tibi illinis partim candidam, partim rubicundam. At, inquies, hoc meritò faciunt quæ deformes sunt. Cujus rei gratiâ? Ut scilicet deformitatem occultent. At profectò incassùm laborant. Quando enim id quod naturale est, cujusvis opificis studio atque arte superatur? Cur autem deformitas ipsa mœrori sit, si probro careat? Audi denique sapientis cujusdam viri sententiam: *ne vituperes*, inquit, *virum in aspectu suo, neque item laudaveris virum in specie sua.* * (*Eccli.* XI. 2.) Deum igitur admirare solum opificem optimum, non illius opus, neque enim pulchrum ipse se fecit. Quid enim lucri decor ejusmodi parit? Nihil profectò, verùm certamina magis intendit, majoresque calumnias, atque pericula, suspicionesque quàm plures. Ea denique quam non hujusmodi decor illustrat, suspicione carebit: quæ verò formosa est, nisi magno studio, et nimiâ utatur continentiâ atque honestate, opinioni protinùs pessimæ locum dabit, virque ipse ejusmodi sempèr zelo mordetur. Quo quid dici gravius possit? Neque enim tantum ex aspectu ipso voluptatis habet,

quantum ex suspicione mœroris. Illa enim consuetudine solet exstingui : at verò ubi lasciviæ, libertatis, atque impudicitiæ opinio manere cœperit, ipsius quoque animæ intima penetrat, atque penitùs insitis sordibus squalescit in dies.

THEODOR. *lib. de Relig. Hist. cap.* 9. *de vita S. Petri circa medium. Cum ad B. Petrum inaures et monilia gerens, ac vestem auro et filis sericis intertextam induta ipsa B. Theodoreti mater advenisset :* Divinum, *inquit*, caput hæc intuens, nimiæ elegantiæ primùm ægritudinem sanavit, in hunc illam modum alloquens, Dic mihi, inquit, filia, (ipsa enim ejus verba proferam, et sanctæ illius linguæ allocutionem non immutabo,) si quis pictor artis suæ peritissimus, imaginem aliquam ex artis legibus accuratè depingat, et hanc videre volentibus spectandam proponat, venialque alius quispiam in arte rudis, ad libidinem ea fingens quæ pingere voluerit : deinde artificiosam illam picturam reprehendens, superciliis et ciliis lineas addat longiores, et candidiorem vultum reddat, et rubrum genis colorem inducat, an priorem pictorem putas non succensurum, tanquam arti suæ gravi factâ injuriâ, et additamentis quibus opus non erat ab indocta manu impositis ? Ergo, inquit, conditorem quoque omnium, naturæque nostræ figulum et pictorem, meritò indignari credite, quòd immensam illam sapientiam imperitiæ arguitis. Neque enim rubeum, et album, et nigrum colorem infunderetis, nisi hoc additamento egere vos putaretis. Egere autem his corpus dum creditis, imbecillitatis damnatis auctorem. Atqui sciendum est voluntati parem illum habere potestatem, *omnia* enim, inquit David, *quæcunque voluit fecit.* (*Psal.* CXIII. 3.) Sed omnium utilitati consulens, ea non dat quæ damnum afferunt. Quare imaginem Dei ne corrumpatis, neque adjicere conemini quæ sapienter non dedit, neque adulterinam excogitetis pulchritudinem, quæ et pudicas labefacit, videntibus tendens insidias.

S. AUG. *Epist.* 245. *aliàs* 73. *ad Possidium, n.* 1. Magis quid agas cum eis qui obtemperare nolunt, cogitandum est, quàm quemadmodum eis ostendas non licere quòd faciunt. Sed nunc Epistola sanctitatis tuæ, et occupatissimum me reperit, et celerrimus bajuli reditus neque non rescribere tibi, neque ad ea quæ consuluisti, ita ut oportet, respondere permisit. Nolo tamen de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debent, quomodo placeant Deo. (1. *Cor.* VII. 33.) Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis. Nisi quòd capillos nudare feminas, quas etiam caput velare jubet, nec maritatas decet. (2. *Cor.* XI. 13.) Fucari autem pigmentis, quò vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, quâ non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt feminæ ornari, secundùm veniam, non secundùm imperium. Nam verus ornatus maximè Christianorum et Christianarum, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt.

N. 2. Exsecranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ depulantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibetur. Quis autem possit speciales nefariarum superstitionum prohibitiones in Scripturis invenire, cùm generaliter Apostolus dicat, *Nolo vos socios fieri dæmoniorum?* (1. *Cor.* X. 20.) et iterùm, *Quæ enim consonantia Christi ad Belial ?* (1. *Cor.* VI. 15.) nisi fortè quia Belial nominavit, et generalem societatem dæmoniorum prohibuit, licet Christianis sacrificare Neptuno, quia nihil propriè de Neptuno vetitum legimus. Moneantur interim miseri, ut si obtemperare nolunt præceptis salubrioribus, saltem sacrilegia sua non defendant, ne majori se scelere implicent. Quid autem cum eis agendum sit, si solvere inaures timent, corpus Christi cum signo diaboli accipere non timent ?

Et Epist. 262. *aliàs* 199. *ad Ecdiciam, n.* 4. 9. *et* 10. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (F)

De bono viduitat. cap. 19. *n.* 24. Certè si mariti essent quibus placendum esset, jam te fortassè cum filia puderet ornari : nunc non pudeat agere quibus simul ornemini ; quia non est criminosum, sed potiùs gloriosum,

I. Si Maritus velit uxorem omninò uti vestibus auro textis, et exteriorem in habitu magnificentiam præ se ferre, debetne uxor in eo obsequi viro ?

R. Debet : eâ tamen lege,

1° Ut ne quid sit in illo ornatu quod Christianæ verecundiæ et modestiæ adversetur.

2° Ut ne sint vestes pretiosiores quàm fert conditio.

3° Ut exemplo Esther Reginæ, in assumendis ejusmodi vestibus soli necessitati serviant, abominenturque signum illud superbiæ et gloriæ, quâ invitæ circumdantur, nec nisi vestibus simplicioribus delectentur. (H)

4° Ut si vir absit, vel uxorem permittat proprio arbitrio vestiri, tunc abjiciatur ille ornatus sumptuosior, et assu-

ut ab illo uno simul amemini. Simulatum autem candorem ac ruborem et pigmentis illitum non adhiberetis, etiamsi viros haberetis ; non putantes dignos quos falleretis, nec vos quæ fallere deberetis : nunc ergo illi Regi, qui unicæ sponsæ, cujus membra estis, speciem concupivit, veraciter simul placete, simul inhærete ; illa integritate virginali, tu continentiâ viduali, ambæ pulchritudine spiritali.

S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 169. *art.* 2. *in conclus. Quanquam ornatus mulierum ad placendum viris suis peccatum non sit, ad concupiscentiam tamen, et vanitatem relatus, culpâ non vacat.*

Respondeo dicendum, quòd.... muliebris cultus viros ad lasciviam provocat ; secundùm illud Proverbiorum VII. 10. *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas.* Potest tamen licitè operam dare ad hoc quòd viro suo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur. Undè dicitur. 1. Cor. VII. 34. quòd mulier *quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Et ideò si mulier conjugata ad hoc se ornet ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illæ autem mulieres quæ viros non habent nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum ; qui hoc est dare eis incentivum peccandi. Et, si quidem hàc intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam ; non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio, quantùm ad hoc, est de viris. Undè Augustinus dicit in Epist. ad Possidium: *Nolo ut de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis : nisi quòd capillos nudare feminas, quas etiam caput velare Apostolus jubet, nec maritatas decet.* In quo tamen casu possent aliquæ à peccato excusari, quando hoc fieret non ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem : quamvis talis consuetudo non sit laudabilis.

Ad primum.... sobrius et moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, sed superfluus et inverecundus et impudicus.

Ad secundum dicendum, quòd mulierum fucalio.... est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato. Undè Aug. in Epist. ad Possidium : *Fucari pigmentis, quò vel rubicundior, vel candidior appareat ; adulterina fallacia est : quâ non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi : quibus solis, scilicet maritis, permittendæ sunt feminæ ornari, secundùm veniam, non secundùm imperium.* Non semper tamen talis fucalio est cum peccato mortali, sed solùm quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum.

(H) Esther. XIV. 16. Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei.

mantur vestes quæ Christianam modestiam et sobrietatem magis sapiant. (I)

I. Quâ ratione conjugati ferre debent occurrentes subindè molestias et tribulationes ?

R. 1. Hoc sibi debent in animum inducere, nullum esse conjugium quod ejusmodi molestiis et tribulationibus careat. *Tribulationem carnis habebunt ejusmodi*, inquit Apostolus, de conjugatis loquens.

2. Illæ cùm occurrunt patienter sustinendæ in peccatorum expiationem, offerendumque ex iis supremo Numini sacrificium.

3. Debent conjuges juvare se mutuò ad illas molestias patienter ferendas ut Christianos decet. (K)

(I) S. Aug. *Epist.* 262. *aliàs* 199. *ad Ecdiciam n.* 9. *et* 10. *Vide suprà hocce* 2. *litt.* (F) *Et Epist.* 245. *aliàs* 73. *ad Possid. n.* 1. *Vide ibid. litt.* (G) *uti et* S. Joan. Chrysost. *Homil.* 10. *in Epist. ad Coloss.*

Et Homil. in Psal. xlviii. *v.* 16. *Noli timere, etc.* Quid agis mulier? Te comis et ornas. Quamobrem? an ut viro tuo omni ex parte placeas et grata sis? Malum studium, si ita viro placitura es: si ita studes viro placere. Quanam igitur ratione placebo? Continentiâ. Sed qua ratione placebo? Modestiâ, temperantiâ, mansuetudine, charitate, concordiâ et consensu. Hic enim ornatus et mundus est tuus, mulier: hæ virtutes tuæ concordiam efficiunt. Illa autem ornamenta non prob nt te viro, sed potiùs ei te ingratam importunamque reddunt. Cùm enim dixeris: Rape et mihi affer, exiguo quidem tempore places, in posterum autem hostem eum habes. Sed ut intelligas, te ne viro quidem placere, domi ea exuis, et in templo eadem profers. Quòd si viro placeres grataque esses, domi eadem ferres. Quod dixi, Intras in templa inauratis manibus et collo, si venerit Paulus terribilis ille, atque amabilis: terribilis peccantibus, amabilis autem piis atque religiosis; et clamet et dicat, Non in auro, neque in margaritis, nec in vestitu pretioso. Deindè venerit etiam Græcus ac Barbarus, et videat in superiore quidem parte illas ista ferentes, infra autem Paulum hæc dicentem, nonne hæc fabulam et simulationem esse dicet? Non enim nostra, ad simulationem spectant, etiamsi hæc ita fiant, sed Barbarus læditur et offenditur. Itaque hoc dicit Barbarus: Ingressus sum in templum Christianorum, audivique Paulum dicentem, Non in auro, non in margaritis, sed ibi hujus contraria facta vidi. Quis tibi usus est auri mulier? num ut honesta pulchraque videare? At nihil ad animi pulchritudinem pertinet. Fac sis animo pulchra, et corpore etiam eris amabilis. Sapientia hominis vultum ejus illustrabit, tametsi animi ejus est sapientia. Nihil adeò desiderium vel amorem parit, ut charitas. Si enim chara sis viro tuo, etiamsi deformis sis, tamen amabilis videbere. Sin autem te oderit, quamvis honesta facie sis, te æquo animo videre non potest. Animi enim tui odium, tui vultûs pulchritudinem videri non sinit. Cùm enim ab eo ornatum et aurum petitura es, tum ipse etiam te osurus est, atque, adversaturus, nec tam mendicum importunum in foro occurrentem osurus est et declinaturus, quàm te quæ petis, quandoquidem illum fugere potes, te non potest, quam semper domi procacem habet, repetentem officium, nec ratione ductam ad petendum. Hæc quidem omnia, non solùm aures tuæ mulier audiant, sed etiam mens tua mulctur: verba mea remedia sunt, quæ ad tempus illa quidem mordent, et pungunt, sed perpetuam voluptatem afferunt. Medicus sum, vulneraque fodico, ne si nimiam vetustatem nacta sint, deterius ulcus efficiant. Ego enim medeor, sanitatem concedens, ac tribuens eam, quæ oratione procuratur. Alii id quod in hac vita ad tempus manet, incertumque est, et contemnendum est, ostentant et jactant.

(K) 1. Cor. vii. 28.... Et si nupserit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.

S. Basil. *lib. de vera virginit. circa med.* Eorum perpetuas ærumnas

miserabitur, quæ temporalibus his molestisque voluptatibus addictæ sunt. Nempè enim ejus quæ nupsit, multiplices (ut sic dixerim) mortes, quas illa in dies patitur, è regione considerans, sibi ipsi protectò propositoque suo gratulabitur. Nam quæ mortali connubio conjuncta est, ad suam ipsius curam viri quoque alterà adjectà, geminam in una anima ex conjuncto sibi corpore sollicitudinem necessariò sustinet. Nec jam unius tantùm corporis laborat gratiâ: sed in una (ut dixi) anima et ad suum, et ad viri corpus curandum jugiter intenta dividitur: ubi verò filios post cubiculi solemnia, et secreta commercia, parturire atque in lucem edere cœperit; per unumquemque nascentem animo scinditur: et præsentibus tristibus nasciturі cura semper adjicitur. Ac siquidem virum bonum blandumque nacta fuerit: perpetuò ne moriatur, metu viduitatis, incommoda cruciatusque jam sustinet; diram quamdam, et immitem curam, et præsente illo et absente, propter insperatos casus, animo indesinenter excipiens. Sin verò contrà duro, et immiti fuerit conjuncta: tota quidem vita illi cruciatus est: et cùm pudicitiæ ratione neutrum queat eligere: id est, nec viri mortem, propter viduitatis angustias: nec vitam ob molestiam incommodumque convictûs; ancipiti atque inevitabili malo, acerrimisque doloribus semper atteritur. Indè ubi filios edidit: aut ad bonam illi frugem evaserunt: et majores ex illorum absentia dolores jugiter tolerat, quàm parturiens tulerat; aut malos evasisse considerat, et majus ex ea procreatione liberorum, quàm si permansisset sterilis opprobrium sustinet. Sæpe antequàm prædicta experiatur incommoda, unà et sponsa, et vidua efficitur, ac sine liberis in viduitatem delapsa, nec uxor jam, nec virgo, nec mater est. Sic profectò omnibus, quæ putantur læta conjugii simul amissis, brevissimo voluptatis sensu, irrecuperabilem virginitatis perdidit florem, conjugiique tantum solummodò experta est, quantum illi satis esset ad dignoscenda viduitatis incommoda. Quòd si relicta vidua pupillos enutriat filios; ejus, quem ex viri morte perceperat, mœroris juge illos monumentum cernit, et semper in lacrymis, semper in gemitu, semper in sollicitudine educandorum lugens, nullum præterito malo solatium invenit. Prætereà et propinquis, et famulis, et filiorum curatoribus, ipsisque postremò etiam filiis, ubi virilitatis annos attigerint: cunctisque omninò se vexari volentibus ad prædam miserabiliter exposita, doloris, luctûsque tragœdiam, vitam suam omnium ingeret oculis. Et quid plura persequi necesse? Dominum sibi cum dote infelix mulier coëmens virum, ancilla pro libera efficitur: brevissimæque voluptatis gratiâ naturali libertate se privans, januam sibi ineffabilem dolorum, perpetuique mœroris per hujusmodi connubium aperit. Manet enim immota maledictionis adversùs illam prolata sententia; quæ per omnes nuptias veluti epithalamium ita canit: *In doloribus paries filios; et ad virum conversio tua; et ipse dominabitur tui.* (*Gen.* III. 16.)

S. Aug. *de sanct. virginit. lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 15. Addidit tamen, *tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis* (1. *Cor.* VII. 28.): hoc modo exhortans ad virginitatem continentiamque perpetuam, ut aliquantulùm à nuptiis etiam deterreret, modestè sanè, non tanquam à re mala et illicita, sed tanquam ab onerosa ac molesta. Aliud est enim admittere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem: illud est criminis facere, hoc laboris est pati, quem plerumque homines etiam pro officiis honestissimis non recusant. Sed pro habendo conjugio jam hoc tempore quo non per carnis propaginem venturo Christo ipsius prolis propagatione servitur, istam tribulationem carnis quam nupturis prædicit Apostolus, suscipere tolerandam perstultum esset, nisi necfuceretur incontinentibus, ne tentante satana in peccata damnabilia laberentur. Quòd autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quàm eum noluisse aperire et explicare verbis eamdem ipsam carnis tribulationem, quam prænuntiavit eis qui eligunt nuptias, in suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus et mœroribus orbitatis. Quotus enim quisque, cùm se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? Quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus parcendum existimavit Apostolus.

Cap. 21. *n.* 21. Si autem loquenti Scripturæ de nuptiarum bono indubitanter crediderint, eadem cœlestis eloquii veracissimâ auctoritate firmata ad melius suum ferventi ac fidenti alacritate transcurrent. Undè jam satis pro suscepto negotio diximus, et quantùm potuimus demonstravimus, nec illud quod ait Apostolus, *Existimo autem hoc bonum esse propter præsentem necessitatem* (1. *Cor.* VII. 26.), sic esse accipiendum, tanquam in hoc seculo meliores sint sacræ virgines fidelibus conjugatis, in regno autem cœlorum atque in futuro seculo pares sint; nec illud ubi ait de nubentibus, *tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego vobis parco* (*Ibid.* 28.), ita intelligendum, tanquam nuptiarum peccatum et damnationem maluerit tacere quàm dicere. Harum quippè duarum sententiarum singulas, duo errores sibimet contrarii non eas intelligendo tenuerunt. Illam enim de præsenti necessitate illi pro se interpretantur, qui nubentes non nubentibus æquare contendunt: hanc verò ubi dictum est, *Ego autem vobis parco*, illi qui nubentes damnare præsumunt. Nos autem secundùm Scripturarum sanctarum fidem sanamque doctrinam, nec peccatum esse dicimus nuptias, et earum tamen bonum non solùm infra virginalem, verùm etiam infra vidualem continentiam constituimus; præsentemque necessitatem conjugatorum, non quidem ad vitam æternam, verumtamen ad excellentem gloriam et honorem qui perpetuæ continentiæ reservatur, impedire eorum meritum dicimus; neque hoc tempore nisi eis qui se non continent, nuptias expedire, tribulationemque carnis ex affectu carnali venientem, sine quo nuptiæ incontinentium esse non possunt, nec tacere voluisse Apostolum vera præmonentem, nec plenius explicare hominum infirmitati parcentem.

De bono viduitat. ad Julian. viduam, cap. 3. *n.* 4. Quantum autem bonum habeat nuptarum fides, id est, Christianarum et religiosarum conjugatarum, hinc intelligi potest, quòd cùm de fugienda fornicatione præciperet, ubi utique et conjugatos alloquebatur, *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra membra sunt Christi?* (1. *Cor.* VI. 19.) Tantum ergo bonum est fidelis conjugii, ut etiam ipsa membra sint Christi. Hoc autem bono quoniam melius est bonum continentiæ vidualis, non hac professione id agitur, ut aliquid plus sit Catholica vidua quàm membrum Christi, sed ut melioreu quàm conjugata locum habeat inter membra Christi. Dicit quippè idem Apostolus: *sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra; habentes dona diversa secundùm gratiam quæ data est nobis.* (*Rom.* XII. 4.)

N. 5. Ideò etiam cùm moneret conjugatos, ne debito carnalis commixtionis fraudarent invicem; et per hoc alter eorum negato sibi conjugali, per intemperantiam suam tentatus à satana, in fornicationem prolaberetur. *Hoc autem dico*, inquit, *secundùm veniam, non secundùm imperium: volo autem omnes homines esse sicut meipsum. Sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* (1. *Cor.* VII. 6. *et* 7.)

Cap. 4. Vides etiam conjugalem pudicitiam et tori Christiani matrimonialem fidem donum esse, et hoc à Deo: ut illud quod ultra liberorum procreandorum necessitatem modum concumbendi aliquatenùs concupiscentia carnalis excedit, non nuptiarum sit hoc malum, sed veniale sit propter nuptiarum bonum. Non enim de conjugio, quod copulatur liberorum procreandorum causâ, et fide pudicitiæ conjugalis, et indissolubili, quandiù ambo vivunt, matrimonii sacramento, quæ omnia bona sunt; sed de illo immodico carnis usu, qui in infirmitate conjugum agnoscitur, et interventu boni nuptialis ignoscitur, ait Apostolus: *secundùm veniam dico, non secundùm imperium.* Item cùm dicit, *Mulier alligata est, quandiù vir ejus vivit; quòd si mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium* (1. *Cor.* VII. 39.): satis ostendit beatam esse in Domino etiam post mortem viri iterùm nubentem fidelem, sed in eodem Domino viduam beatiorem: hoc est, ut Scripturarum non tantùm verbis, verùm etiam exemplis loquar, beatam esse Ruth, sed Annam beatiorem.

§. 7. Quæ sint officia Conjugatorum circa Liberos.

I. Quæ sunt officia Parentum erga liberos recèns natos ?

R. Debent 1° curare ut baptizentur quàm citiùs.

2. Eligere ipsis ad Baptismum susceptores, morum probitate conspicuos.

3. Cavere ne intra anni unius spatium simul cum nutrice dormiant in eodem lecto, idque ob periculum suffocationis.

4. Magnam eorum curam gerere tenentur.

I. Quæ speciali sunt officia mulierum ante partum ?

R. 1. Caveant ne quid suâ culpâ accidat, undè abortio, vel partus præposterus sequi possit.

2. Ferant patienter graviditatis incommoda, et partûs dolores, ut peccati pœnam. (A)

I. Quæ sunt matrum officia post partum ?

R. Debent, 1° si fieri potest, prolem suam proprio lacte nutrire, exemplo sanctarum mulierum de quibus honorifica mentio fit in Scripturis. Id sancti Patres mùlieribus Christianis summo studio commendant. (B)

(A) GENES. III. 16. Mulieri quoque dixit (*Deus post peccatum*) : Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios.

(B) GENES. XXI. 7. Rursumque ait : Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni ?

1. REG. I. 20. Et factum est post circulum dierum : concepit Anna, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel : eò quòd à Domino postulasset eum. 21. Ascendit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam solemnem, et votum suum. 22. Et Anna non ascendit : dixit enim viro suo : Non vadam, donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi jugiter. 23. Et ait ei Elcana vir suus : Fac quod bonum tibi videtur, et mane donec ablactes eum : precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum, donec amoveret eum à lacte.

2. MACHAB. VII. 27. Itaque inclinata ad illum (*mater SS. Machabæorum ad adolescentiorem filium*) irridens crudelem tyrannum, ait patriâ voce : Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in ætatem istam perduxi. 28. Peto, nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt : et intelligas, quia ex nihilo facit illa Deus, et hominum genus : 29. Ita fiet, ut non timeas carnificem istum ; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.

LUC. XI. 27. Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi (Jesu) : Beatus venter, qui te portavit : et ubera quæ suxisti.

S. BASIL. *Homil.* 21. Postquam creata est mulier tenerum quidem animal, cui conditor teneriorem naturam dedit, ut parvulos humaniùs ac benigniùs educaret. (Si enim mulier austerior fuisset, nunquam plorantem infantem ulnis ac pectore foveret, ac complecteretur : nunquam proprii sæpè cibi oblita, ubera sitienti tantâ patientiâ præberet. Nunc autem matrum viscera somnum sæpè palpebris discutiunt, si quando infanti breve quid acciderit.) Ut, inquam, puer probè nutriatur, mulieris natura dulcior est, et humanior creata.

S. AMBROS. *lib.* 5. *in Hexameron, cap.* 18. *n.* 58. Discant homines amare filios ex usu et pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur ; et sollicitæ ne teneri fortè deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo temporis nutriendi officia non reliquunt. At verò fœminæ nostri generis, citò ablactant etiam filios illos quos diligunt : aut si diliores sunt, lactare fastidiunt. Pauperiores verò abjiciunt parvulos, et exponunt, et deprehensos abnegant.

De Abraham Lib. 1. *cap.* 7. *n.* 63. *Et dixit Sara : Quis annuntiabit Abrahæ*

2. Si præ infirmitate non liceat ipsis lactare prolem, eligant saltem nutrices, quantùm fieri potest, pias et laudabilis indolis, et mentis sanæ in corpore sano.

3. Ubi convaluerint post partum, eant quàm primùm parochialem Ecclesiam, ibi Sacerdotalem benedictionem susceptura.

I. Qua mente mulieres accedere debent ad Benedictionem Sacerdotalem post partum?

R. 1. Ut gratias agant Deo de edita feliciter prole.

2. Ut offerant filam Deo, impetrentque ipsi cœleste præsidium.

3. Ut si quid in usu Matrimonii peccatum fuit, id divinâ misericordiâ condonetur.

4. Ut postulentur à Deo auxilia necessaria ad prolem sanctè educandam et instituendam.

I. Quis modus tenendus est à parentibus, ut liberi Christianè educentur, et instituantur à pueritia ad adolescentiam?

R. 1. Assuefaciendi sensim pueri et puellæ Christianæ *quoniam lactet infantem Sara?* (*Gen.* XXI. 7.) Moralis locus. Provocantur feminæ meminisse dignitatis suæ et lactare filios suos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quos filios propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaverint uberibus suis.

Vide eumdem infrà lib. 5. *in Hexameron cap.* 18. *n.* 58. *hocce* §. *litt.* (Q)

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil. in Psal.* L. Considera, pauperem incentiva pietatis habere fulcimina: in divitibus autem multam superbiam: apud pauperes uxor et ancilla et ministra, et procreat filios, et ipsa mater et nutrix est. Apud divites autem non est ita, sed cùm generaverit filium, statim eum tradit foris, et pietatis insignia abscindit superbia. Erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater. Christus autem non ita. Ipse nutritor est noster, ideò et pro cibo propriâ nos carne pascit, et pro potu suum sanguinem nobis propinavit.

S. AUGUST. *Serm. de tempore barbarico, tom.* 6. *Edit. BB. cap.* 5. *n.* 6. Ante paucos dies natalitia celebravimus Martyrum Perpetuæ et Felicitatis.... Una earum erat prægnans, alia lactans. Felicitas parturiebat. Perpetua lactabat. Sed tandiù hæc Perpetua lactavit, quandiù acciperet ab illo Pastore simul et Patre buccellam lactis: quâ acceptâ dulcedo felicitatis perpetuæ eam fecit contemnere filium, spernere patrem, non hærere mundo, perdere animam pro Christo.

S. GREG. MAGN. *Lib.* 11. *Epist.* 64. *aliàs* 31. *ad Augustinum Angl. Episc. interrog.* 10. Ad ejus (*uxoris*) concubitum vir ejus accedere non debet, quousque qui gignitur ablactetur. Prava autem consuetudo in conjugatorum moribus surrexit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant; quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum; quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæc itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri.

NICOLAUS Papa I. *cap.* 64. *in Bulgaror. Responsis.* Quot diebus viro postquam mulier filium genuerit, ab ea sit abstinendum non adinventionibus nostris, sed verbis beatæ memoriæ Gregorii Romani Pontificis et Anglorum gentis Apostoli declaratur, qui Augustino Episcopo, quem in Saxoniam ipse direxerat scribens, inter cætera dixit: (*ubi suprà*) « Ad » ejus verò, (id est mulieris) concubitum vir suus non accedere debet, » quoadusque proles quæ gignitur ablactetur. Prava autem in conjuga» torum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt, » nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus nutriendos tradant, quod » videlicet causâ solâ incontinentiæ videtur inventum., qui dum se con» tinere nolunt despiciunt lactare quos gignunt. »

pietatis exercitiis, et id agendum, ut illis exercitiis delectentur. (C)

(C) S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 12. *in* 1. *ad Corinth. versùs finem.* A primis annis filios vestros spiritualibus armis muniatis, et cruce frontem sibi signandam erudiatis, et priusquam ipsi per se facere possint, vos id facite.

Serm. 21. *in Epist. ad Ephesios, cap.* VI. Non dicit, Diligite ipsos: ad hoc enim eos etiam invitos ipsa natura impellit; undè superfluum fuisset de talibus legem ponere. Sed quid dicit? *Ne provocetis ad iram liberos vestros.* (*Ephes.* VI. 4.) Hoc multi faciunt, liberos suos exhæredantes et abdicantes, atque intolerabiliter prementes, non tanquam liberos, sed veluti mancipia. Propterea dicit: *Ne provocetis ad iram liberos vestros.... Sed educate ipsos in eruditione et correptione Domini.* (*Ibid.*) Vides quòd et carnalia sequantur eos qui spirituales sunt? Vis filium tuum esse morigerum? Ab initio ipsum educa in eruditione et correptione Domini. Ne putes superfluum esse, si divinas Scripturas audierit, nam illic hoc primum audiet: *Honora patrem tuum ac matrem tuam.* (*Ibid.* 2.) Itaque istud tui gratiâ fit. Ne dicas, Solitariorum est audire Scripturas: num solitarium ipsum faciam? Non est necesse ut solitarius fiat. Quid metuis quod multo lucro refertum est? Fac ipsum Christianum. Mundanis potissimùm necessarium est scire quæ ex Scripturis docentur, maximè pueris: est enim plurimum insipientiæ in illa ætate. Redditur autem illa stultitia puerorum auctior etiam externis rebus, quando cognoverint heroas illos quoque quos admirantur, passionum esse servos et ad mortem meticulosos: quale erat quòd Achillem, cùm pro concubina sibi moriendum jam esset, facti jam pœnitebat; quale est et cùm alius inebriatur, et reliqua multa talia committuntur. Opus est igitur pharmacis istis: nam quomodo non absurdum est ad disciplinas quidem mittere liberos et ad præceptores, et ad hujusmodi institutionem omnia facere, in eruditione verò ac correptione Domini ipsos non educare? Propterea et nos primi fructus hujus rei carpimus, temerarios, scelestos, ac immorigeros et illiberales educantes liberos nostros. Ne faciamus igitur istud, sed obediamus beato huic Apostolo benè admonenti. Educemus eos in eruditione et correptione Domini. Demus illis exemplum, facientes eos à primæva ætate Scripturarum lectioni vacare..... Maximè vos mulieres, celebres illas mulieres æmulamini. Peperisti puerum? Imitare Annam. Disce quid fecerit illa. Mox illum subduxit atque obtulit in Templum. Quis vestrûm non innumeris modis mallet filium suum Samuelem fieri potiùs quàm totius orbis Regem? Et quomodo, inquis, possibile est eum talem fieri? Quam ob rem non est possibile? Ideò scilicet quòd non vis, neque tradis eum illis, qui talem eum facere possent. Et quis talis est, inquis, qui hoc possit? Deus. Quandoquidem et illa filium suum ipsi commendavit ac tradidit. Neque enim Heli erat ex illis qui potuissent, ipsum admodum fingere. Quomodo enim potuisset, qui ne proprios quidem filios suos potuit? Sed fides ac promptitudo mulieris totum fecerunt. Primum pepererat hunc, et solum, nec sciebat an reliquos esset paritura: neque dicebat, Exspectabo donec crescat puer, ut rebus mundanis anteà utatur; permittam, ut paululùm puerili ætati immoretur: sed rejectis his omnibus mulier, unum duntaxat intendit, quomodo statim ab ipsis vitæ exordiis spiritualem imagunculam Deo fingendam offerret. Pudorem nobis viris incutiat mulieris hujus philosophia... Ne quæras quomodo celebrem eum in externis doctrinis, et gloriosum facias; sed cura quomodo doceas eum gloriam in hac vita contemnere: hinc fiet illustrior et gloriosior. Ista factu sunt possibilia tam pauperi quàm diviti: ista neque ex præceptore quisquam, neque per artem discet, sed per divinos Sermones. Ne quæras quomodo vitam longam vivat, sed quomodo vivat perpetuam et fine carentem. Magna ipsi largire, non modica. Audi Paulum dicentem: *Educate ipsos in eruditione et correptione Domini* (*Ephes.* VI. 4.): ne cures ut rhetorem ex ipso facias, sed ad philosophiam erudi: nihil enim damni erit, etiam si non sit rhetor. Sine philosophia verò nihil proderit innumera etiam rhetorica. Modestiâ opus est, non sermonibus: bonis et honestis moribus, non dicendi vi et suavitate; operibus, non verbis. Ista

2. Si quam præ se ferant ad vitium quodcunque propensionem, omni studio atque operâ eniteudum, ut statim corrigantur : Principiis obstandum. (D)

3. Cavendum ut ne quid fiat vel dicatur coram illis, quod eos vel à studio virtutis avocare, vel ad amorem mundi incitare possit. (E)

regnum conciliant : ista etiam vera bona largiuntur : non linguam acuas, sed mentem expurges. Ista non dico ut prohibeam erudire pueros, sed ut prohibeam ne istis solis intendatur.

(D) S. AUGUST. *Confess. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 5. Quis enim non extollebat laudibus tunc hominem patrem meum, quòd ultra vires rei familiaris suæ impenderet filio quidquid etiam longè peregrinanti studiorum causâ opus esset ? Multorum enim civium longè opulentium nullum tale negotium pro liberis erat : cùm intereà non sataget idem pater qualis crescerem tibi, aut quàm castus essem ; dummodò essem disertus vel desertus potiùs à cultura tua, Deus, qui es unus, verus et bonus Dominus agri tui cordis mei.

N. 6. Sed ubi sexto illo et decimo anno, interposito otio ex necessitate domestica feriatus ab omni schola, cum parentibus esse cœpi, excesserunt caput meum vepres libidinum ; et nulla erat eradicans manus. Quinimò ubi me ille pater in balneis vidit pubescentem, et inquietà indutum adolescentiâ, quasi jam ex hoc in nepotes gestiret, gaudens matri indicavit, gaudens vinolentiâ in qua te iste mundus oblitus est creatorem suum, et creaturam tuam pro te amavit, de vino invisibili perversæ atque inclinatæ in ima voluntatis suæ. Sed matris in pectore jam inchoaveras templum tuum, et exordium sanctæ habitationis tuæ. Nam ille adhuc Cathecumenus, et hoc recèns erat. Itaque illa exsilivit piâ trepidatione ac tremore ; et quamvis mihi nondum fideli, timuit tamen vias distortas, in quibus ambulant qui ponunt ad te tergum et non faciem.

N. 7. Hei mihi, et audeo dicere tacuisse te, Deus meus, cùm irem abs te longiùs. Itane tu tacebas tunc mihi ? Et cujus erant nisi tua verba illa per matrem meam, fidelem tuam, quæ cantasti in aures meas ? Nec indè quidquam descendit in cor, ut facerem illud. Volebat enim illa, et secretò memini, ut monuerit cum sollicitudine ingenti ne fornicarer, maximèque ne adulterarem cujusquam uxorem. Qui mihi monitus muliebres videbantur, quibus obtemperare erubescerem. Illi autem tui erant, et nesciebam, et te tacere putabam, atque illam loqui, per quam mihi tu non tacebas, et in illa contemnebaris à me filio ejus, filio ancillæ tuæ servo tuo. Sed nesciebam, et præceps ibam tantâ cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quoniam audiebam eos jactantes flagitia sua, et tantò gloriantes magis, quantò magis turpes essent : et libebat facere non solùm libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium ? Ego ne vituperarer vitiosior fiebam : et ubi non suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer abjectior quo eram innocentior, et ne vilior haberer quo eram castior.

N. 8. Relaxabantur etiam mihi ad ludendum habenæ ultra temperamentum severitatis in dissolutionem affectionum variarum, et in omnibus erat caligo intercludens mihi, Deus meus, serenitatem veritatis tuæ ; et prodiebat tanquam ex adipe iniquitas mea.

(E) S. JOAN. CHRYSOST. *Lib.* 3. *advers. vituperatores vitæ Monast.* Utinam hoc tantùm culpa esset, nihil utile parentes liberis consulere! posset id etsi sit gravissimum, aliquà fortasse ratione tolerari : nunc verò illos ad ea quæ saluti suæ sunt adversissima omni studio impellitis : denique audias patres, cùm liberos suos ad studia litterarum hortantur, hujusmodi verba illis jugiter insusurrare : ille, inquit, humilis humilique loco natus, quia dicendi facultatem consecutus est, summos magistratus, maxima imperia administravit, opes acquisivit ingentes, uxorem accepit divitem, construxit præclaras ædes, omnibus terrori est, summaque in gloria versatur. Alius rursùs : Ille, inquit, latinâ linguâ eruditus, in Regia clarissimus est, cunctaque intùs ipse administrat. Alius item alium in me-

dium adducens proponit ad imitandum, cunctique penitùs insignes et claros in seculo viros memorant: cœlestis verò conversationis, cœlestiumque bonorum nulla omninò fit mentio. Cæterùm, si quis aliquid hujusmodi memorare voluerit, ut qui cuncta perverlat, ita rejicitur, exagitatur, affligitur. Cùm ergo hac doctrinâ teneros illorum animos imbuitis, atque hisce verbis rudes adhuc aures excantatis, profectò nihil eos aliud, quàm materiam malorum omnium docetis, duos istos illis violentissimos amores inserentes, pecuniarum scilicet, et qui longè perniciosior est, levissimæ atque inanissimæ gloriæ: horum verè cùm seorsùm quilibet cuncta pervertere vi suâ sufficiat, quid tandem ambo facturi existimantur, si simul coëant, sicque in juvenis animum irruant mollissimum atque teuerrimum? Nonne veluti torrentes quidam conjuncti, bona simul omnia corrumpunt et perimunt, tantum spinarum, tantum arenæ numerum, tantamque materiæ vim intùs congerentes, ut animum illum sterilem, bonorumque omnium inferacem faciant?

Et paulò post. Veluti dedità operà liberos vestros omni studio perdere curetis, ita universa illos facere jubetis, quæ qui faciunt, salvi esse non possunt. Id si placet aliquantò aliùs consideremus, cœlestibus Evangelium vocibus intonans: *Væ*, inquit, *ridentibus* (*Luc.* VI. 25.): vos illis quotidie innumeras risûs occasiones præbetis. *Væ divitibus* (*Ibid.* 24.): vos contra, ut illi pecuniosissimi fiant, universa molimini. *Væ cùm vobis benedixerint homines* (*Ibid.* 26.): vos autem et quidem sæpè, ut laudes, favoresque populares consequamini, omne patrimonium effunditis. Rursusque qui fratrem contumeliis affecerit, sempiternis ignibus obnoxius fit (*Matth.* V. 22.): vos autem et imbecilles esse putatis, et timidos, qui tacitè sibi illatas contumelias ferunt. Imperat Christus pugnâ et ultione abstinere vitæ cœlestis æmulos (*Ibid.* 39.): at vos in ejusmodi pestibus illos semper enutritis. Oculum ille si noceat crebrò eruendum jubet (*Ibid.* 29.): vos eis maximè amicis utimini, quique pecunias dare amplissimas potuerint, etiamsi supremum vitiorum omnium doceant. Dimittere ille uxorem non permittit, præterquàm in sola causa adulterii (*Ibid.* 32.): vos autem modò pecunias accipere ampliores liceat, hoc etiam præceptum ut illi aspernentur, imperatis. Jusjurandum ille penitùs prohibuit: (*Ibid.* 34.) vos si quem id servare videritis, etiam ridetis. *Qui amat*, inquit, *animam suam perdet eam* (*Matth.* X. 39.): vos ad hujusmodi amorem semper illos hortamini. *Si non remiseritis*, inquit, *hominibus peccata eorum, nec pater vester cœlestis remittet vobis* (*Matth.* VI. 15.): nos quoties eos, qui nos injuriis lacessunt, ulcisci noluerimus, ignaviæm nobis exprobratis, utque filii vestri maturè se ulcisci possint, curam omnem adhibetis. Rursùs gloriæ inanis cupidos cuncta sine mercedis fructu gerere, sententiâ suâ Christus docuit (*Matth.* V. 46. VI. 3. *et seq.*), sive illi jejunaverint, sive miserti fuerint: vos contrà, ut hac frui valeatis nihil omittitis. Et quid me necesse est universa prosequi, cùm ista quoque quæ dicta sunt, gehennas innumeras inferre idonea sint, non modò si cuncta simul coëant, verùm et seorsùm singula? Cæterùm vos simul universa congeritis, et imponentes peccatorum onus importabile, ita demum in fluvium igneum immittitis. Quando itaque servari poterunt quæ tanta ferunt igni nutrimenta? Neque istud solùm iniquum et indignum est, quòd Christi præceptis contraria docetis, verùm quòd favorabilibus appellationibus vitia obducitis. Quippè circensibus ludis, et reliquis spectaculis interesse jugiter, urbanitatem et facetias vocatis: divitiis affluere, liberalitatem: gloriam amare, magnanimitatem: arrogantiam, confidentiam: prodigalitatem, clementiam: injustitiam, fortitudinem esse asserentes. Tum verò quasi non hæc sufficiat decipula, virtutem quoque contrariis nominibus obnubitis; rusticitatem quidem, pudiciliam vocantes: formidinem, modestiam: imbecillitatemque, justitiam: contemptumque fastûs et gloriæ servilis esse animi existimantes, malorumque tolerantiam, ignaviam et infirmitatem: tanquam profectò metuentes, ne si tandem veram et propriam harum rerum appellationem ab aliis audierint, effugiant ejusmodi perniciem filii? Neque enim parum confert ad evitationem mali, nudas ipsas et proprias vitiorum proferre appellationes, verùm tantum habet momenti et roboris, ad eos qui peccant feriendos, ut plurimi nonnunquam turpissimis flagitiis insignes, cùm id

4. Cavendum ne utantur frequentiori consortio cujusquam, cujus non sit benè perspecta virtus. Item ne sæpiùs puellæ cum pueris, pueri cum puellis colloquantur. (F)

quod sint, se vocari audiunt, modestè ferre non possint.... Atque ego complures isto correptionis genere emendatos novi.

(F) S. HIERON. *Epist.* 57. *aliàs* 7. *ad Lætam, paulò post initium.* Propositum enim mihi erat.... docere quomodo instituere Paulam nostram debeas, quæ priùs Christo consecrata est, quàm genita: quam antè vovisti, quàm utero concepisti.... Ista sunt primogenita, quæ offeruntur in lege. Sic natus est Samuel, sic ortus Samson est, sic Joannes Baptista ad introitum Mariæ exsultavit et lusit. (*Luc.* I. 41.) Audiebat enim verba Domini per os virginis, pertonantis; et de utero matris in occursum ei gesticbat erumpere. Igitur quæ de repromissione nata est, dignam habeat ortu suo institutionem parentum. Samuel nutritur in Templo (1. *Reg.* I. 21.), Joannes in solitudine præparatur. (*Luc.* I. 80.) Ille sacro crine venerabilis est, vinum et siceram non bibit; adhuc parvulus cum Domino sermocinatur. Hic fugit urbes, zonâ pelliceâ cingitur, locustis alitur ac melle silvestri: et in typum pœnitentiæ prædicandæ, tortuosissimi animalis vestitur exuviis. Sic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat; cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua, Psalmis dulcibus imbuantur. Procul sit ætas lasciva puerorum: ipsæ puellæ et pedissequæ à secularibus consortiis arceantur, ne quòd malè didicerint, pejus doceant.

S. AUGUST. *Lib.* 2. *Confess. Cap.* 3. *n.* 5. *et seq. Vide suprà hocce* §. *litt.* (D) *Cap.* 4. *n.* 9. Arbor erat pirus in vicinia vineæ nostræ pomis onusta, nec formâ nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque asportandam, nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempestâ, quousque ludum de pestilentiæ more in areis produxeramus; et abstulimus indè onera ingentia, non ad nostras epulas, sed vel projicienda porcis, etiamsi aliquid indè comedimus; dum tamen fieret à nobis quod eò liberet quòd non liceret.

Vie DE SAINTE THÉRÈSE *chap.* 2.... Je ne puis considérer sans étonnement le grand mal que font les parens, qui ne tâchent à mettre toujours devant les yeux de leurs enfans des objets de vertu.... Mon père trouvait si mauvais (que je lusse des Romans) qu'il fallait bien prendre garde qu'il s'en aperçût.... J'avais quelques cousins germains qui venaient souvent en la maison de mon père; car d'autres personnes n'y avaient point d'entrée, d'autant qu'il était fort circonspect; et plût à Dieu qu'il l'eût refusée à celles-là, car je vois maintenant le péril qu'il y a, lorsque c'est la saison de jeter les semences des vertus dans une ame, de traiter avec des personnes qui n'ont point d'yeux pour connaître la vanité du monde, mais au contraire, qui incitent les autres à s'engager dans ces malheureux piéges.... Ah que si j'avais à conseiller les pères et les mères, je leur dirais bien qu'ils veillassent soigneusement sur les personnes qui conversent en cet âge avec leurs enfans; d'autant que ces entretiens sont un secret levain d'un grand dommage; car notre nature penche toujours plutôt vers le mal qu'elle ne tire au bien.... Je suis quelquefois saisie d'étonnement, voyant le dommage que fait une mauvaise compagnie; et si je n'avais passé par là je ne le pourrais croire: mais principalement au temps de la jeunesse, cela est plus préjudiciable: je souhaiterais fort que les Pères et les mères tirassent de l'expérience de mes fautes, pour veiller soigneusement sur ce mal.... Par ici j'apprends le grand profit qu'apporte une bonne compagnie: et je tiens pour certain, que si en cet âge j'eusse traité avec des personnes vertueuses, que je me fusse maintenue dans l'exercice de la vertu; car si j'eusse eu lors quelque personne qui m'eût appris à craindre Dieu, j'eusse pris des forces, pour me garantir de mes chutes.... Quand je fus au Monastère retirée, je connus la grande grâce que Dieu fait à celui qu'il met dans la compagnie des bons.

S. JOAN. CHRYSOST. *lib.* 3. *adv. vituperatores vitæ Monast.* Nulla alia ex ratione perversi ut fiant liberi contingit, nisi quòd eorum patres circa vitæ præsentis commoda æquo ampliùs incumbunt, et ferè dixerim

5. Sic corrigendi indociles, ut in corrigente nulla sentiatur animi commotio, ira nulla. (G)

insaniunt. Cùm enim illa solummodò inquirunt, nihilque illis præferendum censent, et suam pariter, et liberorum animam negligere coguntur. Hos ego patres (quod nemo tamen me commotiùs dicere quàm veriùs existimet) parricidis ipsis immaniores, scelerationesque dixerim. Illi enim corpus ab anima disseparant, isti et animam et corpus æternis ignibus tradunt. Atque is quidem qui corpore occiditur, necessariò naturali lege, etiamsi necatus non fuisset moreretur: hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi conscivisset paterna negligentia. Prætereà corporis mortem superveniens protinùs resurrectionis gloria delere poterit facillimè: animæ verò interitum nihil solari poterit, cùm sibi nulla jam sit reliqua salutis spes, verùm immortales cruciatus luere cogatur. Itaque non injuriâ parentes ejusmodi deteriores parricidis esse diximus. Non enim ita crudele facinus videtur, gladium acuere, et armare dexteram, atque in ipsum filii guttur immergere, ut animam perimere atque corrumpere.

(G) 1. Reg. II. 12. Porrò filii Heli, filii Belial nescientes Dominum, 13. neque officium Sacerdotum ad populum: sed quicunque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua. 14. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum: et omne quod trahebat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi. Sic faciebat universo Israëli venienti um in Silo. 15. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam Sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam. 16. Dicebatque illi immolans: Incendantur primùm juxta morem hodiè adeps, et tolle tibi quantumcunque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat illi: Nequaquam: nunc enim dabis; alioquin tollam vi. 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à sacrificio Domini.... 22. Heli autem erat senex valdè, et audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israëli; et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi: 23. Et dixit eis: Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? 24. Nolite filii mei, non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.... 27. Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Nunquid non apertè revelatus sum domui patris tui, cùm essent in Ægypto in domo Pharaonis? 28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me: et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. 29. Quare calce abjecistis victimam meam, et munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo: et magis honorasti filios tuos quàm me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israël populi mei? 30. Propterea ait Dominus Deus Israël (3. *Reg.* II. 27.): Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicunque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 31. Ecce dies veniunt et præcidam brachium tuum, et brachium domûs patris tui, ut non sit senex in domo tua. 32. Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israël: et non erit senex in domo tua omnibus diebus. 33. Verumtamen non auferam penitûs virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua: et pars magna domûs tuæ morietur cùm ad virilem ætatem venerit. 34. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis, Ophni et Phinees: In die uno morientur ambo. (1. *Reg.* IV. 11.)

S. Joan. Chrysost. *lib.* 3. *adversùs vituperat. vitæ Monast.* Extremâ animadversione puniemur, si liberorum salutem neglexerimus... Sacerdos apud Judæos fuit vir in primis moderatus ac probus, Heli nomine:

huic duo cùm essent liberi, videretque illos vitiis dedilos, non corripuit, aut coërcuit: sive, ut veriùs loquar, corripuit illos quidem, et cohibuit, verùm non omni cum studio, et vehementia id fecit. Horum hæc autem fuêre crimina, ventris ingluvies, et fornicatio. Edebant, inquit, antequam sanctificarentur carnes sacræ, priusquam offerretur Deo sacrificium. (1. *Reg.* II.) Quibus compertis pater non illos pœnâ affecit, cæterùm verbis tantùm castigare lenique admonitione ab hac eos perversitate revocare conatus est, atque hujusmodi verba jugiter ad illos loquebatur: *Nolite filii, nolite sic facere; non enim bona fama est quam ego audio de vobis, ut faciatis populum non servire Deo. Si delinquens peccaverit vir in virum, orabunt pro illo Dominum: sin autem Domino peccaverit, quis pro illo orabit?* (*Ibid.* 24. *et* 25.) Et certè plena sunt gravitatis, reverentiæ, ac ponderis hæc verba, et quæ recuperare, atque ad statum vitæ melioris revocare possent eum qui penitùs excors et amens non esset. Quippè sceleris immanitatem indicant, et quàm sit metuendum et cavendum admonent, et quæ illud pœna subsequebatur ostendunt, gravissima scilicet et intolerabilis. Verùm quia non omnia quæque fuerant agenda molitus est, et ipse cum illis unà periit. Namque et minas ille audere debuerat, et à suo eos conspectu amovere, atque abdicare etiam et verberibus afficere, mulloque illis graviùs et duriùs instare. Quia igitur nihil horum egit, verborumque tantùm monitis contentus fuit, et illis et sibi ipsi Deum adversum infestumque constituit: cumque improbè et intempestivè filiis parceret, et suam simul et illorum salutem perdidit... Noverat quòd maledicerent filii ejus Deo, et non corripiebat eos: certè corripuerat, sed hanc Deus pro correptione non suscipit: adeò illum quòd vehementiâ, et invectione caruisset, reprehendit.... *Juravi enim*, inquit, *domui Heli, si peccatum istud de domo Heli expiabitur, sive incenso, sive sacrificiis usque in æternum.* (*Id.* III. 14.) Videstine ingentem indignationem, cruciatumque vehementissimum, et omninò spe veniæ exclusum? Prorsùs, inquit, illum perire necesse est, nec ipsum modò, vel ejus filios, verùm cum illo domum quoque universam, nullumque medicamentum erit, quod vulnus istud curare possit: quanquam seni illi præter filiorum neglectionem nihil, quod crimini daret habuit Deus.

Homil. 9. *in* 1. *ad Timoth. cap.* 3. *in morali.* Audite ista parentes. Ac prorsùs aspicite hujusmodi educationem magnorum præmiorum causam fore.... Neque enim parvi meriti est, indultos nobis à Deo liberos, ad ipsius exercere militiam eique ab ipsis infantiæ pannis dedicare. Nam si hujuscemodi educationis fundamenta jecerint, maximis afficiendi sunt præmiis: quemadmodum si neglexerimus, gravissimis cruciatibus. Nampè enim et Heli propter filios periit (1. *Reg.* II. *et* IV.): illos quippe cùm acriùs coercere debuisset, verbis tandem lenibus monuit. Quocirca tum illis molestus esse severâ increpatione recusat, et illos et seipsum unà perdidit. Audite hæc patres, vestrosque filios in disciplina et correptione Domini erudite summa cum diligentia. Est enim juventus fera, paucisque indiget institutoribus, magistris, pædagogis, asseclis atque nutritoribus. Votique res est post adeò exactam diligentiam, eam coërcere posse, non secùs quàm equus quidam indomitus, veluti fera bestia. Hujusmodi quippè juventus est. Si igitur illi ab ipsis statim initiis, atque à prima ætate leges optimas imponamus, minimum post hac laborabimus: verùm consuetudo ipsa virtutis in legem transiet. Nihil eos agere permittamus ex his quæ noxiè jucunda sunt, neque illis ut pueris, indulgeamus: atque ante omnia illos in pudore, et sobrietate servemus, quippè huic inimica libido omnium maximè hujusmodi turbat ætatem. Ad hoc igitur vitium compescendum magnis nobis sudoribus, magnaque intentione opus est; maturè illos matrimonio jungamus, ut mundaque integra illorum corpora sponsæ admoveantur. Hujusmodi quippe amores ferventiores sunt. Atque is qui ante nuptias pudicitiæ studuit, longè magis posteà pudicus erit: qui autem assueverit ante nuptias secularì, etiam post nuptias istud faciet.... Admoneamus igitur illos, corripiamus, terreamus, minasque intentemus et modò istud, modò illud faciamus.

Proverb. XIII. 24. Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. (*Eccli.* XXX. 1.)

6. Sic omnibus eorum actibus invigilandum, ut super custodiantur ad oculum; nec quidquam sine teste ab iis fieri sinatur. (H)

XXII. 15. Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam.

XXIII. 13. Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur. 14. Tu virgâ percuties eum: et animam ejus de inferno liberabis.

XX.X. 15. Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. 16. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera: et justi ruinas eorum videbunt. 17. Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ.

ECCLI. XXX. 1. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. (*Prov.* XIII. 24. *et* XXIII. 13.) 2. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriabitur. 3. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, et in medio amicorum gloriabitur in illo. 4. Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. (*Deut.* VI. 7.) 5. In vita sua vidit, et lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. 6. Reliquit enim defensorem domûs contra inimicos, et amicis reddentem gratiam. 7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, et super omnem vocem turbabuntur viscera ejus. 8. Equus indomitus evadit duros, et filius remissus evadet præceps. 9. Lacta filium, et paventem te faciet: lude cum eo, et contristabit te. 10. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescent dentes tui. 11. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius. 12. Curva cervicem ejus in juventute (*Eccli.* VII. 25.), et tunde latera ejus dum infans est, ne fortè induret, et non credat tibi, et erit tibi dolor animæ. 13. Doce filium et operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.

EPHES. VI. 4. Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, et correptione Domini.

COLOS. III. 21. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

(H) S. HIERON. *Epist.* 57. *aliàs* 7. *ad Lætam, paulò ante medium.* Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciva, non garrula; habeat modestam gerulam, nutritium gravem.... Heli Sacerdos offendit Deum ob vitia liberorum. Episcopus fieri non potest qui filios habuerit luxuriosos, non subditos. (1. *Reg.* I. *et* IV.) At è contrario de muliere scribitur, quòd *salva fiet per filiorum generationem* (1. *Tim.* III. 4. 1. *Tim.* II. 15.), si permanserint in fide et charitate et sanctificatione cum pudicitia. Si perfecta ætas et sui juris imputatur parentibus, quantò magis lactens et fragilis, quæ juxta sententiam Domini, ignorat dexteram et sinistram, id est, boni et mali differentiam? Si sollicita provides, ne filia perculiatur à vipera; cur non eadem curâ provideas, ne feriatur à malleo universæ terræ? ne bibat de aureo calice Babylonis? ne egrediatur cum Dina, et velit videre filias regionis alienæ? (*Gen.* XXXIV. 1.) Ne ludat pedibus, ne trahat tunicas? Venena non dantur, nisi melle circumlita: et vitia non decipiunt, nisi sub specie umbraque virtutum. Et quomodo, inquies, peccata patrum filiis non reddantur, nec filiorum parentibus (*Deut.* XXIV. 16.): sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur? Hoc de his dicitur, qui possunt sapere, de quibus in Evangelio scriptum est: *Ætatem habet, loquatur pro se.* (*Joan.* IX. 21.) Qui autem parvulus est, et sapit ut parvulus, donec ad annos sapientiæ veniat, et Pythagoræ littera eum perducat ad bivium, tam bona ejus quàm mala parentibus imputantur. Postquam grandiuscula esse cœperit, et in exemplum sponsi sui crescere sapientiâ, ætate et gratiâ apud Deum et homines, pergat ad templum veri Patris cum parentibus suis; sed cum illis non egrediatur è templo. Quærant eam in itinere seculi inter turbas et frequentiam propinquorum, et nusquam alibi reperiant, nisi in adyto Scripturarum, Prophetas et Apostolos de spiritualibus nuptiis sciscitantem. Imitetur

7. Præficiantur illis Magistri et Præceptores summo studio delecti, quos et laudabilis vita et religionis notitia, studium, amor, observantia plurimùm commendent. (1)

Mariam, quam Gabriël solam in cubiculo suo reperit (*Luc.* I. 26. 28.): et ideò forsitan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, aspexit. Æmuletur eam de qua dicitur: *omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* (*Ps.* XLIV. 14.) Loquatur et ipsa è lecto, charitatis jaculo vulnerata: *Introduxit me rex in cubiculum suum.* (*Cant.* I. 3. *Cant.* III. 3.) Nunquam exeat foràs ne inveniant eam qui circumeunt civitatem; ne percutiant et vulnerent, et auferant theristrum pudicitiæ, et nudam in sanguine derelinquant: quin potiùs cùm aliquis ostium ejus pulsaverit, dicat: *Ego murus, et ubera mea turris: lavi pedes meos, non possum inquinare eos....* (*Cant.* VIII. 10. *Cant.* V. 3.) Te habeat magistram, te rudis imitetur infantia. Nihil in te et patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Memento vos parentes virginis, et magis eam exemplis doceri posse, quàm voce. Citò flores pereunt, citò violas et lilium et crocum pestilens aura corrumpit. Nunquam absque te procedat in publicum. Basilicas Martyrum et Ecclesias sine matre non adeat. Nullus ei juvenis, nullus cincinnatus arrideat. Vigiliarum dies et solemnes pernoctationes sic virguncula nostra celebret, ut ne transverso quidem ungue à matre discedat. Nolo de ancillulis suis aliquam plus diligat, cujus crebrò auribus insusurret. Quidquid uni loquitur, hoc omnes sciant. Placeat ei comes, non compta atque formosa, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur; sed gravis, pallens, sordidata, subtristis. Præponatur ei probæ fidei, et morum ac pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat et assuescat exemplo ad orationes et Psalmos nocte consurgere: mane Hymnos canere, tertiâ, sextâ, nonâ horâ stare in acie quasi bellatricem Christi; accensaque lucernaculâ reddere sacrificium vespertinum. Sic dies transeat, sic nox inveniat laborantem.... Si quando ad suburbana pergis, domi filiam non relinquas: nesciat sine te, nec possit vivere; et cum sola fuerit pertimescat. Non habeat colloquia secularium, non malarum virginum contubernia. Non intersit nuptiis servulorum, nec familiæ perstrepentis lusibus misceatur.... Respondebis: Quomodo hæc omnia mulier secularis, in tanta frequentia hominum, Romæ custodire potero? Noli ergo subire onus, quod ferre non potes: sed postquam ablactaveris eam cum Isaac: et vestieris cum Samuële, mitte aviæ et amitæ. Redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ, et cunis Jesu vagientis impone. Nutriatur in Monasterio: sit inter virginum choros; jurare non discat; mentiri sacrilegium putet: nesciat seculum, vivat Angelicè, sit in carne sine carne, omne hominum genus sui similе putet. Et ut cætera taceam, certè te liberet servandi difficultate, et custodiæ periculo. Melius est tibi desiderare absentem, quàm payere ad singula, quid loquatur, cum quo loquatur, cui annuat, quem libenter adspiciat. Trade Eustochio parvulam, cujus nunc et ipse vagitus pro te oratio est. Trade comitem sanctitatis, futuram hæredem. Illam videat, illam amet, illam primis miretur ab annis cujus et sermo, et incessus, et habitus, doctrina virtutum est. Sit in gremio aviæ, quæ repetat in nepte, quidquid præmisit in filia: quæ longo usu didicit nutrire, servare, docere virgines: in cujus corona centenarii quotidiè numeri castitas texitur.

(1) S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 9. *in* 1. *ad Timoth. in morali.* Magnum habemus, pretiosumque depositum, filios; ingenti illos servemus curâ atque omniâ faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At verò nunc contra penitùs facimus. Nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum studio tradimus, et agasonem, atque mulionem, procuratoremque ac dispensatorem qui nobis magnâ benevolentiâ afficiatur, inquirimus: cæterùm quod nobis charissimum est omnium, omninò negligimus; neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipsius tueri ac servare pudicitiam possit? et certè nulla nobis possessio, nullus fundus, æquè nobis gratus atque charus esse debet, quippè hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis cura est possessionum, quàm eorum quorum illæ gratia comparantur: quod profectò absurdissimum, atque

8. Cavendum ne discant quidquam eorum quibus fovetur vanitas et *spiritus hujus mundi*, *quem nos non accepimus*, inquit Apostolus. (1. *Cor.* II. 12.)

9. Cavendum denique ut pueri, ubi discretionis annos attigerint, soli dormiant, suusque sit singulis lectus. Quod et in puellis observandum.

I. Quomodo parentes gerere se debent erga liberos, ubi jam adoleverint?

R. 1. Id sibi in animum inducant, pudore et liberalitate liberos, saltem adolescentiores, retinere satius esse quàm metu. Itaque mitiùs agendum cum ipsis, ne fortè ad iracundiam provocentur. (K)

2. Neque tamen sic indulgendum ipsis, ut omnia sibi licere putent. Instituendi sunt *in disciplina et correptione Domini*, inquit Apostolus. (*Ephes.* VI. 4.) Si quando frigidè excipiendi vel corrigendi; videndum ut id ex charitate fiat, urgente ratione, nec ex ullo iracundiæ impetu.

3. Ubi id ætas tulerit providendum, ut pro ratione conditionis, et indolis, et ingenii probè, honestè et Christianè collocentur. Cavendum autem ne id fiat ex cupiditate, neve ipsis illa vitæ ratio quæratur, in qua difficilior esset ad salutem via. (L)

stolidissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem, atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus. Nam si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Vis filium relinquere divitem? Bonum illum, ac benignum esse doce; ita enim etiam rem familiarem auctiorem facere poterit.... Filiis non ritè institutis præstat pauperes esse, quàm divites. Paupertas enim vel invitos coërcet, atque intra virtutis limites continet: opes verò ne volentes quidem pudicè temperanterque vivere sinunt: verùm exorbitare faciunt, atque pervertunt, malisque innumeris subjungunt.

S. HIERON. *Epist.* 57. *aliàs* 7. *ad Lætam.* Magister probæ ætatis et vitæ, eruditionisque est eligendus: nec puto erubescet vir doctus, id facere in propinqua, vel in nobili virgine quod Aristoteles fecit in Philippi filio ut ipse librariorum utilitate initia traderet litterarum. Nec sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt. Ipse elementorum sonus, et prima institutio præceptorum, aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur. Undè et tibi est providendum, ne ineptis blanditiis feminarum dimidiata dicere verba filia consuescat, et in auro atque purpura ludere: quorum alterum linguæ, alterum moribus officit: ne discat in tenero, quod ei posteà dediscendum est. Gracchorum eloquentiæ, multum ab infantia sermo matris contulisse scribitur. Hortentii oratio in paterno sinu coaluit. Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum colorem revocet? Rudis testa diù et saporem retinet et odorem, quo primùm imbuta est. Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum regem, orbisque dominatorem, et in moribus et in incessu, Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis quibus adhuc parvulus fuit infectus. Proclivis est enim malorum æmulatio: et quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia.

(K) EPHES. VI. 4. Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.

COLOSS. III. 21. Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

(L) S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 5. *in* 1. *ad Thess. cap.* IV. Cùm puer creverit, antequam sectetur malitiam, et nullum aliud vitæ genus, de

4. Cavendum ne inviti adigantur ad aliquod vitæ institutum.

5. Ut servetur inter fratres concordia, videant parentes ne alterum præ alio diligant; servent quantùm fieri potest et quantùm jura sinunt inter ipsos æqualitatem. (M)

ejus matrimonio curam gere. Et si ille viderit quòd sponsam citò ad eum adducis, et quòd breve tempus intercedat, fortiter poterit ferre flammam. Sin autem in mentem venerit quòd sis socors, et negligens, cunctarisque et exspectas dum magnos proventus sis possessurus, et tunc ei parabis nuptias, ob temporis longitudinem animum despondens, citò labetur ad scortationem. Sed heu et hic quoque malorum radix est avaritia? Quoniam enim nemini curæ est quomodo castus ac modestus sit filius, sed in aurum insaniunt omnes, ideò nemo quoque rem istam curat. Proindè adhortor ut primùm animos ipsorum componatis. Si sponsam castus accesserit filius, si illa corpus solius mariti norit, et vehemens erit desiderium, et timor Dei major, honestæque reverâ erunt nuptiæ, munda et immaculata corpora conjungentes, et qui ex illis nascentur liberi, multâ erunt benedictione referti, obtemperabuntque sibi invicem sponsus et sponsa. Aliorum enim mores cùm utrique non sint experti, subjicientur et obsequentur sibi invicem. Nulli est curæ quomodo temperans, et modestus fiat filius; sed tenentur omnes insano auri amore, hac de causa huic rei nemo studet... Ad vitæ enim societatem, et liberorum procreationem viro fuit desponsa, non ad turpitudinem et risum; ut domum custodiat, ut illum quoque erudiat esse honestum et gravem, non ut ipsi exhibeat fomenta scortationis.

Homil. 9. *in Epist.* 1. *ad Timoth. in morali. Vide suprà hocce* §. *litt.* (G)

(M) GENES. XXXVII. 3. Israël autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam. 4. Videntes autem fratres ejus quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.... 11. Invidebant ei igitur fratres sui.... 12. Cùmque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem. 13. dixit ad eum Israël: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos... 17. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothain. 18. Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos: cogitaverunt illum occidere: 19. Et mutuò loquebantur: Ecce somniator venit: 20. Venite, occidamus eum et mittamus in cisternam veterem: dicemusque, Fera pessima devoravit eum: et tunc apparebit quid ei prosint somnia sua... 23. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunicâ talari, et polymitâ. 24. Miseruntque in cisternam veterem quæ non habebat aquam... 28. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaëlitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum... 36. Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militum.

S. AMBROS. *de Joseph Patriarcha, cap.* 2. *n.* 5. Instruimur igitur qualis esse debeat affectus parentum, filiorumque gratia. Amare liberos dulce, et impensiùs amare prædulce: sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis; si aut nimiâ dilectum resolvat, aut prælatione unius cæteros ab affectu germanitatis avertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris si propter fundum, aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam in Jacob sancti filios exarsit invidia.

De Jacob et vita beata lib. 2. *cap.* 2. *n.* 5. Sed nec parentes nobis inexcusati relinquendi sunt, quòd juniorem filium seniori prætulerint. Simul cavendum, ne quis dum eorum intendit exemplo, iniquum inter filios habeat judicium; ut alterum diligendum putet, alterum posthabendum. Hinc enim excitantur odia fraterna, et de vilis incremento pecuniæ faciuus parricidale componitur. Eadem foveat prolem mensura

I. Quæ sunt specialia matrum officia in filias adolescentiores?

R. 1. Videant ne sectentur *vanitates et insanias falsas* (*Ps.* XXXIX. 5.) : ne patiantur eas superfluo cultu corporis delectari.

2. Ne sinant eas interesse choreis, ludis, spectaculis, aliisve profanis conventibus.

3. Arceant eas à jocis, à publicis deambulationibus, à consortio virorum adolescentium : imò et puellarum cæterarumve mulierum quarum videtur conversatio parùm Christiana.

4. Assuefaciant eas maturiùs et curæ rei familiaris et domesticæ. Ne sinant eas torpere otio, vel rebus futilibus occupari. Proponant ipsis sæpiùs exemplum mulieris fortis, de qua agitur cap. 31. Proverbiorum. (N)

pietatis. Esto tamen, ut aliquid sibi ampliùs circa blandiorem aut similiorem rapiat affectus, par debet circa omnes esse forma justitiæ. Plus confertur dilectio, cui fratrum amor quæritur : plus autem adimitur ei, qui prælationis injustæ oneratur invidiâ.... Minitabatur Esaü quòd fratrem suum occideret (*Gen.* XXVII. 41.), nec fraterna eum germanitas, nec parentum reverentia à parricidali furore revocabat ; et dolebat sibi benedictionem esse prærepiam, cujus utique dignum se mansuetudine debebat probare, non scelere.

N. 6. Sed et Rebecca non quasi filium filio, sed quasi justum præferebat injusto. Etenim apud matrem piam mysterium pignori præponderabat : illum non tam fratri præferebat, quàm offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse servare ; in quo et alteri consulebat quem divinæ subducebat offensæ ; ne graviore implicaretur reatu, si acceptæ gratiam benedictionis amitteret.

N. 7. Accipe tamen bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum, pater judicium. Mater circa juniorem teneræ pietate propendeat : pater circa seniorem naturæ honorificentiam servet. Hic magis honoret, illa plus diligat : dum singuli singulos fovent, non in unum uterque conspirent, defraudent alterum. Fiat æqualitas inter diversa certamina, et disparibus studiis par utrique ac æqualis parentum amor et gratia conferatur : compenset alter, quod alter imminuit. Sic pio affectu Isaac Patriarcha et sancta Rebecca certabant, ut neutrum inferiorem facerent, sed utrumque æqualem.

(N) PROVERB. XXXI. 10. Mulierem fortem quis inveniet ? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. 11. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. 12. Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ. 13. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. 14. Facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum. 15. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. 16. Consideravit agrum, et emit eum : de fructu manuum suarum plantavit vineam. 17. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. 18. Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus : non exstinguetur in nocte lucerna ejus. 19. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. 20. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. 21. Non timebit domui suæ à frigoribus nivis ; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. 22. Stragulatam vestem fecit sibi : byssus, et purpura indumentum ejus. 23. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. 24. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo. 25. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. 26. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. 27. Consideravit semitas domûs suæ, et panem otiosa non comedit. 28. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt : vir ejus, et laudavit eam. 29. Multæ filiæ congregaverunt divitias : tu supergressa es universas. 30. Fallax

5. Accendant in cordibus earum studium orationis, lectionis sacræ, et eorum omnium quæ pertinent ad Dei cultum, vel pauperum curam.

6. Caveant omninò ne illæ agant cum quoquam familiariùs, ne indulgeant sibi nimiùm, ne sensim in vitia propendeant.

7. Habeant eas pro sororibus; agant cum eis benignè; reddant eis vitium odiosum, virtutis studium delectabile. Nunquam exhibeant se iracundas, impotentes animi, morosas, difficiles; servent coram ipsis in moribus æqualitatem, suavitatem; ne corrigant eas unquam cæco impetu, ne præposterè reprehendant: Teneant in omnibus cum ipsis rectæ rationis modum.

8. Ne cogant eas invitas sive ad Matrimonium sive ad vitæ religiosæ institutum.

9. Si Matrimonium eligant, quærantur ipsis viri cordati, religione et pietate commendabiles.

10. Ne tradantur instituendæ monasteriis Monialium, vel aliis piis in domibus; nisi constet priùs de pietate et recta instituendæ juventutis ratione, quæ in illis domibus servetur.

11. Si velint virginitatem Deo consecrare et amplecti vitæ regularis institutum; probetur primùm earum intentio et vocatio diligenter. Ad probationem hanc adhibeantur viri pii et illis in rebus plurimùm experti. Et si quidem ad illud institutum vitæ vocentur, immolentur Deo sacræ victimæ forti et constanti animo à parentibus. (O)

gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur. 31. Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera ejus.

S. Hieron. *Epist.* 57. *aliàs* 7. *ad Lætam, circa medium.* Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Breve videbitur tempus, quod tantis dierum varietatibus occupatur. Discat et lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere. Spernat bombycum telas, serum vellera, et aurum in tela lentescens. Talia vestimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.

(O) *Hæc omnia piè tractantur et fusè probantur in libro DD. Abbatis* de Fenelon, *post Archiepiscopi Cameracensis, Gallicè scripto sub hoc titulo:* De institutione virginum: De l'éducation des filles; *quem adire potes.*

S. Joan. Chrysost. *In Epist. Paul. ad Timoth. 1. cap. 3. Homil. 9. in Morali.* Matres item, filiarum vobis curam assumite, est ea cura vobis perfacilis. Curate sollicitè, ut domi jugiter sint. Ante omnia pias esse, religiosasque docete, aspernari pecunias, exteriorisque ornatûs contemptrices esse, atque ita demùm nuptiis tradite. Eas si ita instituetis, non ipsas modò servabitis, verùm et viros qui illas ducturi sunt, neque viros tantùm, sed etiam filios atque nepotes. Quippè ex radice optima surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horumque omnium merces vobis reddenda est. Non igitur tanquam unius animæ commodis prospicientes, sed ut plurimis per unam consulentes, magno cum studio omnia faciamus. Ita nempe paternâ domo decet progredi virginem, ac matrimonio jungi, quemadmodum ex palæstra luctatorem, ut omnem diligentissimè rei familiaris peritiam habeat: sitque veluti fermentum, quod massam omnem in suam transfert pulchritudinem. Filii quoque adeò verendi sint præ morum honestate, et singulari pudicitiæ laude, ut ab hominibus, et à Deo laudes mereantur.

I. Quâ ratione gerere se debent parentes, in facienda partitione bonorum inter liberos ?

R. 1. Caveant sibi parentes ab avaritia, quæ subindè subrepit sub specie collocandi liberos (P), in eo statu qui con-

(P) Habac. II. 9. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali. 10. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, et peccavit anima tua. 11. Quia lapis de pariete clamabit : et lignum, quod inter junctures ædificiorum est, respondebit. 12. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate. (*Ezech.* XXIV. 9. *Nahum.* III. 1.)

S. Basil. *Homil.* 21. *tom.* 1... Ne filios tuos avaritiæ causam facias. Filios habes ? Eis thesaurum sempiternum thesauriza. Thesaurus namque pecuniæ pietas est. Relinque bonam filiis memoriam, magis quàm divitias multas. Fac omnes filio tuo ratione pietatis ac beneficentiæ pares. Si bonus honestusque fueris, quilibet ex te descendentem utisuum nutriet... Doce miser bonis et verbis et exemplis, quales eos erga Deum oporteat esse... Hæc hæreditas bona à patre filiis relicta.

S. Joan. Chrysost. *in Epist. ad Rom. cap.* III. *Homil.* 7. *in Morali.* Charitatem igitur cùm exhibuerimus, indigentibus pecunias cùm largiti fuerimus, debitum implemus non solùm quòd ille prior beneficus in nos fuerit, sed quòd quæ illius sunt distribuimus, si quando damus. Quid te igitur iis privas, quorum ille dominum esse te voluit ? Ob hoc enim jussit ut tu eas pecunias alteri dares, ut tu eas haberes. Quandiù enim tu solus eas retines, ne ipse quidem tenes : cùm autem et alteri das, tumetipse eas capis. Num quidquam est, quod amorem hunc exæquare queat ? Ipse sanguinem pro inimicis effudit, nos autem ne pecunias quidem pro eo qui de nobis benè meritus est : ipse sanguinem suum, nos autem ne pecunias quidem ad nos minimè spectantes damus ; ipse ante nos, nos autem ne post ipsum quidem : ipse pro nostra salute, nos autem ne pro nostro quidem commodo. Nihil enim quidquam illi accedit ex nostra benignitate, verùm lucrum ipsum totum ad nos ad postremum revertitur. Propterea enim jubemur pecunias dare, ut ne iis excutiamur... Quid igitur nobis est immanius, qui ne post tot promissiones quidem sustinemus ipsi mutuò dare ? Propterea enim solitarii, nudi, ac pauperes ad eum discedimus, pecuniis iis amissis, quæ nobis concreditæ fuerant, quòd eas non deponimus apud eum qui accuratissimè omnium asservare potest : quo nomine extremas pœnas luituri sumus. Quid enim in judicium tracti dicere ipsi poterimus pro illarum amissione ? Quam causam, quam defensionem prætendere ? Quamobrem enim non dedisti ? Diffidis te rursùs eas accepturum : qui verò id ratione conslet ? Nam qui ei dedit, abs quo non acceperat, nonne multò magis, cùm acceperit, daturus est... At me, inquis, liberorum chorus circumsistit, atque ego illos divites relinquere aveo. Quorsùm igitur illos pauperes efficimus ? Nam illis omnia si reliqueris, rursùs incertæ custodiæ tua omnia committis : qui si illis Deum relinquis cohæredem ac curatorem, infinitos thesauros relinquis. Quemadmodum enim cùm de nobismetipsis ultionem sumimus, nobis tum Deus non opitulatur, cùm autem illius arbitratui rem permittimus, tum exspectationem nostram rei exitus superat : sic et in pecuniarum ratione usu venit. Si nostram in eis cogitationem fixerimus, desinit ille de illis curam habere : sin illi negotium totum commiserimus, fiet, ut et illas, et liberos item in omni securitate collocet. Porrò quid admiraris si in ipso Deo hoc usu venit ? Etenim et idipsum quoque in ipsis hominibus evenire videmus. Nam si moriens propinquorum neminem ad liberorum tuorum curam suscipiendam vocaveris, pudore ac verecundiâ suffunditur persæpè, vel qui admodum tutelæ suscipiendæ cupiens est, quominùs ultrò ad eam accurrat : qui si in illum curam hanc rejeceris, is ut cui honos hic à te habitus fuerit, voluntati tuæ magnoperè satisfaccre curabit. Itaque si liberis tuis magnas opes relinquere vis, Dei providentiam relinquito. Nam qui nullum tuum opus cùm exstaret, tibi et animam dedit, et corpus formavit, et vitam item largitus est : is ubi te tale tantumque studium præstare, tum autem liberorum tuorum facultates unà cum ipsis liberis sibi impertiri viderit,

ditionem deceat. Ideoque sumant omninò sibi hoc SS. Augustini et Hieronymi consilium, ut qualem bonorum suorum portionem singulis suis liberis et impendunt quotannis, et sunt post mortem relicturi, talem vel pauperibus vel in alios pios usus et impendant quotannis, et testamento relinquant. (Q)

nonne illis divitias suas omnes adaperiet? Etenim si Elias tenui farinâ nutritus, posteaquam vidit mulierculam illam se sic excipere, sic amplecti, ut vel propriis liberis anteponeret, tantam in viduæ domo bonorum abundantiam exhibuit, ut inibi et area tritico, et torcular vino exundaret (3. *Reg.* XVII. 11. *et seq.*): cogitato quantam Eliæ Dominus benignitatem exhibiturus est. Absit igitur ut hoc consideremus, quemadmodum liberos relicturi simus divites, sed quemadmodum virtute præditos. Nam si opibus confisi fuerint, nullius rei alterius curam suscepturi sunt, ut qui habituri sint undè morum pravitatem adumbrare possint: nempè à facultatum abundantiâ. Qui si viderint sese illo solatio atque auxilio destitutos, omnem operam navabunt, ut virtute ipsâ magnum paupertati solatium acquirant. Ne igitur opes illis relinquas, ut virtutem relinquas: nam summæ quidem est amentiæ, illis dum vivimus facultatum omnium nostrarum dominium non permittere: ab obitu verò nostro magnam juventutis levitati licentiam relinquere. Quanquam dum vivimus ipsi, possumus quidem eos ad rationis calculos vocare, facultatibus non rectè utentes emendare, ac cohibere, vitâ verò functi, si unà cum orbitate ac juventute, et opum quoque licentiam addiderimus, fiet profectò, ut in infinita præcipitia miseros illos ac calamitosos impellamus, ignem igni adjicientes, et oleum foco instillantes. Quapropter si illos citra periculum vis divites relinquere, relinquito eis Deum debitorem, ipsique Deo has testamentarias tabulas porrigito. Nam pecuniæ tuæ si ad liberos tuos devenerint, ne hi quidem scient cuinam largituri eas sint. Quin potiùs in sycophantarum et quidem ingratorum manus incident. Qui si anteverteus illas Deo mutuas dederis, incolumis in posterum thesaurus manebit, ac nullo certè negotio subsequetur mutui redditio. Nam gratiam habet Deus et cùm nobis debet, et cùm dependit: libentiusque fœneratores suos contuetur, quàm eos à quibus nihil mutuò accepit: ac quibus maximè ille debet, hos et maximè amat.

Homil. 9. *in* 1. *ad Timoth. Vide suprà hocce* §. *litt.* (I)

(Q) S. HIERON. *Epist.* 92. *ad Julian. alias* 34. Quondam dives adolescens omnia quæ in lege præcepta sunt, se implesse jactabat. Ad quem Dominus in Evangelio (*Matth.* XIX. 21.): *Unum*, inquit, *tibi deest: si vis perfectus esse: vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus: et veni, sequere me.* Qui omnia se fecisse dicebat, in primo certamine divitias vincere non potest. Undè et difficile intrant divites in regna cœlorum (*Ibid.* 23.): quæ expeditos, et alarum levitate subnixos, habitatores desiderant. *Vade*, inquit, *et vende* non partem substantiæ, *sed universa quæ possides, et da pauperibus:* non amicis, non consanguineis, non propinquis, non uxori, non liberis: plus aliquid addam: Nihil tibi ex omnibus metu inopiæ reservans, ne cum Ananiâ damneris, et Saphirâ (*Act.* V. 11.); sed da cuncta pauperibus, *et fac tibi amicos de iniquo mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula*, * (*Luc.* XVI. 9.) ut me sequaris, ut Dominum mundi, possessionem habeas; ut possis canere cum Propheta: *Pars mea Dominus* (*Psal.* XV. 5. *et* LXXII. 26.), et ut verus Levita nihil de terrena hæreditate possideas. Et hoc hortor; si vis esse perfectus: si Apostolicæ dignitatis culmen cupis; si sublatâ Cruce Christum sequi; si apprehenso aratro non respicere post tergum; si in sublimi tecto positus, pristina vestimenta contemnis: et ut evadas Ægyptiam dominam, seculi pallium derelinquas. Undè et Elias ad cœlorum regna festinans, non potest ire cum pallio: sed mundi in mundo vestimenta dimittit. Sed hoc ais, Apostolicæ dignitatis est, et ejus qui velit esse perfectus. Cur autem et tu nolis esse perfectus? Cur qui in seculo primus es, non in Christi familia primus sis? An quia uxorem habueris? Habuit et Petrus, et tamen cum reti eam et navicula dereliquit. Providentissimus Dominus et omnium

salutem desiderans, malensque pœnitentiam peccatoris quàm mortem, abstulit tibi hanc excusationem, ut non illa te retrahat ad terras, sed tu eam sequaris ad paradisi regna trahentem. Bona liberis pares, qui te ad Dominum præcesserunt; ut partes eorum non in divitias sororis proficiant, sed in redemptionem animæ tuæ, atque alimenta miserorum. Hæc monilia filiæ tuæ à te expetunt; his gemmis ornari capita sua volunt. Quod periturum erat in serico, vilibus pauperum tunicis servetur. Repetunt à te partes suas; juncta sponso nolunt videri pauperes et ignobiles, propria ornamenta desiderant.

Epist. 7. *ad Hedib. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 170. *aliàs* 150. Dicunt Apostoli se omnia quæ sua fuerant dimisisse, et mercedem pro hac virtute audacter expescunt. Quibus respondit Dominus: (*Matth.* XIX. 29.) *Omnis qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios*, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. O quanta beatitudo, pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia; et habere Dominum debitorem! Si qua autem vidua habet liberos, et maximè si nobilis familiæ est, egentes filios non dimittat, sed ex qualitate ut meminerit primùm animæ suæ et ipsam putet esse de filiis: et partiatur potiùs cum liberis, quàm omnia filiis derelinquat; immò Christum liberorum suorum faciat cohæredem.

S. AUG. *Serm.* 9. *de decem Chord. aliàs* 96. *cap.* 12. *n.* 20. Noli parcere thesauris caducis, thesauris vanis. Noli sub imagine pietatis augere pecuniam. Filiis meis servo: magna excusatio, Filiis meis servo. Videamus: servat tibi pater tuus, servas tu filiis tuis, filii tui filiis suis, et sic per omnes, et nullus facturus est præcepta Dei. Quare non illi potiùs impendis omnia, qui te fecit ex nihilo? Qui te fecit, ipse pascit et filios tuos. Neque enim melius committis filios tuos patrimonio tuo quàm Creatori tuo. Et mentiuntur quidem homines. Mala est avaritia: palliare se volunt nomine pietatis, et dealbare, ut quasi propter filios videantur servare homines, quod propter avaritiam servant. Nam ut noveritis quia sic plerumque contingit, dicitur de quoquam, Quare non facit eleemosynam? Quia servat filiis suis. Contingit ut amittat unum: si propter filios servabat, mittat post illum partem suam. Quare illam tenet in seculo, et illum relinquit ab animo? Redde illi quod suum est, redde quod illi servabas. Mortuus est, inquit, sed præcessit ad Deum, pars ipsius pauperibus debetur; illi debetur, ad quem perrexit; Christo debetur, ad ipsum enim perrexit: et ipse dixit, Qui uni ex minimis istis fecit, mihi fecit, et qui uni ex minimis istis non fecit, mihi non fecit. (*Matth.* XXV. 40. *et* 45.) Sed quid dicis? Servo fratribus ipsius. Si viveret ille, non erat cum suis fratribus divisurus? O fides mortua! Mortuus est enim filius tuus? Quidquid dicas, mortuo debes quod vivo servabas. Mortuus est filius meus, sed tamen partem filii mei servo fratribus ipsius. Sic credis quia mortuus est? Si pro illo Christus mortuus non est, mortuus est ipse: si autem est in fide, vivit filius tuus. Vivit prorsùs; non decessit, sed præcessit. Quà fronte venturus es ad filium tuum qui præcessit, cui præcedenti non mittis partem suam in cœlum? An non potest mitti in cœlum? potest prorsùs. Audi ipsum Dominum dicentem, *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* (*Matth.* VI. 20.) Si ergo ille thesaurus melius custoditur in cœlo, nunquid tunc non mittendus est filio, quando si missus fuerit, non peribit? Tenebitur hic ubi potest perire, non mittitur illuc ubi Christus est custos? Certè ea quæ hic tenes, et non vis mittere post filium tuum, quibus commendas? Actoribus tuis commendas illius partem qui præcessit, et Christo non commendas ad quem præcessit: an idoneus est tibi procurator tuus, minùs idoneus Christus?

Cap. 13. *n.* 21. Videtis, Fratres, quia mendacium est quod dicunt homines, Filiis meis servo. Mendacium est, Fratres mei, mendacium est: avari sunt homines.

Serm. 86. *aliàs de diversis* 43. *de verb. Evang. Matth.* 19. *cap.* 8. *n.* 9. Adhuc senex incurvus, baculo innixus, lucrum quærit, et audivit avarum filium dicentem, Consule in posterum. In quod posterum? Jam exspirans loquitur. Propter filios tuos, inquit. Utinam vel illos senes non avaros haberemus, qui filios non habent. Etiam ipsis, etiam talibus, etiam imi-

quitatem suam nullâ pietatis imagine excusantibus non cessat dicere, Consule in posterum. Sed fortè ipsi citò erubescunt : illos videamus qui filios habent, utrùm certi sint filios suos possessuros esse quæ reliquerint. Intendant cùm vivunt, filios aliorum alios alienis improbitatibus quod habuerant amittentes, alios propriâ nequitiâ quod possederant consumentes : et remanent inopes filii divitum. Parcite nasci servi avaritiæ. Sed possidebunt hoc, inquit, filii mei. Incertum est : non dico falsum est : sed quod feceris, incertum est. Postremò, fac certum : quid eis vis relinquere ? Quod acquisisti tibi.

Cap. 9. *n.* 10. Refutata sunt consilia avaritiæ : sed Dominus eadem dicat, justitia jam loquatur : ipsa erunt verba, non ipsa sententia. Serva tibi, ait Dominus tuus, consule in posterum. Et hunc interroga, ubi servabo ? *Habetis thesaurum in cœlo : ubi fur non accedet, neque tinea corrumpet.* (*Matth.* XIX. 21.)

N. 11. Restat ut dicas, Et quid ago de filiis meis ? Audi et indè consilium Domini tui. Si tibi dicat Dominus tuus, Meliùs ego cogito qui creavi, quàm tu qui generasti : fortè quod dicas non habebis. Sed divitem illum adspecturus es qui tristis abscessit, et in Evangelio reprehensus est : et dices tibi fortè, Ille dives ideò malè fecit non vendere omnia, et dare pauperibus, quia filios non habebat : ego autem habeo filios ; habeo quibus servem. Et in hac infirmitate consistit tibi Dominus tuus.

Cap. 10. Audeam dicere per ejus misericordiam : audeam dicere aliquid, non de meâ præsumptione, sed de ipsius miseratione. Serva et filiis tuis ; sed audi me. Si ut sunt humana, de filiis quisque suis aliquem amiserit : intendite Fratres, intendite, quia avaritia excusationem non habet, neque hîc, neque in futuro seculo. Ecce et humana sunt : non enim optamus, sed exempla conspicimus. Amissus est aliquis Christianus, Christianum filium amisisti : non ergo amisisti, sed præmisisti. Neque enim ille decessit, sed præcessit. Interroga fidem tuam : certè et tu illò iturus es quò ille antecessit. Rem brevem dico, cui puto quòd nemo respondeat. Vivit filius tuus ? Interroga fidem. Si ergo vivit, quare invaditur pars ejus à fratribus ejus ? Sed dices, Nunquid rediturus est, et possessurus ? Mittatur ergo illi quò præcessit ille : ad rem suam venire non potest, res ejus ad eum ire potest. Vide cum quo sit. Si in palatio militaret filius tuus, et amicus Imperatoris fieret, et diceret tibi, Vende ibi partem meam, et mitte mihi : nunquid invenires quid responderes ? Modò cum Imperatore omnium Imperatorum, et cum Rege omnium Regum, et cum Domino omnium Dominorum, est filius tuus : mitte illi. Non dico, necessarium habet ipse : Dominus ipsius, apud quem est filius tuus, eget in terra. Hic vult accipere quod dat in cœlo. Quod facere nonnulli avari solent fac trajectitium : da in peregrinos, quod recipias in patria tua.

Cap. 11. *n.* 12. Postremò jam de te nihil, de filio tuo loquor. Dubitas dare tuum, et reddere alienum : certè convinceris, quia non filiis tuis servabas. Ecce non das filiis tuis, quia tolles filiis tuis. Huic certè tolles. Quare indignus est accipere, quia cum digniore vivit ? Meritò si ille cum quo vivit nollet accipere, jam domui tuæ, sed domui divinæ dives. Absit ergo ut tibi dicam, Da quod habes : sed dico tibi, Redde quod debes. Sed habebunt illud, ais, fratres illius. O mala doctrina, docens filios tuos mortem optare fratribus suis. Si de re fratris sui mortui ditiores erunt, vide quemadmodum se attendant in domo tua. Quid ergo facies ? Patrimonium dividis, et parricidia doces.

N. 13. Sed nolo dicere de uno amisso, ne casus humanos videar minari. Melius quodam modo prosperiusque loquamur. Non dico, Unum minùs habebis, computa quia unum plus habes. Fac locum Christo cum filiis tuis, accedat familiæ tuæ Dominus tuus, accedat ad prolem Creator tuus, accedat ad numerum filiorum tuorum frater tuus. Cùm enim tantùm intersit, et frater esse dignatus est. Et cùm sit Patri unicus, voluit habere cohæredes. Ecce ille quàm largiter ! Tu quare tam steriliter ? Duos filios habes, tertium illum computa : tres habes, quartus numeretur : quintum habes, sextus dicatur : decem habes, undecimus sit. Nolo amplius dicere : unius filii tui serva locum Domino tuo. Quod enim dabis Domino tuo, et tibi proderit et filiis tuis : quod autem malè servas

2. Id curent ut æqualis ferè singulis portio bonorum patrimonialium cedat; nisi causa legitima subsit alium augendi præ alio, vel jure plus uni quàm alteri debeatur. (R)

§. 8. Quæ sint officia Conjugatorum erga famulos

I. Quæ sunt officia conjugatorum erga famulos domesticos?

R. Gerere se debent pro illorum parentibus, et pastoribus, adeoque eos ex corde diligere, eorumque rebus omnibus tam spiritualibus quàm temporalibus providere et consulere. Hoc unum est ex præcipuis conjugatorum officiis, quorum erit ratio in die judicii reddenda. (A)

filiis tuis, et tibi oberit et filiis. Dabis autem portionem unam, quam unus filii deputasti. Deputa te unum ampliùs genuisse.

Enarrat. in Psal. XXXVIII. *n.* 11. *in fine.* Dic mihi, thesaurizas, cui congregabis ea? Dicturus es, Filiis meis servo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis; Filiis meis, inquis, servo.

N. 12. Transis tu, et servas transeunti filio tuo. Primò hoc à te quæro, scis cum possessurum cui servas? aut si nondum natus est, scis nasciturum? Servas filiis, incertum est an futuris, an possessuris: nec reponis thesaurum ubi reponendus est... Certè servire vis avaritiæ: vide ne fortè, et ipsi avaritiæ congruat consilium meum. Habere enim vis quod habes, et non perdere: ostendo tibi locum ubi ponas. Ne thesaurizes in terra, nesciens cui congreges ea, et posteà quemadmodum consumpturus sit qui possidebit, qui tenebit. Fortè enim possessus possidebit, et quod à te habebit non tenebit. Fortè cùm ei servas, antequam ille veniat tu perdes. Sollicitudini tuæ consilium do: Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo... Filios habes: unum plus numera, et da aliquid et Christo.

Enarrat. in Psal. XLVIII. *Serm.* 1. *n.* 14. Ergo felices illi qui relinquunt filios in possessione sua, quibus sui succedunt. Habuit filios, non est mortuus. Quid filii ipsius? Et ipsi servant quod eis reliquerunt parentes sui: parum est quia servant; et augent. Quibus et ipsi servant? Filiis suis, et illi filiis, et tertii filiis. Quid Christo? quid animæ suæ? Omnia filiis? Inter filios suos quos habent in terra, compulent unum fratrem quem habent in cœlo: cui totum dare debebant, vel dividant cum illo.

(R) S. Amer. *lib.* 5. *in Hexameron. cap.* 18. *n.* 58. Feminæ nostri generis citò ablactant etiam illos quos diligunt (*filios*); aut si ditiores sunt lactare fastidiunt. Pauperiores verò abjiciunt parvulos et exponunt, et deprehensos abnegant. Ipsæ quoque divites, ne per plures suum patrimonium dividatur, in utero proprios necant fœtus, et parricidalibus succis in ipso genitali alvo pignora sui ventris exstinguunt, priusque aufertur vita, quàm tradatur. Quis docuit nisi homo filios abdicari? Quis reperit tam immitia Patrum jura? Quis inter naturæ fraterna consortia fratres impares fecit? Unius divitis filii diversà sorte cæduntur. Alius totius paternæ sortis adscriptionibus inundatur: alius opulentæ hæreditatis patriæ deplorat exhaustam atque inopem portionem. Nunquid natura divisit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit, quod ad nascendi atque vivendi possint habere substantiam. Ipsa vos docet non discernere patrimonio, quos titulo germanitatis æquastis. Etenim quibus dedistis communiter esse quod nati sunt, non debetis his, ut id communiter habeant in quod à natura substituti sunt, invidere.

(A) Eccli. VII. 22. Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. 23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.

Ephes. VI. 9. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum, et vester Dominus est in cœlis: et personarum acceptio non est apud eum.

Coloss. IV. 1. Domini, quod justum est et æquum servis præstate: scientes quòd et vos Dominum habetis in cœlis.

1. Timoth. V. 8. Si quis autem suorum, et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

S. CLEMENT ALEXANDR. *Lib.* 3. *Pædagog. cap.* 11. Neque verò tanquam jumentis famulis utendum est, ei qui fuerit sanæ mentis. Quemadmodum enim illis præcipitur, ut *cum omni metu dominis, non solùm bonis et clementibus, sed morosis etiam et pravis*, ait Petrus, *subjiciantur* (1. *Petr.* II. 18.) : ita æquitas, et patientia, et benignitas, dominis pulchrè convenit. In summa, estote, inquit (1. *Petr.* III. 8. *et* 9.), omnes unanimes, misericordes, fratrum amantes, bonis visceribus præditi, humiles.... ut bonæ cujusdam et amabilis benedictionis hæredes sitis.

S. HIERON. *Epist.* 18. *aliàs* 22. *ad Eustochium.* Si quæ ancillulæ sunt comites propositi tui (id est virginitatis), ne erigaris adversùs eas, ne infleris ut domina. Unum sponsum habere cœpistis, simul psallitis. Christi simul corpus accipitis, cur mensa diversa sit? Provocentur et aliæ. Honor virginum, sit invitatio cæterarum. Quòd si aliquam senseris infirmiorem in fide, suscipe, consolare, blandire, et pudicitiam illius fac lucrum tuum.

Epist. 97. *aliàs* 8. *ad Demetriad.* Eunuchorum quoque tibi et puellarum ac servulorum mores magis eligentur quàm vultuum elegantia, quia in omni sexu et ætate ,.... animi considerandi sunt.

S. AUGUST. *Serm.* 94. *aliàs* 51. *de Sanctis.* Ubi reprehenditur Christus, defendite : murmuratoribus respondete, blasphematores corripite, ab eorum vos societate alienate.... Agite vicem nostram in domibus vestris.... Unusquisque ergo in domo sua, si caput est domui suæ, debet ad eum pertinere Episcopatûs officium, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in hæresim incurrant, ne uxor, ne filius, ne filia, ne ipse servus, quia tanti est emptus. (*Ephes.* VI. 5. *et Tit.* II. 9.) Disciplina Apostolica præposuit dominum servo, et servum subdidit domino : Christus tamen pro ambobus unum pretium dedit. Minimos vestros nolite contemnere, domesticorum vestrorum salutem omni vigilantiâ procurate. Hæc si facitis, erogatis : pigri servi non eritis, damnationem tam detestandam non timebitis.

In Psal. L. *ad populum Carthaginensem, n.* 1. Ne saucios et languidos negligatis, sed ut faciliùs sanetis, sani permanere debetis. Corrigite arguendo, consolamini alloquendo, exemplum præbete benè vivendo, aderit eis qui adfuit et vobis.

N. 24. Cum tolerantia vivendum est nobis inter malos : quia cùm mali essemus, cum tolerantia vixerunt boni inter nos. Non obliviscentes quid fuerimus, non desperabimus de his qui nunc sunt quod fuimus. Verumtamen, charissimi, in tanta morum diversitate et tam detestabili corruptela, regite domos vestras, regite filios vestros, regite familias vestras. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi. Amat Deus disciplinam. Perversa autem et falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valdè inutiliter, valdè perniciosè sentit filius patris lenitatem (*vel servus domini*) ut posteà Dei sentiat severitatem : et hoc non solus, sed cum dissolulo patre suo. Quid enim? Si ipse non peccat, et non facit quod filius ejus, ideò non debet ab ipsa nequitia filium prohibere? An fortè ut videatur filio ejus quia et pater talia faceret, nisi senuisset? Peccatum quod tibi non displicet in filio tuo, delectat te; sed ætas deseruit, non cupiditas. Maximè, Fratres mei, filios vestros fideles attendite, quos fide dixistis ut baptizarentur. Sed fortè negligit malus filius vel monita patris, vel objurgationem, vel severitatem : tu imple personam tuam, Deus de illo exigit suam.

S. AUGUST. *Enarr. in Psal.* LXIX. *n.* 7. *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Quare? *Quoniam bonorum meorum non eges.* (*Psal.* XV. 2.) Ille non eget nostri, nos egemus ipsius : ideò verus Dominus. Nam tu non valdè verus dominus servi tui : ambo homines, ambo egentes Deo. Si autem putas egere tui servum tuum, ut des panem; eges et tu servi tui, ut adjuvet labores tuos. Uterque vestrûm altero vestrûm indiget. Itaque nullus vestrûm verè dominus, et nullus vestrûm verè servus.

De Serm. Dom. in monte sec. Matth. lib. 1. *cap.* 19. *n.* 59. Non enim Christianum oportet sic possidere servum, quomodo equum aut argentum : quanquam fieri possit ut majore pretio valeat equus quàm servus, et multò magis aliquid aureum vel argenteum. Sed ille servus, si rectiùs et

honestiùs et ad Deum colendum accommodatiùs abs te domino educatur, aut regitur, quàm ab illo potest qui eum cupit auferre; nescio utrum quisquam dicere audeat, ut vestimentum eum debere contemni. Hominem namque homo tanquam seipsum diligere debet, cui ab omnium Domino.... etiam ut inimicos diligat imperatur.

In Joan. Evang. cap. XII. *Tractat.* 51. *n.* 13. Etiam vos pro modo vestro ministrate Christo, benè vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus quibus potueritis prædicando: ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere. Pro Christo et pro vita æterna, suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua Ecclesiasticum et quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo ut in æternum sit cum ipso.

In Epist. Joan. cap. IV. *Tractat.* 8. *n.* 14. Deus non indigct servis, sed servi Deo: ideò dicit Psalmus, *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Ipse est verus Dominus. Et quid ait? *Quoniam bonorum meorum non eges.* (*Psal.* XV. 2.) Tu eges bono servi tui. Eget servus bono tuo, ut pascas illum: eges et tu bono servi tui ut adjuvet te. Non tibi potes aquam implere, non tibi potes coquere, non tibi potes ante equum currere, jumentum tuum non potes curare. Vides quia indiges bono servi tui, obsequio illius indiges. Non es ergo verus dominus, quando indiges inferiore. Ille est verus Dominus, qui nihil à nobis quærit: et væ nobis, si eum non quæramus. Nihil à nobis quærit; et quæsivit nos, cùm eum non quæreremus.

CONCIL. MEDIOL. III. *sub* S. CAROLO, *titulo de Matrim.* Sicut uberrimum de optima institutione præmium pater-familias capiet, quicunque liberos, familiamque suam ad Dei cultum, et ad pietatis, christianarumque virtutum disciplinam erudierit: ita quicunque debitum hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiserit, is exspectet, ut *in die Domini sibi durissimum judicium fiat.*

De familiæ igitur suæ salute in primis sollicitus, tum bonorum operum exemplo, tum crebris cohortationibus, se ei magistrum præbeat ac ducem, ad pie, sanctèque agendum.

Curet autem, ut nemo quisquam de familia sua sit qui Christianæ fidei rudimentis instructus non sit, sive filii filiæque sint, sive servi et ancillæ, sive alii in famulatu suo.

Quam ob causam ad illius scholas, quos de familia sua rudes novit, convenire jubeat: sique eam ampliorem habet, domi etiam instrui studeat; idque ad præscriptas interrogationes parvuli libri, eo nomine editi ad provinciæ usum.

Ut statâ horâ, datis institutæ orationis communis signis campanarum sono, illa omnis certo loco congregata ad præscriptum temporis spatium sanctè oret, et precetur.

Ut frequenter illa universa confiteatur, et sacram Eucharistiam sumat.

Ut singulis diebus Missæ sacrificio intersit; aut saltem in vigiliis, statis jejuniorum temporibus, Quadragesimæ diebus id præstet: festis autem diebus, ut nequis de sua familia interesse ullo modo omittat.

Ut festis præterea diebus ad sacras conciones, lectiones, supplicationes, divina officia aliasque pietatis Christianæ exercitationes conveniat.

Ut ne quis iis sacris diebus opus servile faciat.

Ut vigilias et quatuor temporum et Quadragesimæ et alia statuta jejunia illi in familia servent, quibus Ecclesiæ præcepto jussum est.

Quo autem tempore, vel jubilæa celebrantur, vel supplicationes publicæ processionibus fiunt, familiam sæpè monebit illis sanctis actionibus piè interesse.

Certis item piorum hominum institutis sodalitatibus unumquemque de familia sua adscribi admoneat; quo se quisque ardentiori studio exerceat in operibus pietatis.

Ne patiatur in familia esse quempiam qui blasphemus sit, qui perjurus; qui item corruptis moribus utatur, qui obscenè quidquam vel loquatur, vel agat, vel aleis ludat; qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat.

De vitæ præterea spiritualis ratione, et piis exercitationibus, aut de vilis Sanctorum probatos Sacerdotis Confessarii judicio libros, in quo-

I. Quâ ratione debent providere ut habeant necessaria quoad animam ?

R. Debent hoc agere omninò, 1° ut servent præcepta Dei et Ecclesiæ.

2. Ut informentur Christianæ fidei rudimentis, et illis potissimùm officiis quæ spectant ad statum famulorum.

3. Ut frequentes adsint sacris officiis et concionibus seu catechismis in Ecclesia Parochiali.

4. Ut ne juramentis, compotationibus, ludis, otio assuescant; ne fortè otiosi, ad nequitiam et libidines abducantur: adeoque detur illis assidua occupatio.

5. Ne ullam viri seu adolescentes cum puellis in eadem domo famulantibus habeant consuetudinem, ne familiariora inter se colloquia misceant.

6. Exemplis herorum adducantur ad studium virtutis.

rum lectione familia aliquando versetur, domum suam introducat, exclusis obscenè, turpiter, jocosè conscriptis, aliisque id generis libris, undè morum institutionisque corruptela existere possit.

Ut autem in domesticæ disciplinæ institutionisque officiis illa omnis accuratiùs se contineat, eam aliquando pater-familias recognoscat, inspiciatque in primis quæ universæ suæ comùs Christiana institutio, qui singulorum mores, quæve pietatis, vitæque spiritalis progressio.

Quicunque autem mercaturam artemque aliquam exercent, non domi solùm, sed in suis officinis et tabernis Christianæ vitæ rationes has operariis, institoribusve suis constituant.

Has Domesticæ institutionis regulas Parochus per annum aliquando, prout è re esse viderit, frequenti populo explicet: tum sæpissimè et publicis sermonibus, et privatis colloquiis patres-familias Parochiæ suæ incolas id moneat atque hortetur, ut quæ eorum propria officia sunt, et munera in familiæ institutione, ea præstare velint paternæ curæ studio.

Quod cohortationis studium etiam Concionatores et Confessarii Sacerdotes, quàm frequentissimè prout opportunum esse censuerint, charitatis zelo præstent.

Parochus prætereà, ubi aliquando in artificum, mercatorumve officinis, quæ intra fines Parochiæ suæ sunt, ab operariis, aliisve, qui illic artem exercent, aliquid committi intellexerit, quod depravatæ, dissolutæque disciplinæ sit, quod offensionem in parochia præbeat, quodque à Christianæ institutionis moribus alienum, id officinarum dominos admoneat, ut quidquid illis locis corruptelarum est, undè eripiatur.

Concil. Mediol. V. *sub* S. Carolo *Part.* 3. *Titulo de Matrim.* Nulla est amplior hæreditas, nec præclarius patrimonium quod parentes suis liberis relinquere, neque majus pretium, honestioremque mercedem, quam domini iis qui sibi in servitute operam dant, pro fideli eorum famulatu tribuere ac persolvere possunt, quàm si effecerint, ut boni Christiani evadant; quæ virtus omni terreno thesauro multo pretiosior est censenda.

Quamobrem qui in aliqua domo, atque familia duces sunt, curabunt diligenter, ut omnes quicunque suo sub imperio et ditione vivunt, jejunia colant, divini verbi prædicationem crebrò audiant; Sacramentis frequenter utantur, et omnia demùm veri Christiani officia exerceant. Famulorum autem domini non solùm diebus festis tantum eis liberi temporis concedere curent, ut ejusmodi officiis vacare possint; sed crebris item eos ac paternis hortationibus excitare non desistant, ne in studio hujusmodi tam salutari segniores, neque negligentiores existant: in quo si parentes ipsi aut domini suo officio in his defuerint; procul dubio exspectent fore, sibi ut ante severissimum Christi Domini tribunal culpæ tribuantur peccata omnia, quæ liberi vel famuli non commisi ent, si suas illi partes, in hoc aliisque ejusmodi decretis præscriptas, sibique maximè debitas præstitissent.

7. Qui corrigi nequeunt expellantur, ne pravum exemplum cæteros inficiat et corrumpat.

8. Omnes heros experiantur erga se benignos et benevolos : sed illi præ cæteris amentur et foveantur, et remunerentur qui servierint magis liberaliter ut Christianos famulos decet. Caveatur tamen à nimia cum illis familiaritate ; hinc enim oritur ut plurimùm in famulorum mente superbia.

I. Quid agere debent heri, ut temporalibus famulorum necessitatibus consulatur ?

R. 1. Quam ex pacto meruerunt mercedem servitutis, ea quàm primùm et quàm fidelissimè persolvatur. (B)

2. Præstetur ipsis eorumque consanguineis et affinibus omne genus officiorum, servatâ tamen in omnibus æqui verique regulâ. (C)

3. Augenda pro meritis merces : et hoc agendum ut post exactam liberaliter servitutem, tandem benè et honestè pro sua conditione collocentur. (D)

§. 9. De Divortio.

I. Nunquamne potest matrimonium dissolvi ?

R. Matrimonium, si de dissolutione quoad vinculum sermo sit, solâ morte alterutrius conjugis dissolvi potest, ubi et sine ullo dirimenti impedimento celebratum, et consummatum est. (A)

(B) LEVIT. XIX. 13.... Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.

DEUTERON. XXIV. 15. Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum ; quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam : ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.

TOB. IV. 15. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omninò non remaneat.

JACOB. V. 4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

(C) GENES. XV. 2. Dixitque Abram : Domine Deus, quid dabis mihi ? Ego vadam absque liberis : et filius procuratoris domûs meæ iste Damascus Eliezer. 3. Addiditque Abram : Mihi autem non dedisti semen : et ecce vernaculus meus, hæres meus erit.

(D) ECCLI. VII. 22. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (A)

XXXIII. 28. Servo malevolo tortura et compedes, mitte illum in operationem ne vacet. 29. Multam enim malitiam docuit otiositas. 30. In opera constitue eum ; sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus, et non amplifices super omnem carnem : verùm sine judicio nihil facias grave. 31. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta : quoniam in sanguine animæ comparasti illum. 32. Si læseris eum injustè, in fugam convertetur : 33. Et si extollens discesserit : quem quæras, et in qua via quæras illum nescis.

(A) MATTH. V. 31. Dictum est : Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. 32. Ego autem dico vobis : Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat.

XIX. 7. Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere ? 8. Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic. 9. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur.

Quòd si solemniter quidem celebratum sit, sed nondùm consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum dissolvitur quoad vinculum; potestque idcircò conjugum alter altero inconsulto, ante matrimonii consummationem adire Monasterium, suscepturus ibi religionis habitum, et post probationem canonicam emissurus vota solemnia. Quibus emissis licet alteri novas inire nuptias. (B)

I. Videtur hæc tua distinctio non satis cohærere cum his verbis Christi, *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* (*Matth.* XIX. 6.) Post celebratum enim cum solemni Ecclesiæ benedictione matrimonium, conjuges ab ipso Deo conjuncti sunt, ut patet ex his verbis à Sacerdote prolatis in ipsa matrimonii celebratione: *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob ipse vos conjungat; et Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Certè his verbis conjuges ante matrimonii consummationem à Deo ipso per ministerium Sacerdotis conjuncti sunt; non licet ergo tunc illos ante alterutrius obitum quâcunque ex causa separari?

R. Conditio hæc omnibus matrimoniis ex Ecclesiæ lege apposita est, ut possit per solemnem religionis professionem matrimonium nondùm consummatum dissolvi. Nullum ergo matrimonium celebratur nisi sub illa conditione. Itaque ante matrimonii consummationem dici non possunt conjuges absolutè et sine conditione inter se à Deo ipso conjuncti; nec habetur absoluta illa conjunctio, nisi per matrimonii consummationem. (C)

MARC. X. 11. Et ait illis: Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. 12. Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, mœchatur.

LUC. XVI. 18. Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur: et qui dimissam à viro duxit, mœchatur.

ROM. VII. 2. Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: Si autem mortuus fuerit ejus, soluta est à lege viri. 3. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.

1. COR. VII. 10. Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

(B) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 24. *can.* 6. *de Matrimon.* Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum, non dirimi; anathema sit.

(C) S. THOM. 3. *part. suppl. Quæst.* 53. *art.* 2. *in conclus.* Respondeo dicendum quòd omnes dicunt, quòd sicut votum solemne impedit (*Matrimonium*) contrahendum, ita dirimit jam contractum.... Votum solemne ex sui natura habet quòd dirimat Matrimonium contractum, in quantum scilicet per ipsum homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens. Et ideò non potest ipsum tradere in potestatem uxoris Matrimonium contrahendo: Et quia Matrimonium quod sequitur tale votum, nullum est; ideò tale votum dirimere dicitur Matrimonium contractum.

Quæst. 61. *art.* 2. *in conclus.* Respondeo dicendum, quòd ante carnalem copulam est inter conjuges tantùm spirituale vinculum, sed postea

etiam est inter eos vinculum carnale : Et ideò sicut post carnalem copulam Matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis, vinculum quod est ante carnalem copulam, solvitur : quia religio est quædam mors spiritualis, quâ aliquis seculo moriens, vivit Deo.

Ad secundum, dicendum quòd ante carnalem copulam non est omninò translatum corpus unius suo potestate alterius, sed sub conditione : si interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet : sed per carnalem copulam completur dicta translatio ; quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis : *Juxta rescriptum* ALEXANDRI IV. *ad Episcopum Brixiensem*, Extra *de conversione conjugatorum* cap. *Ex publico*, *ubi de muliere quâdam renuente ad eum cui fuerat desponsata reverti*, *censet eam nutui suo reliquendam*, si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, et eadem ad religionem transire voluerit ; *Tum paulò infrà :* Sanè quod in Evangelio Dominus dicit non licere viro, nisi ob causam fornicationis, uxorem suam dimittere, intelligendum est secundùm interpretationem sacrii eloquii de his quorum Matrimonium carnali copulâ consummatum est, sine qua consummari non potest : *Et* cap. *Ex parte tua*, *similia scribit* INNOCENTIUS III. *Ad Archiepiscopum Lugdunensem*, *ubi et notat prædecessores suos ita consultos respondisse ; nimirùm* id licere antequam per carnalem copulam sit Matrimonium consummatum.

Quòd autem uno ex conjugibus ante Matrimonium consummatum Religionem ingrediente possit alter liberè novum et legitimum contrahere Matrimonium probatur, Extra *de conversione conjugatorum* cap. *Verum*, ubi ALEXANDER III. *Archiepiscopo Salernitano scribens ait :* Post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri (altero etiam repugnante) eligere monasterium, sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt ; dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos ; et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire ; quia cùm non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in seculo remanere.

Art. 3. *in conclus.* Respondeo dicendum, quòd sicut corporalis mors viri hoc modo vinculum Matrimoniale solvit, ut mulier nubat cui vult, secundùm Apostoli sententiam ; ita etiam post mortem spiritualem viri per religionis ingressum, poterit cui voluerit nubere.

Ad primum ergo, dicendum quòd quando uterque pari voto continentiam vovet, tunc neuter conjugali vinculo abrenuntiat ; et ideò adhuc manet : sed quando unus tantùm vovet, tunc quantùm in se est, abrenuntiat vinculo conjugali : Et ideò alter absolvitur à vinculo illo.

Ad secundum, dicendum quòd non intelligitur mortuus seculo per religionis ingressum, quousque professionem emiserit : Et ideò usque ad tempus illud tenetur eum uxor sua exspectare.

GUILL. ESTII *in lib. quart. Sentent. Distinct.* 27. §. 4. Cùm ratum et validum fiat Matrimonium per consensum contrahentium, etiam antequam carnaliter conveniant : merito quæritur an hujusmodi Matrimonium quod suprà diximus inconsummatum vocari, per religionis ingressum possit dissolvi ; quandoquidem per Matrimonium obligati sunt conjuges ad individuam atque indissolubilem vitæ consuetudinem. Hæc enim ratio ex Matrimonii definitione sumpta movit Magistrum, ut putaret hilo magis inconsummatum Matrimonium, quàm consummatum dissolvi posse : ac proindè in neutro licitum alteri conjugi, altero invito, ad religionem transire. Sed verior est aliorum sententia, docentium per monasticam professionem inconsummata Matrimonia dissolvi : ita ut conjugi relicto liberum sit aliud inire conjugium. Hoc enim et canones tradunt, et Ecclesiæ jam definivit, præterea multis Sanctorum exemplis confirmatur, ac denùm ratione probatur.

Sed jam ad rationes veniamus, cujusmodi tres valdè probabiles ad hujus doctrinæ confirmationem afferuntur.

Prima : semper licitum est de statu minùs perfecto transire ad perfectiorem, quando id fieri potest absque illius detrimento : ergo à statu conjugii ad statum religionis transitus fieri poterit, si conjugium sit inconsummatum. Tunc enim fiet id absque alterius detrimento. Nam consummato Matrimonio duplex oritur detrimentum, si dirimatur, alterum

proli jam natæ vel conceptæ, quæ minùs benè poterit educari altero parente destituta; alterum conjugi, quæ cùm sit ligata non potest alteri nubere: et ut possit, non tamen ita commodè post amissam virginitatem, cujusmodi nihil accidit in Matrimonio inconsummato.

Secunda ratio: Duplex in Matrimonio vinculum invenitur, alterum spirituale quod nascitur ex solo consensu, alterum carnale quod nascitur ex copula. Atqui carnale vinculum dissolvitur demùm per mortem corporalem juxta Apostolum Rom. VII. et 1. Corinth. VIII. ergo spirituale solvi debet per mortem spiritualem et civilem, qualis est professio monastica.

Tertia ratio sumitur ex eo quòd dicitur Genes. II. 23. et repetitur ab Apostolo Ephes. V. 31. *Erunt duo in carne una.* Quam sententiam Pontifices Benedictus, Gregorius, Alexander III. et Innocentius III. partim apud Gratianum 27. quæstione 2. cap. *Lex*, et capite *sunt*, partim extrà de conversione conjugatorum capite *verum*, et capite *Ad Apostolicam*, interpretantur de commixtione carnali: *Id quod etiam ex Apostolo probabile fit, qui* 1. Corint. VI. 16. eamdem allegans sententiam, qui adhæret meretrici unum cum ea corpus effici dicit. Atqui ex ea sententia Dominus Matthæi XIX. 6. concludit omnimodam firmitatem Matrimonii, dicens; *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Igitur ante ejusmodi carnalem conjunctionem secundùm Christum et Apostolum ejus Paulum, aliquo modo dissolvi potest Matrimonium, quo post illam dissolvi non potest. Hunc autem modum tradit Ecclesia Catholica, dùm aliter conjugum transit ad vitæ monasticæ professionem.

§. 5. Ad has objectiones, et eas potissimùm quæ insolubilitatem vinculi Matrimonialis urgent, responsuri: primùm fatemur cum Augustino libro 1. Retract. cap. 19. et libro 2. cap. 57. difficillimam esse de Matrimonii insolubilitate quæstionem: neque omnes ejus quæstionis nodos satis adhuc explicatos esse. Interim verò quod ad propositæ difficultatis enodationem attinet; dicimus rectè à Doctoribus distingui duplicem unitatem, quâ sibi invicem per Matrimonium vir et mulier uniuntur: alteram civilem seu domesticam, quæ in mutua vitæ conversatione consistit; alteram naturæ seu carnis unitatem, quæ nascitur ex commixtione carnali. Per priorem alter alteri familiariter adhæret: per posteriorem ambo una caro efficiuntur. Igitur posterior hæc unitas solâ morte naturæ dissolvi potest, ut unitati naturæ dissolutio quæ per naturam fit, respondeat. Prior autem illa non eo tantùm modo dissolvitur, sed et per mortem civilem, id est, per talem mutationem quâ quis alienus fiat ab omni civili conversatione, et quasi mundo moriatur. Hoc autem mortis genus non aliter contingit quàm professione solemni religionis approbatæ. Cùm igitur inter conjuges ante copulam carnalem sola civilis unitas intercedat, consentaneum est eam quoque civili morte dissolvi; quâ nimirùm ita à civili conversatione quis removetur, ut ad eam redeundi spem ac potestatem ultrà non habeat: sicut per mortem naturæ fit, ut ad unitatem naturæ seu carnis quis redire non possit. Quòd autem professionem monasticam mors civilis sequatur necessariò, hinc manifestum est, quia religionem professus jam nec corpus, nec voluntatem propriam habet, neque deinceps ullius est proprietatis capax, sed totus ac perpetuò est juris alterius. Undè et leges civiles declarant per ingressum religionis tanquam per mortem confirmari testamentum anteà conditum: adeò ut nec revocare, nec supperaddere, nec interpretari suum testamentum ei concedatur, ut habentur in authenticis Cod. *De sacro-sanctis*, lege, *si qua mulier.*

Porrò mortem istam civilem nullo alio casu contingere quàm per religionis ingressum indè patet, quia nisi quis se et sua omnia tradiderit in potestatem alterius ad obsequium Dei, idque in religione approbata, adhuc regressum habere poterit ad jus et voluntatem propriam. Quocirca nec simplici continentiæ voto, nec susceptione ordinis sacri, nec professione religionis non approbatæ, nec per vitam eremiticam, seu anachoreticam solvitur Matrimonium non consummatum: quia per hæc mors civilis nondum intercedit.

Potest etiam breviter responderi traditionem illam corporum debere

I. Nulline alii casus exstant in quibus liceat ipsis sic à se invicem separari ?

R. Nulli exstant in quibus liceat ipsis sic à se invicem separari, ut possint alias inire nuptias : sed multi exstant in intelligi pro ratione contractùs Matrimonialis. Cujus ex Dei institutione ea conditio est, ut si per copulam consummetur, solvi nequeat, nisi per mortem alterius : non consummatus autem solvatur per religionis ingressum.

R. P. Juenin Congreg. Orat. D. J. Sacerdos *Comment. Hist. et Dogmat. de Sacrament. Dissert.* 10. *de Matrim. Quæst.* 4. *cap.* 2. *art.* 3. §. 1. Lutherani et Calvinistæ proximè elapso seculo Ecclesiæ Catholicæ verterunt crimini, quòd doceret Matrimonium ratum tantùm, dirimi per solemnem alterius conjugum in approbata religione professionem. Idem cum hujusmodi sectariis sentientes mulctavit anathemate Synodus Tridentina, Sess. 24. canone 6. Quàm meritò sic definierit Concilium, ostendamus oportet.

Conclusio. Matrimonium quod est ratum tantùm, seu non consummatum, dirimitur per solemnem alterius conjugum in approbata religione professionem.

Probatur 1°. Auctoritate Scripturæ : Christus Matth. XIX. 5. ex his verbis Genesis II. 24. *Erunt duo in carne unâ*, probat perfectam Matrimonii firmitatem. *Itaque* (inquit) *jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet :* Ergo antequam conjuges sint una caro, imperfecta tantùm est Matrimonii firmitas, ac proindè aliquâ ratione potest dissolvi, quâ tamen non possit, postquam una est per copulam carnalem conjugum caro : aliam autem rationem non licet excogitare quàm solemnem in approbata religione professionem. Ergo, etc.

Probatur 2°. Ex Patribus. Gratianus causâ 27. laudat hæc Eusebii verba, *Desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere ; licet tamen illi monasterium sibi eligere.* Sed conveniunt peritiores Epistolam decretalem quæ inscribitur Eusebii nomine non esse germanum illius fœtum. Idem Gratianus laudat ex Gregorio Magno hanc ejus sententiam : *Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo omninò censuerunt damno mulctari.* Nomine autem sponsæ aut desponsatæ Scriptura et Patres intelligunt eam quæ rato, sed non consummato, Matrimonio viro juncta fuerit : *cùm* (inquit Matthæus I. 18.) *esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph.* Alexander Papa III. in Decretalibus, Vitulo *De conversione conjugatorum*, cap. *verùm*, sic loquitur, *Verùm post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium, dummodò carnalis commixtio non intervenerit inter eos.... et alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire.* Laudatos Pontifices novam in mores Christianorum disciplinam suis decretis non invexisse ex eo colligitur, quòd alioquin hæretici decreta illa crimini vertissent Ecclesiæ, nonnullique ex sanctissimis doctissimisque Præsulibus impugnaturi fuissent. Illis quoque obstitissent quæ posteà celebratæ sunt aut Provinciales, aut Generales Synodi ; Quod tamen, cùm non contigerit, inferre licet usum illum semper obtinuisse in Ecclesia Catholica, ac proindè eum esse ex Apostolicâ traditione ; juxta celebrem sententiam quâ Augustinus contendit id esse ex Apostolica traditione quod ubique servatur, cujusque initium aut in Conciliis aut Patribus minimè reperitur.

Probatur 3°. ratione. Matrimoniis vinculum carnale per mortem corpoream solvitur : Ergo vinculum spirituale, quod solum reperitur in iis, in quibus matrimonium ratum quidem est, sed non consummatum, dirimitur per mortem spiritualem, cujusmodi est professio solemnis in approbata religione.

Objicies 3°. Vir per matrimonium ratum jam tradidit corpus suum conjugi, cum qua verba de præsenti contraxit : Ergo non potest posteà illud per solemnem professionem tradere religioni. Peccat enim contra justitiam, qui rem, in quam non habet dominium, alteri tradit.

Resp. Virum illum non absolutè, sed cum implicita conditione, nempè quòd deinceps non obeat civilem mortem per solemnem professionem in religione approbata, corpus suum conjugi tradidisse.

quibus stante matrimonii vinculo possint conjuges vel ad tempus, vel in perpetuum separari quoad torum et habitationem. (D)

Licet quocunque tempore separari quoad torum ex mutuo consensu. Imò conjuges qui ut liberiùs vacent orationi, prospiciantque suæ saluti faciliùs, ultrò continentiam conjugalem vel ad tempus, vel perpetuò servare inter se mutuò constituunt, rem agunt summis extollendam laudibus, et exemplo B. Virginis Mariæ et Joseph sponsi, sanctorumque Patrum encomiis valdè commendatam, et dignam veneratione. (E) Sed non omnes hoc donum acceperunt, et

(D) Conc. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 8. *de Matrim.* Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad habitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

(E) S. Aug. *de consens. Evang. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 2. Exsequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus, ad Abraham generatores commemorans, quos perducit *ad Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus.* (*Matth.* I. 16.) Neque enim fas erat ut ob hoc eum à conjugio Mariæ separandum putaret, quòd non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, præsertim quia nasci eis etiam filium potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quandoquidem rectè pater esset etiam ejus, quem non ex sua conjuge procreatum, aliundè adoptasset.

N. 3. Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Joseph, tanquam ex ejus omninò carne progenitus, sed ad eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait, *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph.* (*Luc.* III. 23.) Qui tamen Lucas non ejus parentem solam Mariam, sed ambos parentes ejus appellare minimè dubitavit, ubi ait (*Luc.* II. 40.), *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ.* Sed ne quisquam hic parentes consanguineos potiùs Mariæ cum ipsa matre ejus intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse item Lucas superiùs dixit, *Et erant pater ejus et mater mirantes super iis quæ dicebantur de illo.* (*ibid* 33.) Cùm igitur ipse narret, non ex concubitu Joseph, sed ex Maria Virgine natum Christum, undè eum patrem ejus appellat, nisi quia et virum Mariæ rectè intelligimus sine commixtione carnis, ipsâ copulatione conjugii; et ob hoc etiam Christi patrem multò conjunctiùs, qui ex ejus conjuge natus sit, quàm si esset aliunde adoptatus.

De Serm. Dom. in mont. lib. 1. *cap.* 14. *n.* 39. Beatiora sanè conjugia judicanda sunt, quæ sive filiis procreatis, sive etiam istâ terrenâ prole contemptâ, continentiam inter se pari consensu servari potuerint: quia neque contra illud præceptum sit, quo Dominus dimitti conjugem vetat; non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritaliter vivit; et illud servatur, quod per Apostolum dicitur. *Reliquum est, ut qui habent uxores, quasi non habentes sint.* (1. *Cor.* VII. 29.)

Cap. 15. *n.* 42. Potest igitur Christianus cum conjuge concorditer vivere: sive indigentiam carnalem cum ea supplens, quod secundùm veniam, non secundùm imperium dicit Apostolus (1. *Cor.* VII. 6.), sive filiorum propagationem, quod jam nonnullo gradu potest esse laudabile; sive fraternam societatem, sine ulla corporum commixtione, habens uxorem tanquam non habens, quod est in conjugio Christianorum excellentissimum atque sublime: ut tamen oderit in ea nomen temporalis necessitatis, et diligat spem sempiternæ beatitudinis.

occurrendum insidiis et tentationibus satanæ. *Nolite fraudare invicem*, inquit Apostolus conjugatis (1. *Cor.* VII. 5.), *nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentia n vestram.* 6. *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* 7. *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum : s d unusquisque proprium donum habet ex Deo ; alius quidem sic, alius verò sic.*

Præter hanc voluntariam separationem quoad torum,

S. GREG. MAGN. *l.* II. *Epist.* 45. *aliàs* 39. *ad Theoctistam Patriciam.* Si dicunt Religionis causâ conjugia debere dissolvi, sciendum est, quia et si hoc lex humana concessit, divina lex tamen prohibuit. Per se enim veritas dicit : *Quæ Deus conjunxit, homo non separet.* (*Matth.* XIX. 6.) Quæ etiam ait : *Non licet dimittere uxorem, excepta causâ fornicationis.* (*Ibid.* 9.) Quis ergo huic cœlesti legislatori contradicat ? Scimus quia scriptum est : *Erunt duo in carne una.* (*Ibid.* 5.) Si ergo vir et uxor una caro sunt (1. *Cor.* VI. 16. *Gen.* II. 24.), et religionis causâ vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita migrantem ; quæ est ista conversio, in qua una eademque caro, et ex parte transit ad continentiam, et ex parte remanet in pollutione ? Si verò utroque conveniat continentem vitam ducere, hos quis audeat accusare quando certum est quòd omnipotens Deus qui minora concessit, majora non prohibuit ? Et quidem multos Sanctorum novimus, cum suis conjugibus, et priùs continentem vitam duxisse, et postmodùm ad sanctæ Ecclesiæ regimin a migrasse. Duobus enim modis sancti viri etiam à licitis abstinere solent. Aliquando ut merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando verò ut antè actæ vitæ culpas detergant.... Proindè cùm boni conjuges aut meritum augere desiderant, aut antè actæ vitæ culpas delere, ut se ad continentiam adstringant, et meliorem vitam appetant, licet. Si verò continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat, dividi conjugium non licet ; quia scriptum est (1. *Cor.* VII. 4.) *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir : et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Lib. 9. *Epist.* 60. *aliàs* 39. Prætereà curæ tuæ sit eosdem fratres nostros Episcopos adhortari, ut subjectos sibi in sacris videlicet ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem sui modis omnibus servare commoneant (*scilicet ut in una domo cum mulieribus non conversentur*) ; hoc tantummodò adjecto, ut hi sicut canonica decrevit auctoritas, uxores quas castè debent regere, non relinquant.

S. HIERON. *Epist.* 52. *aliàs* 28. *ad Lucinium, circa medium.* Habes tecum priùs in carne, nunc in spiritu sociam : de conjuge germanam ; de femina virum ; de subjecta parem ; quæ sub eodem jugo ad cœlestia simul regna festinat.

Epist. 53. *aliàs* 29. *ad Theodoram de morte Licinii.* Ille jam securus et victor te adspicit de excelso, et favet laboranti : et juxta se locum præparat, eodem amore et eadem charitate, quia (*lege* quâ) oblitus officii, conjugalis, in terra quoque sororem te habere cœperat ; imò tu illum fratrem ; quia casta conjunctio, sexum non habet nuptialem.

Lib. 3. *Comment. in Matth. cap.* XIX. V. *Et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Similiter ait, Adhærebit uxori suæ, non uxoribus. *Et erunt duo in carne una.* Præmium nuptiarum, è duabus unam carnem fieri. Castitas juncta spiritui, unus efficitur spiritus.

Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. (*Ibid.* 6.) Dicunt illi, Deus conjunxit, unam faciendo carnem viri et feminæ : hanc homo non potest separare, nisi forsitan solus Deus. Homo separat, quando propter desiderium secundæ uxoris, primam dimittit. Deus separat qui et conjunxerat, quando ex consensu propter servitutem Dei (eo quòd tempus in arcto sit) sic habemus uxores, quasi non habentes. (1. *Cor.* VII. 5. *Ibid.* 29.)

exstant multæ causæ propter quas liceat à conjuge vel repugnante separari, non modò quoad torum, sed quoad habitationem.

Primò Christus ipse declaravit posse uxorem adulteram à viro dimitti. *Quicunque*, inquit (*Matth.* v. 31.) *uxorem dimiserit, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari.* Ergo licet fornicationis causâ eam dimittere. Sed non propterèa licet viro alteram ducere; vel uxori dimissæ fas est alteri viro nubere. Imò Christus et in domo interrogatus à Discipulis (*Marc.* x. 11.) ait absolutè et sine ulla restrictione, *Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committet super eam;* et alibi, *Qui dimissam à viro duxerit, mœchatur.* (*Ibid.* 32.)

Ex his Christi verbis docet et docuit semper Ecclesia ex adulterio nasci causam divortii legitimam, ita tamen ut maneat semper Matrimonii vinculum, nec propterèa liceat ad alias nuptias convolare. (F) Audiatur ea de re Concilium Tridentinum.

(F) Robertus Bellarminus è Societ. Jesu S. R. Eccles. Card. *lib.* 1. *de Matrimonio cap.* 16. Probandum igitur nobis est matrimonii inter fideles contracti et consummati vinculum adeò esse insolubile, ut neque causâ fornicationis dirimi possit; et ideò vivente priore conjuge nunquam esse licitum ad alias nuptias adspirare.

Primus locus sit ille, qui est apud Matthæum v. 32. *Omnis qui dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ; facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* Verba illa: *et qui dimissam duxerit, adulterat*, vel universè accipienda sunt, vel cum exceptione, nisi ob fornicationem. Si universè, ergo qui dimissam duxerit, etiam ob fornicationem, mœchatur: ergo non fuerat dimissa quoad vinculum, sed solùm quoad torum: non enim mœcharetur qui illam ducit, nisi adhuc esset priori viro colligata. Si cum exceptione, ergo qui fornicariam à viro dimissam duxerit, non mœchatur. Ergo melior est conditio fornicariæ, quàm innocentis, et castæ: nam fornicaria libera est, et nubere potest: innocens autem injustè dimissa, nec priorem virum habere potest, nec alteri nubere. Atqui hoc absurdissimum est, ut lex Christi justissima dimissam justè meliori loco esse velit, quàm dimissam injustè.

2. Locus est apud Marcum, (x. 11.) *Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam: et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.* Et similia habentur Luc xvi. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Hæc verba universaliter docent nunquam ita dissolvi matrimonium inter fideles contractum, et consummatum, ut liceat ad alias nuptias transire.

Alii dicunt, nec minùs probabiliter, illud, *nisi ob fornicationem*, non pertinere nisi ad dimissionem, cum qua immediatè conjungitur et esse per parenthesim pronuntiandum, et aliquid subintelligendum, hoc modo: Quicunque dimiserit uxorem (quod non licet nisi ob fornicationem) et aliam duxerit, mœchatur. Et certè non sine causâ Dominus non adjecit illam exceptionem post illa verba, *Et aliam duxerit:* sed immediatè post illa: *Quicunque dimiserit*, et similiter non temerè Dominus tum Matth. v. tum Matth. xix. cùm adjunxit: *et qui dimissam duxerit, mœchatur*, non addidit: *nisi ob fornicationem*, ut nimirùm indicaret, causam fornicationis solam dimissionem licitam facere, non autem novi conjugii celebrationem. Hæc mihi videtur S. Thomæ sententia in 4. Dist. 35. q. unica art. 5. ad ultimum, et eamdem obscurè subindicat Hieronym. in commentario hujus loci.

Tertius locus habetur in Epist. ad Rom. vii. 1. *An ignoratis, fratres*

(*scientibus enim legem loquor*) *quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, absoluta est à lege viri: igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Et similis locus habetur in Epistolâ priore ad Corinth. VII. 39.

Ex his autem locis colligimus nunquam solvi vinculum conjugale, nisi per mortem: et quia non solvitur, manere etiam post divortium quàcunque de causâ factum. Quod argumentum tanti fecit S. Aug. ut lib. 2. de adulterin. Conjugiis. cap. 4. clamaverit: « Hæc verba Apostoli toties re-» petita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. » Nullius viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse desierit: » esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur, » licitè itaque dimittitur, conjux ob causam fornicationis, sed manet » vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit » etiam ob causam fornicationis. » Hæc ille.

(*Genuinum esse hunc Apostoli sensum*) testantur Interpretes, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Primasius, Anselmus, et alii, in utrumque locum Pauli, et prætereà Origenes in cap. 19. Matth. Augustinus loco citato, et Hieronym. Epist. ad Amandum, ubi interrogatus, an liceret mulieri dimisso viro adultero, alii nubere, respondit, non licere ob hæc Pauli loca, quæ ut ipse dicit, omnem excusationem excludunt.

Eadem veritas secundò ex traditione probari potest: exstant enim omnibus ætatibus testimonia Patrum. Ac primo quidem seculo habemus testimonium Clementis in canonibus Apostolorum can. 48. ubi, sine ulla exceptione excommunicari jubetur, qui uxore dimissâ aliam ducit.

Deindè secundo seculo, id est, post annum Christi Domini C. habemus testimonia Justini, et Athenagoræ. Uterque in Apologiâ pro Christianis ad Imper. Antoninum, inter dogmata Christiana ponit, adulterium esse, si quis dimissam ab alio ducat: et Athenagoras addit etiam, si quis priore dimissâ aliam ducat, non esse conjugium, sed adulterium. Eodem seculo, Clemens Alexand. lib. 2. Stromatum extremo: *Adulterium*, inquit, *existimat Scriptura, conjungi matrimonio, vivo altero ex separatis.* Et paulò antè dixerat, non posse fieri separationem, nisi ob fornicationem.

Seculo III. post annum Domini CC. Tertull. lib. 4. in Marcionem ultra medium, objicienti Marcioni Christum contrarium esse Moysi, quia prohibuit divortium, quod ille concesserat, respondet his verbis: *Dico illum conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideò quis dimittat uxorem, ut aliam ducat, etc.* Ubi docet Christum non prohibuisse divortium, si causa justa adsit, sed prohibuisse alterum conjugium post divortium. Eodem seculo Origenes, tract. 7. in Matth. explicans cap. XIX. dicit quosdam Episcopos permisisse mulieri nubere viro priore vivente, et addit contra Scripturam fecerunt.

Seculo IV. post annum Domini CCC. in Concil. Eliberitano can. 9. mulier quæ ob viri adulterium alteri nupsit, non recipitur ad communionem nisi post mortem prioris mariti: ex quo intelligimus, illicitum fuisse matrimonium illud judicatum, etiam ex parte innocentis, et in causâ adulterii. Eodem seculo S. Ambrosius in cap. 16. Lucæ, multa scribit contra eos, qui uxore dimissâ aliam ducunt, et passim adulterium vocat id conjugium: neque in tota illa disputatione unquam excipit causam fornicationis. Sanctus item Hieronymus Ambrosii æqualis in Epistola ad Oceanum de obitu Fabiolæ, scribit Fabiolam dimisso viro non solùm adultero, sed etiam omnibus flagitiis cooperto alteri nupsisse: sed addit id eam fecisse, quia ignorabat rigorem Evangelii: et ibidem scribit, eam post mortem secundi mariti publicam pœnitentiam sibi ab Episcopo impositam, summâ humilitate egisse. Ex quo intelligimus, eo tempore publicum crimen habitum in Ecclesia Catholica fuisse, si quis vivente conjuge ad alias nuptias transiret, etiam causâ fornicationis. Idem Hieronym. in Epist. ad Amandum, de hac ipsâ quæstione interrogatus, simpliciter respondit esse illicitum etiam causâ fornicationis, vivente conjuge ad alias nuptias transire. Eodem seculo S. Joan. Chrysostomus hom. 17. in Matthæum enarrans cap. 5. idem docet.

Seculo V. post annum Domini CD. Concil. Milevitanum can. 17. definivit secundùm Evangelicam et Apostolicam doctrinam, nunquam licere vivente conjuge ad alias nuptias transire: et idem habetur in Conc. Africano can. 69. Eodem seculo Innocentius I. in Epist. 3. ad Exuperium can. 6. interrogatus, an intercedente divortio liceret aliud inire conjugium; Respondit nullo modo licere, sed esse utrumque adulterum, tam virum, quàm uxorem, si post divortium ad alias nuptias transeant. Eodem tempore S. August. ex professo hoc docuit, tum in duobus libris de adulterinis conjugiis, tum in libro de bono conjugali.

Seculo VI. post annum Domini D. Primasius in commentario cap. 7. prioris ad Corinthios in illud *si discesserit, manere innuptam*, idem habet.

Seculo VII. post annum Domini DC. Isidorus idem docet lib. 2. de officiis divinis cap. 19.

Seculo VIII. post annum Domini DCC. Beda in cap. X. Marci idem affirmat.

Seculo IX. post annum Domini DCCC. Concil. Forojulicnse can. 10. idem apertissimè definivit; et eodem seculo Theophylactus in cap. XIX. Matthæi, et in cap. VII. prioris ad Corinth.

Seculo X. post annum Domini CM. Concil. Nannetense, quod sub Arnulpho Imperatore celebratum creditur, can 12. idem declaravit.

Seculo XI post annum M. Anselmus in cap. V. et cap. XIX. Matth. idem habet.

Seculo XII. post annum MC. idem definivit Alexander Papa III. cap. *ex parte*, de sponsalibus, et matrimoniis.

Seculo XIII. post annum MCC. idem definivit Innocentius III. cap. *Gaudemus*, de divortiis; et eodem seculo, idem docuerunt Theologi omnes, qui super dist. 35. IV. sententiarum scripserunt, ut S. Thomas, S. Bonaventura, et alii.

Seculo XIV. post annum MCCC. plurimi Doctores scholastici Scotus, Durandus, etc.

Seculo XV. post annum MCD. idem statuit Concilium Florentinum, in Instructione Armenorum, quod sanè mirum est non advertisse Cajetanum et Catharinum.

Seculo denique XVI. post annum MD. idem definivit Concilium Trid. Sess. 24. can. 7.

Accedat ultimò argumentum ex ratione petitum. Primò, matrimonium fidelium, signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia, ut Apostolus docet, cap. 5. ad Ephes. 32. at illa unio indissolubilis est: igitur et vinculum conjugale indissolubile est. Et quamvis tota simul Ecclesia à Deo fornicari non possit, tamen aliquæ partes Ecclesiæ, nonnulli videlicet fideles, fornicantur interdùm spiritualiter, et divortium faciunt, sed non propterea licet illis mutare Deum, aut Deus ita illos abjicit, ut nolit reconciliari, immò semper hortatur ad reconciliationem. Tale igitur debet esse conjugium Christianorum, ut nunquam tale divortium fiat, quin spes maneat reconciliationis. Et hanc rationem à sacramento dictam, valdè urget S. August. lib. de bono conjugali cap. 7. 15. 18 et 24.

2° Si licitum esset aliud matrimonium, injuriâ afficeretur proles: nam filiis jam natis malè consuleretur, qui pro patre vitricum, pro matre novercam habere inciperent. Et hæc est ratio S. Ambrosii in cap. 16. Lucæ, ubi etiam dicit, propter filios debere patrem matris culpæ ignoscere.

3° Si esset licitum ejusmodi conjugium vivente altero conjuge, aperiretur aditus infinitis repudiis etiam injustis. Nunc enim quia sciunt fideles, debere se, aut cælibes vivere, aut priori conjugi reconciliari, non facilè ad divortium adducuntur: At si scirent, mox repudiatâ uxore posse aliam duci, facillimè divortia fierent, et quærerent occasiones aliquando dissidiorum et criminum, etc. Et hanc rationem attingit Hieronymus in cap. XIX. Matth. ubi scribit, quia periculum erat, ne mariti ob desiderium alterius conjugii, calumniam struerent priori uxori, sic Dominum voluisse dimitti uxorem ob fornicationem, ut tamen eâ vivente non liceret aliam ducere.

4° Si post divortium in causa fornicationis, liceret parti innocenti aliud matrimonium inire, vel id liceret etiam nocenti, vel non liceret. Si liceret, ergo commodum ex peccato suo adulter reportaret, et sæpè etiam

« Si quis dixerit Ecclesiam errare cùm docuit et docet, » juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter » adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non » posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem qui » causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge » vivente, aliud matrimonium contrahere : mœcharique » eum qui dimisso adultero nupserit; anathema sit. (G)

viri deditâ operâ adulterium committerent, ut possent ab uxore liberari, et aliam uxorem ducere. Si non liceret, quæro in primis, quare? Nam cùm ea persona sit à vinculo prioris conjugii soluta (neque enim potuit pars innocens aliud matrimonium inire, nisi vinculo prioris dirupto) neque ulli faciat injuriam, quare non potest matrimonium contrahere? Dices quia lex prohibet. Sed ubi est lex prohibens? neque enim ulla lex exstat, quòd sciam quæ soli innocenti nuptias concedat. Deindè, cur prohiberet lex conjugari hominem solutum, et proclivem ad vitia, quando nulla restat ampliùs spes reconciliationis cum conjuge priore? Divino igitur, prudentissimo, justissimoque judicio Christus sanxit, conjugium quoad vinculum omninò indissolubile esse debere.

Adde ultimò, quòd etiam Romæ apud Ethnicos, ubi morum disciplina vigebat, nulla fiebant repudia. Scribit enim Tertullianus in Apologetico cap. 6. Romæ per annos fere DC. ab urbe condita nullum scriptum fuisse repudium : deindè autem eversâ disciplinâ, cum aliis vitiis etiam repudia introducta.

(G) SFORTIA PALLAV. è Soc. Jesu, S. R. Eccles. Card. *Hist. Concil. Trid. lib.* 22. *cap.* 4. Canon quoque paratus fuerat cum anathemate, in eum qui diceret matrimonia consummata ob adulterium dissolvi. Sed Oratores Veneti, die undecimo Augusti, cùm ipsis posterior modulus ostensus est, solemniter exposuerunt Conventui veterem Rempublicam semper conjunctissimam fuisse Apostolicæ Sedi, et Conciliis œcumenicis, ejus auctoritate celebratis, pioque semper studio complexam ac veneratam Decreta sanctionesque indè profecta, utpote divinam gloriam, animarum salutem, pacemque Christianorum promoventia. Verum ab eo, quod septimo Canone parabatur, nisi moderatione aliquâ reformaretur, inferri posse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præsertim verò Venetorum insulis, Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zacyntho, Cephaleniæ et aliis multis, non solùm cum publicæ quietis, sed cum Ecclesiæ Catholicæ detrimento. Compertum esse Patribus, tametsi Græca Ecclesia à Romana ex parte dissentiret, non tamen eò desperationis deventum, ut meliora sperari non possent : præsertim enim Græci in subjectis Reipublicæ locis degentes, quamvis ritu suo viverent, tamen Præsulibus Romano Pontifice assumptis obtemperarent. Ea propter tum rerum convenientiâ, tum Oratorum munere se compelli, ne ipsi eos populos percuti sinerent ejusmodi anathemate, quo ad tumultum, integramque à Sede Apostolica secessionem provocarentur. Satis constare, in more positum apud Græcos, ut uxorem adulteram deserant, et aliam ducant, veterrimam majorum consuetudinem, ut ipsi dicunt, secuti : nec idcircò illos damnatos, aut anathemate percussos fuisse ab ulla Synodo œcumenica, etiamsi Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ hujusmodi mos liquidò innotuisset. Existimare igitur Oratores sui esse muneris, quàm efficacissimè possent, postulare, ut voces illæ canonis adeò moderatè lenirentur, ne Græcis detrimentum inferrent, præsertim intentato anathemate; quod dubium non erat confici posse non solùm nullâ parta Ecclesiæ Catholicæ indignitate, sed fortasse retentâ plurimorum Doctorum reverentiâ. Posse, quantum ipsi rebantur, et obtineri quod Synodus intendebat, et Reipublicæ satisfieri, canone hujusmodi verbis confiato : *Anathema sit, si quis dixerit, sacro-sanctam Romanam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, quæ mater et magistra aliarum est, errasse, aut errare, cùm docuit, et docet, propter adulterium alterius conjugum, matrimonium non posse dissolvi; nec utrumque, vel etiam innocentem conjugem, qui causam adulterio non dedit, debere novum matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissâ adulterâ alteram duxerit, et eam, quæ dimisso adultero*

alii nupserit. Proptereà rogari Patres ab Oratoribus, ut vel eà, vel aliâ meliori ratione, pro ipsorum prudentissimo arbitratu, vellent in eo gratificari Serenissimæ Reipublicæ quæ semper sacro-sanctæ Sedi Apostolicæ obsecuta plenè fuerat, et erat obsecutura.

28. Hoc exemplar ab Oratoribus propositum, videbatur alicui ex ipsis, aut ex ipsorum Consiliariis, notam hæresis haud inusturum opinioni contrariæ; sed vim duntaxat habiturum ad infligendum anathema temerariis in eo vituperatoribus Ecclesiæ, quæ optimis nixa fundamentis eam doctrinam, tametsi non tanquam Fidei dogma, tradebat. Aliud fortasse ab aliis considerabatur; nimirùm, per eam sanctionem non damnari tanquam hæreticam sententiam oppositam, nisi positâ Ecclesiæ auctoritate; et non quasi divinis litteris evidenter id repugnaret: adeoque parci dignitati sancti Ambrosii, qui, ut ipsi arbitrabantur, id scripserat: et etiam Græcorum nomini, donec illis in comperto non esset, ab Ecclesia oppositum doceri; et donec ejus auctoritati contumaciter iidem haud refragarentur: quanquam illi, quòd spectat ad sanctum Ambrosium, allucinarentur; cùm ignorarent quod posteà recentium Scriptorum solertia animadvertit, videlicet expositionem Epistolæ primæ ad Corinthios, quæ sancti Ambrosii nomen præferens, hujusmodi sententiam continet, reverà opus magistri tantâ pollentis auctoritate non esse, sed aut Remigii, uti Joannes Maldonatus suspicatus est, aut Hilarii Diaconi schismatici, uti multi censuerunt apud Philippum Labbeum, aut incerti cujuspiam scriptoris.

29. Legati primo loco deleri jusserunt in Venetorum postulato verba quædam proposita, quibus pro ratione afferebatur, Græcos accitos ad Concilium non fuisse, sicuti Germanos et Gallos: quæ verba quasi in dubitationem revocabant habitam cunctorum Fidelium convocationem, perindè ac si ad id non sufficisset diploma convocationis universalis, solemni, ut par erat, ritu promulgatum, cunctisque Christianorum nationibus manifestum. Posteà cùm super ea re sententiæ dicerentur, Andreas Cuesta, Episcopus Legionensis, postulatum rejecit, affirmans, ab Ecclesia non usurpari eam damnandi formulam: *si quis dixerit, Ecclesiam errasse.* Hanc veritatem esse certam ac firmatam in Synodo Milevitana c. 13. in sexta œcumenica, et in Florentina; adduxitque ex Patribus Græcis Clementem Alexandrinum, et Basilium: quòd si quis ex aliis fortasse deerraverat, contrarium opinatus, complures tamen eorum, qui adducebantur, alio sensu locutos fuisse: quod ille palàm fecit, eorum dictis expensis. Et sanè creditum est, si Cuestæ locus loquendi inter primos obtigisset, sicut inter postremos debebatur in conventu, tantum ab eo numerum asseclarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem satis fuisset. Verùm reipsà plura suffragia consenserant, ut Oratoribus satisfieret.

Petr. Arcudius Presb. *In libr. de Concord. Eccles. Occident. et Orient. in septem Sacrament. administr. lib.* 7. *de Matrimon. cap.* 2. Hæc quæ disseruimus de insolubili vinculo Matrimonii facilè Græci admitterent: quia tamen Dominus Matthæi 19. permisit in causa fornicationis separationem fieri, dicerent Græci nihil obstare loca citata divinæ Scripturæ, quin fiat in aliquo casu exceptio. Non enim hoc modo tollitur jus divinum, sed per aliud jus divinum explicatur.

Insolubilitas item ratione sacramenti, dicerent, satis est, si perpetuò ferè servetur excepto illo casu. Quemadmodum, et consummatum Matrimonium ex verbis Christi, *quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* xix. 6. *etc.*), indissolubile esse videtur, et tamen in infidelitate contractum, si alter conjux ad fidem convertatur, solubile fit per dispensationem Christi, quam explicat Paulus in 1. ad Corinthios cap. 7. quamvis reverà illud non homo, sed Deus separet. Et si objicias illud non esse sacramentum, neque significare conjunctionem Christi cum Ecclesia, saltem exceptionem possumus invenire in Matrimonio contracto non consummato, quod est sacramentum, et per dispensationem separationem patitur.

Itaque controversia gravissima inter Græcos, et Latinos, agitari solet de hac insolubilitate Matrimonii. Si quidem Græci putant in causa adulterii dirimi posse Matrimonia, et nova contrahere licere. Latini verò con-

trà, rectè docent, conjugia quidem quoad torum, et cohabitationem ex tali causa dirimi, nullo verò pacto quoad vinculum dissolvi posse, ita ut divortium, non autem repudium fiat.... Quoniam verò in re præsenti tam Græci, quàm Latini existimant se idem omninò sentire, atque tenere, quod olim sanctissimi, iidemque doctissimi Patres sacrâ Scripturâ freti, atque innixi docuerunt, cum quibus idem velle, idemque nolle fas sit, ac omninò necessarium, idcircò, ut tota res viâ, et ratione tractetur, æquè rationes, atque testimonia Patrum in medium adducemus.

Porrò autem Patres Græcos, et Latinos eodem scilicet Spiritu sancto plenos, et ab eodem agitatos in hac re ad concordiam me redacturum, Deo benè juvante, confido. Rationum verò alias diluere, alias confirmare pro mea parte virili conabor.

Græci igitur duo asserunt. Alterum in dissidiis quibusdam levioribus, ut sunt rixæ, jurgia, et id genus, et quas ipsi vocant (*micropsychias*) pusillanimitates, posse quidem dirimi Matrimonium quoad torum, et cohabitationem, nullo pacto quoad vinculum. Agnoscunt enim Patres Græci hanc distinctionem. Sic exponit Chrysostomus homiliâ 19. locum Pauli prioris ad Corinthios cap. 7. iis qui Matrimonio juncti sunt, *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* (*1. Cor.* VII. 10. *et* 11.)

Quandoquidem enim (inquit Chrysostomus) *cùm propter continentiam, tum aliis prætextus, et pusillanimitates separationes fieri contingebat. Satius est, inquit Paulus, ut nequidem fiant à principio, si verò tandem fiant, maneat* uxor cum viro, quamvis non simul misceatur, at quod nullum *alium virum introducat. Oecumenius ait... Et si non conjunctione corporis, at conjunctione animi*, ac voluntate, et quod alium virum ad se non admittat.

Canonistæ quoque Græcorum, ut Zonaras, Matthæus Blastarius, et alii canonem quadragesimum sextum Basilii magni in Epistolis Canonicis ad S. Amphilochium in eum sensum accipiunt, et interpretantur, ut clarè indicent aliquando fieri divortia ob parvas res, *micropsychias*. Canon sic habet... *Quæ autem per ignorantiam nupserit viro à propria uxore ad tempus relicto* (fortassis, inquiunt Zonarus, et Blastarius ob aliquam mœstitiam seu pusillanimitatem) *posteà dimissa fuerit, quòd ad eum prior reversa sit, fornicata est quidem, sed per imprudentiam, à nuptiis autem non cohibebitur.*

Alterum quod asserunt posteriores, Græcorum est, in causa fornicationis dirimi Matrimonia etiam quoad vinculum, et omni ex parte solutionem. Sic intelligunt dictum Evangelicum Matthæi cap. 19.

Proponuntur rationes Græcorum pro solubilitate Matrimonii.

Cap. 7. Undè sit prima ratio illorum. Dominus in Evangelio ait, *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.* Inferunt Græci à contrario sensu, ergo qui dimittit ob fornicationem, et aliam ducit, non mœchatur. Hæc enim sententia Domini, duarum orationum vim habere videtur, quarum altera est affirmativa continens hujusmodi regulam. Si quis uxorem suam, absque causa fornicationis, dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur. Altera est negativa, quæ continet exceptionem à regula propter particulam illam, *nisi*, et est, Si quis uxorem suam ob fornicationem dimiserit, et aliam duxerit, non mœchatur. Et per Matthæum sic intellectum explicant alibi ipsummet Matthæum, cæterosque Evangelistas, et B. Paulum, qui omnes universè prohibent nova conjugia, vivente altero conjugum.

Quòd autem ita sit intelligendus Matthæus, præter quàm (aiunt nonnulli) quòd ipsa verba Domini plana sunt, et hunc sensum clarissimè exprimunt, nisi quis illis vim inferat, probatur etiam consequentibus rationibus.

Secunda ratio. Dominus interrogatus à Pharisæis de libello repudii, quod perfectam dimissionem continebat, ut patet Deut. XXIV. 1. utrum liceret, fatetur quidem antiquis dictum fuisse, *Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii, idque propter duritiam cordis illorum* (*Matth.* V. 31. *et* XIX. 7.), se tamen corrigere istud, et prohibere; ideò infert, *Ego*

autem dico vobis, quòd omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, mœchatur. (*Ibid.* 32.) Quibus verbis Dominus tollit, et abrogat libellum repudii, excipit tamen casum fornicationis, in quo eum concedit. Alioquin non ad interrogata respondisset. Si enim nullâ ratione in aliquo casu concessisset libellum repudii, non adjecisset illa verba, *nisi ob fornicationem*, sed absolutè, et simpliciter dixisset, *omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur.* Quippè in utroque casu, id est, sive ex causa fornicationis, sive non, mœchatur, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit.

Tertia ratio. De illa quæ dimissa est absque causa fornicationis duo pronuntiat Dominus, alterum quòd qui eam dimiserit, facit eam mœchari, alterum quòd qui eam duxerit mœchatur. Ex quo sequitur, quòd si ex causa fornicationis dimiserit, non faciet eam mœchari. Alioquin vir semper culpandus esset, etiam si in causa fornicationis dimitteret. Igitur si dimittens in causa adulterii, non facit eam mœchari, si cum alio copuletur; Nec ille erit mœchus, qui cum ea conjungitur. Non citra causam fornicationis hæc duo dicuntur, quâ posità, et existente utrumque tollitur.

Quarta ratio. Christus Dominus ostendit insolubilitatem Matrimonii, cùm ex modo creationis, quippè ait, *Qui fecit ab initio masculum et feminam fecit eos;* tum ex mandato, et lege divina, *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori, et erunt duo in carne una; ita ut non sint duo, sed una caro.* Et tandem infert, *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* (*Matth.* XIX. 4. 5. *et* 6.) Ex his apparet inseparabilitatem esse, ac provenire ex eo quod conjuges sibi invicem adhæreant, non sint duo, sed una caro. Christus Dominus, qui non est merus homo, sed verus Deus et verus homo, et per consequens legislator, concedit separationem propter adulterium, id est, concedit ne adhæreant ampliùs, neque sint duo una caro. Idque meritò, cùm per adulterium illa una caro discissa fuerit. Ergo concedit veram solutionem Matrimonii. Quippè à contrario adhærere, et esse unam carnem, est signum insolubilitatis Matrimonii.

Quinta ratio. Causa propter quam vir, et stante Matrimonio, non potest ducere aliam, est quia non habet potestatem sui corporis, sed corpus suum, jam non est suum, sed uxoris ad Matrimonii usum. Similiter corpus uxoris mariti est. At per adulterium liberatur par innocens hac obligatione, idque permittente Domino, ita ut corpus viri, vel feminæ non sit amplius alterius, sed in propria sit potestate. Cur igitur dicitur non esse solutio vinculi?

Sexta ratio. Si Matrimonium sit inter infideles, et alter eorum efficiatur fidelis, potest solvi etiam quoad vinculum. Cur igitur non in causa fornicationis?

Prætereà, spiritualis fornicatio separat sponsum à sponsa, ita ut sponsus valeat aliam sibi deligere; cur hoc non admittetur in carnali conjugio, cùm in carnali sit spiritualis significatio, ut dicit Paulus? Prætereà, cur Christus Dominus fornicationem exceperit ægrè admodùm ratio reddi potest, nisi quia adulterium directe, et è diametro Matrimonio se opponit, ac prorsùs frangit vinculum Matrimonii. Tria enim bona, quæ in Matrimonio reperiuntur fides, proles, et sacramentum, ab adulterio penitùs destruuntur, quippè adulterium adversatur fidei præstitæ, ut propterea nulla fiat injuria, si frangenti frangatur etiam fides. Est adversùs prolem, quam incertam efficit. Est etiam contrarium sacramento, quia unam carnem in duas dividit, et per consequens vinculum solvit; quod vinculum efficiebat, ut neuter conjugum haberet potestatem sui corporis, posito autem adulterio jam habet.

Postremò, illa quoque versatur in ore multorum ratio, cur liceat nova inire conjugia. Aiunt enim ne id fiat, virum innocentem jure suo privari, et valdè perplexum remanere. Si enim retineat uxorem adulteram, infamis ab aliis reputatur. Si dimittat, et non possit aliam ducere, periculum est, ne peccatis succumbat, et in adulteria præceps ruat; præsertim si eum dono continentiæ carere contingat.

Cap. 18. Verùm deinceps argumenta pro confirmatione oppositæ partis suprà posita diluenda sunt.

Ad primum respondeo. Ex illis verbis Matthæi cap. XIX. 9. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur*, non debet inferri, Ergo quicunque dimiserit ob fornicationem, et aliam duxerit, non mœchatur. Nam hic quoque mœchatur, non ex eo quòd dimiserit, sed ex eo quòd duxerit. Illud enim, Nisi ob fornicationem, non respicit nisi permissionem, et primam partem sententiæ. Et tunc duo asserit Dominus, alterum non licere dimittere uxorem quoad torum nisi ob fornicationem, alterum non esse licitum quacunque ex causa dimittere quoad vinculum, quod quidem esset, si alteram duceret, tunc enim mœcharetur. Tum verò à contrario sensu illud potest inferri, Ergo qui ob fornicationem dimittit uxorem, et aliam ducit, non peccat dimittendo, sed solùm mœchatur aliam ducendo.

Secunda expositio est, ut illud verbum, *mœchatur*, bis accipiatur hoc sensu, qui dimittit uxorem sine causa mœchatur, hoc est facit eam mœchari. Sic enim interpretatur Clemens Alexandrinus illud verbum *mœchatur*, in fine secundi libri Stromatum : *Qui autem*, inquit, *dimissam ducit, mœchatur eam, hoc est, cogit eam mœchari.* Neque refert quòd Clemens de eo, qui ducit, ita dicat, nam continenter infert : *Non, tantùm verò qui dimisit, verùm et qui eam accepit hujus est causa.*

Quare uterque mœchatur, hoc est, facit eam mœchari. Quamvis qui ducit, dupliciter peccet, et quia facit eam mœchari, et quia ipse mœchatur. Quo eodem modo interpretatur etiam Theophylactus, (*paraitios aute ginetai moichcias*) auctor est ipsi adulterii. Et optimè quidem exponit. Nam idem Matthæus cap. V. 31. habet, *quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, facit eam mœchari*, idque patitur natura rei. Alioquin quomodo vir mœchatur dimittendo, si nullum ipse adulterium re ipsa committit ? At verò ut uxor dimissa evadat adultera, si alii nupserit, profectò vir dimittens sine causa, in causa est, Qui ergo dimittit mœchatur hoc sensu, et qui aliam ducit mœchatur. Quare bis mœchatur. Et tunc à contrario sensu illud inferendum est. Ergo qui propter fornicationem dimittit uxorem, et aliam ducit, non mœchatur bis, sed tantùm semel. Id est, non mœchatur dimittendo, sed solùm aliam ducendo. Quod est verissimum.

Quæ duæ expositiones in idem concurrere videntur. Atque hæc posterior est etiam sancti Augustini in libro contra Adimantum cap. 3.

Tertia expositio est similiter ejusdem Augustini libro primo de adulterinis conjugiis cap. 9. ubi docet verba illa *nisi ob fornicationem*, accipienda esse negativè, non exceptivè, ut sensus sit, Qui dimiserit uxorem suam extra causam fornicationis, et aliam duxerit, mœchatur. Ex quo affirmatur quidem adulterium illius, qui extra causam fornicationis uxore dimissâ, alteram ducit, nihil autem dicitur de eo, qui ducit aliam priore dimissâ ob fornicationem. Nam et illum esse adulterum constat ex cap. 16. Lucæ, *omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur.* (*Luc.* XVI. 18.) Quare sive justè, sive injustè dimiserit, si tamen duxerit, mœchatur. Illustrat hanc sententiam exemplo S. Augustinus loco citato ex Epistola Jacobi cap. IV. 17. *Scienti bonum, et non facienti peccatum est illi.* Neque tamen inferre possumus, Ergo ignoranti bonum, et non facienti, peccatum non est illi. Nam sunt etiam peccata ignorantiæ. *Quemadmodum*, inquit Augustinus, *non rectè dici potest, Si ergo nescit homo non peccat.* (*Sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quàm scientium*) *ita non rectè dici potest, Ergo si causâ fornicationis dimiserit vir uxorem, et aliam duxerit, non mœchatur. Est enim mœchatio etiam eorum, qui alias ducunt relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor, quàm eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, et alias ducunt.*

Huic sententiæ possemus accommodare dictum Basilii Magni ex Epistola ad Diodorum Episcopum Tarsensem de eo, qui duas sorores in Matrimonium ducit.... *Interrogati sumus*, inquit Basilius magnus, *utrum scriptum sit, licitum esse accipere uxorem super sorore* (scilicet demortuâ :) *respondimus id quod tutum, et verum est, non esse scriptum. Cæterum velle ex illatione consequentis quod silentio prætermittitur est, syllogizare, legem ferentis est, non legem recitantis.* Quando itaque Philadelphiæ Antistes infert nobis illationem ex verbis Evangelici textûs, et facilè videtur sibi

concludere, non solùm solutionem Matrimonii quoad torum, sed etiam quoad vinculum; opponamus illi regulam Basilii Magni, atque dicamus, non semper apparentem illationem valere in sacris litteris, ob aliquem defectum quem in superioribus solutionibus indicavimus.

Verùm non est negandum, quin præsens locus Evangelii, ut sunt non pauca Scripturæ loca difficillima, obscurissimus sit, sive potiùs fuerit, ut etiam rectè advertit S. Augustinus in libro de fide, et operibus cap. 19. his verbis: *Quisquis uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, et aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui exceptâ causâ adulterii dimittunt, et ducunt. Et in ipsis divinis sententiis, ita est obscurum, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si aliam duxerit, ut quantum existimo venialiter quisque fallatur.* Sic Augustinus.

Itaque ait, venialiter falli eos, qui ob Scripturæ obscuritatem existimant, non esse adulterum eum, qui dimissâ uxore causâ fornicationis aliam ducit. Non enim tempore Augustini erat hoc dogma ab aliquo generali Concilio explicatum. Et multi viri docti eâ tempestate ob difficultatem consulebant Patres, et Doctores, ut Pollentius Augustinum, Amandus Hieronymum, Amphilochius Basilium. Undè pro captu ingenii citra pertinaciam liberum erat cuilibet hoc vel illo modo disserere, ac explanare, idque ante definitionem Ecclesiæ, quæ ubi accesserit, solis instar fugantis tenebras omnem controversiam cessare necesse est, et placitis Patrum acquiescendum. Inter Græcos verò quantum valeo assequi conjecturâ, existimo contrariam sententiam, et malam consuetudinem tandem invaluisse per leges civiles Imperatorum, quæ repudium permittebant. Nam in primis apud Romanos exstat lex 23. in duodecim tabulis: Ut, *si è conjugibus alter alteri nuntium mitteret, eumque suas res sibi habere juberet, divortium esset.* Meminit hujus legis Cicero in secunda Philippica, *Noli*, inquit, *credere, frugi factus est Antonius, Mimam illam suam suas res sibi habere jussit ex 12. tabulis, claves ademit, exegit.*

Item antiqui Romani inter causas repudiorum enumerabant, si uxor trinoctium à viro abfuisset, si circensibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis in illis locis, in quibus hæc assolent celebrari, marito prohibente uxor interfuisset. Ita Sempronius Sophus uxorem repudiavit, nil aliud causatus, quàm se ignorante eam ausam ludos spectare; teste Valerio Maximo lib. 6. cap. 5. Nec deerant aliæ causæ repudiorum inter Gentiles.

Deindè Theodosius, et Valentinianus Imperatores anno Domini 449. multis de causis repudium concesserunt in leg. *consensu* cap. *de repudiis.* « Si qua igitur, *inquiunt*, maritum suum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certè contra nostrum Imperium aliquid » molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit, si sepulcrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem, vel latronum susceptorem, vel abactorem, vel plagiarium, vel » ad contemptum sui, domi suæ ipsâ inspiciente cum impudicis mulieribus, quod maximè etiam castas exasperat, cœtum ineuntem, si suæ » vitæ veneno, aut gladio, aut alio simili modo insidiantem, si verberibus, quæ ingenuis aliena sunt, afficientem probaverit, tunc repudii » ei permittimus libertatem. »

Post commemoratos Imperatores Anastasius anno Domini 497. quamvis nulla talis intercessisset causa, bonâ gratiâ, hoc est, nudo consensu, sine querela, et sine libello repudii, et quòd Plutarchus ait, *met'euphemias* posse dirimi Matrimonia statuit. Lege *si constante* cap. *de repudiis.* « Si constante Matrimonio, communi consensu tam viri, quàm mulieris repudium sit missum, quo nulla causa continetur, quæ consultissimæ constitutioni divæ memoriæ Theodosii, et Valentiniani inserta » est, licebit mulieri non quinquennium exspectare, sed post annum ad » secundas nuptias convolare. »

Itaque secundùm hanc Anastasii Imperatoris legem, nuptiæ quemadmodum solo consensu contrahebantur, ita nudo consensu distrahebantur.

Observandum autem est hanc, quam vocant bonam gratiam, Justinianum reduxisse ad quatuor causas.

Debilitatem. Novell. 117. anno Domini 536. et tunc quarta oscitatio requirebatur.

Monachismum, quem comparat morti. Atque ideò quòd pacti sunt conjuges in causa mortis, trahit etiam ad casum monachismi.

Captivitatem, et patientiam quinquennii. Hac tamen lege quandiù certum est superesse captivum, conjux in civitate connubium non habet, id est, jus secundi Matrimonii; sed si incertum hoc sit, satis est exspectari eum quinquennio. Post quinquennium secundæ nuptiæ impunitæ sunt, quasi bonâ gratiâ solutis prioribus.

Huic Novellæ derogavit Leo Imperator. « Sancimus ut nequaquam » ampliùs quæ pars intacta à servitute mansit, ad ulterius conjugium » procedat, sed quotcunque annis altera in servitutis miseria detinebi- » tur, tametsi nullam neque de scripto, neque citra scriptum significa- » tionem accipiat, illam exspectet. »

Addidit præterea Leo solvi nuptias reverso captivo, vel lege Juliâ posse eam accusari, quæ interim nupsit alteri. Cujus tamen saluberrima institutio, ut Græci interpretes observarunt, nullius fuit auctoritatis apud Græcos, usu non approbante. Quemadmodum cæteræ quoque ejusdem Imperatoris constitutiones Novellarum correctoriæ nullam vim obtinuerant, exceptis iis, de quibus anteà nihil constitutum fuerat.

Quartam causam assignat Justinianus bonæ gratiæ servitutem, quâ Matrimonium solvebatur, ut si libertus, vel filius liberti ingratus in servitutem redigatur, mariti nomen amittit. Hæc omnia ex Novella 22.

Ex his quatuor causis solvebatur Matrimonium bonâ gratiâ sine repudio. Ex aliis autem causis Matrimonium non solvebatur sine repudio.

Jus Canonicum frigiditatem naturalem, et Monachismum ante consummationem Matrimonii approbat. Sed quia Justinianus non ita intelligebat, idcircò eum, sicut et cæteras ejus causas meritò improbat.

Idem Justinianus posteà prudentior factus tam Anastasii constitutionem de bona gratia, quàm suas annullavit, et revocavit fermè causas Theodosii, et Valentiniani abscissis aliquot, Novellâ 117. cap. 8. de *Justis divortiorum causis meritò permissis.* Ubi sex causas marito, totidem uxori attribuit.

Sed cum in ordine secutus Justinus, ilerùm confirmavit contra leges sanctas parentis legem Anastasii, quâ bonâ gratiâ solvuntur Matrimonia. Quæ Justini constitutio inter Novellas Justiniani centesima quadragesima annumeratur.

Ex his omnibus recensitis illud satis constat, hos omnes Christianos Imperatores in materiâ Matrimonii errasse quidem, sed alium alio turpius.

Matthæus quoque Blastarius in suo Nomocanone post commemoratas repudii causas à Justiniano assignatas infert : *Propterea qui non sic dimissam duxerit, mœchatur.* Quasi verò nullum sit adulterium, si sic dimissam duxerit.

Non igitur mirum si Græci auctoritate Cæsarum decepti magno sanè Reipublicæ Christianæ detrimento hujusmodi repudia admiserint, permiserunt, et continuarunt, præsertim cùm et textus Evangelicus suâ sponte, nulloque negotio in eam sententiam currere videretur.

At neque Imperatores adeò accusandi sunt, tum quia in primitiva Ecclesia non defuerunt Episcopi, teste Origene, qui dictum Evangelicum perperàm exponentes libellum repudii concederent, quorum auctoritate poterant Imperatores decipi, et errare. Tum etiam quia Imperatores minimè approbarunt tanquam licita repudia, sed tanquam minùs mala permiserunt, quo graviora damna præcaverentur. Quod quidem Justinus in commemorata sua Novella his verbis clarè testatur : *Contigit ut ex his nonnulli ad mutuas insidias procederent, venenisque, et aliis quibusdam, quæ lethalia essent, uterentur. In tantùm sæpè neque liberi, qui ipsis communiter nati essent, illos in unam eamdemque voluntatem conjungere potuerint.*

Ita non pauci Doctores aiunt Moysen ea Hebræis permisisse, quamvis enim princeps teneatur pravas consuetudines abolere, et reus sit culpæ id omittens dum commodè efficere potest; secùs tamen est ubi absque majori damno communis boni id fieri nequit. Undè rectè Chrysostomus,

sive quicunque fuerit auctor Homiliæ 32. in cap. 19. Matthæi in opere imperfecto, *quod præcipimus*, inquit, *semper placet, quod autem permittimus, nolentes præcipimus, quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus.*

Solvuntur reliquæ rationes Græcorum contra Latinos.

Cap. 19. Ad secundum quòd Pharisæi interrogaverint Dominum de dimissione quoad vinculum, siquidem talis erat natura repudii, respondeo Dominum *ec periousias* majorem tradidisse doctrinam, quàm ipsi postulassent. Si enim respondisset præcisè nullo modo licere uxorem dimittere, et aliam ducere; potuissent iterùm quærere, Saltem licet in aliquo casu dimittere, et non aliam ducere? Quare Christus Dominus ad utrumque statim à principio summâ brevitate respondet, quòd nimirùm liceat ob fornicationem, et tamen non liceat sine adulterio aliam ducere. Uno itaque concesso alterum sustulit.

Neque debemus hæc duo confundere. Si enim grave est quibusdam dimissâ uxore adulterâ, non posse aliam ducere, longè gravius iisdem fuisset, si cogerentur relinere adulteram. Quare si Christus Dominus non adhibuisset exceptionem, multò magis homines anxio, sollicito, et implicato fuissent animo.

Vel secundùm quosdam dicendum est, quæ illorum expositio mihi valdè probatur. Duplicem fuisse Judæorum in dimittendo uxores consuetudinem, et utramque malam: alteram quidem ob quascunque causas dimittendi uxores. Alteram verò dimissis prioribus, alias ducendi uxores. Utramque verò damnavit Dominus, et corrigere voluit: et contra priorem quidem ait (*Matth.* XIX. 9. *etc.*): *Dico vobis quòd quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur.* Quia fidem videlicet conjugalem violat, sibique et uxori periculum affert mœchandi. Contra posteriorem verò Judæorum consuetudinem adjunxit illud, *et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Non aliam certè causam, nisi quia, quæ dimissa fuerat ob fornicationem, non erat prioris Matrimonii vinculo soluta.

Unde verbum *mœchatur* Matthæus cap. 5. distinctè conjunxit cum eo, quod est dimittere uxorem, et cum eo, quod est aliam ducere, dicens, *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* (*Matth.* v. 32.) Malè itaque Cajetanus, et Erasmus verbum *mœchatur* conjunctè ad utramque partem sententiæ referunt, quo significatur, si adsit causa fornicationis utrumque licere et uxorem dimittere, et aliam ducere, cùm distinctè ad priorem et posteriorem partem referri debeat. Alioquin si vera esset horum sententia, colligi posset, non esse prohibitum à Christo quamvis alia de causa præter fornicationem dimittere uxorem, dummodo nec vir dimitteus, nec uxor dimissa ad alias transeat nuptias. Quod falsum profectò esse constat.

Atque hæc dicimus, si sententia sumatur exceptivè; sin autem negativè, ut requirit tertia expositio, tunc dicendum est, Dominum nolnisse generatim dicere, omnis qui dimittit uxorem, et aliam ducit, mœchatur, sed consideratis loco, et tempore respondisse Pharisæis, qui venerant parati, ut eum tentarent, et in sermone caperent. Cùm ergo interrogassent, an liceret dimittere uxorem quoad vinculum quacunque ex causa, Dominus divinâ prudentiâ præcisè ad interrogata respondit non licere quacunque ex causa, quia non licet dimittere non fornicariam, et aliam ducere. (*Matth.* XIX. 8.) Quamvis enim per veterem legem liceret etiam non fornicariam dimittere, scilicet si propter aliquam fœditatem non placuisset viro, eique odio fuisset: tamen illud permissum fuisse ait Dominus propter duritiam cordis illorum. Quæ enim justa causa foret dimittendi uxorem castam, et quæ fidem servasset marito? Ergo malè non fornicariam dimittebant. Utrum autem liceret dimittere fornicariam quoad vinculum, et per consequens fas esset aliam ducere, Dominus tunc apertè dicere noluit, quia non erant auditores capaces. Quòd si illi intulissent, Ergo licet dimittere, quoad vinculum fornicariam, tunc Dominus istud utique negasset. Quemadmodum domi ab

Apostolis interrogatus apertè suam mentem aperuit, et universè pronunciavit, omnem qui uxorem dimittit, et aliam ducit, mœchari.

Ad tertium patet responsio ex dictis. Illud enim, *nisi ob fornicationem* non debet referri ad utrumque membrum orationis, sed tantùm ad primum. Perfecta enim dimissio duo continet, dimissionem unius, et potestatem ducendi aliam: primum Dominus approbavit, idque in causa fornicationis; posterius improbavit, et propterea illam exceptionem, nisi ob fornicationem, Dominus non adjecit in fine sententiæ, sed in medio post primum membrum. Non enim dixit, Quicunque dimiserit, et aliam duxerit, nisi ob fornicationem, mœchatur.

Vel cum Augustino dicendum est, sententiam Salvatoris negativè accipiendam esse, et sensum esse, Quicunque dimiserit uxorem non fornicariam, et aliam duxerit, mœchatur: ex quo non infertur, Ergo qui dimittit uxorem fornicariam, et aliam ducit, non mœchatur; non enim valet secundùm ea, quæ diximus suprà.

Quartum argumentum innititur falso fundamento, quippè ponis vinculum Matrimonii esse copulam, in eaque consistere essentiam Matrimonii, indè verò falsa concludit.

Ad quintum respondeo, causam, cur aliquis non posset ducere aliam, non esse, quia non habet potestatem sui corporis, sed quia præcisè reperitur inter conjuges vinculum, idque indissolubile, ex quo sequitur tanquam effectus, ut qui sit vinculo conjugali constrictus non habeat potestatem sui corporis, qui quidem effectus in causa fornicationis cessat, sed cum quadam coarctatione; non enim vir ob uxoris adulterium adeò liber evadit, ut suum corpus possit alteri tradere, sed tantùm illud uxori in pœnam peccati denegare potest. Cessat itaque hoc modo ejusmodi effectus, durante causà nimirùm vinculo, quod est de essentia Matrimonii. Ambrosius autem Catharinus modò hùc, modò illùc se vertit, et multa miscet, atque confundit invicem. Quippè in superiori argumento essentiam Matrimonii aiebat consistere in copula. Nunc verò ponit in eo esse, ut quis non habeat potestatem sui corporis. Quòd si ista non constituunt essentiam Matrimonii, ut reverà non constituunt, non igitur aliquid indè necessariò concludit.

Ad sextum, maximum esse aio discrimen inter Matrimonium legitimum, et ratum, hoc est, inter Matrimonium, quà est officium naturæ, et quà est sacramentum, cui etiam addimus esse consummatum. Nam Matrimonium verum, et legitimum habet quidem insolubilitatem quamdam naturalem, ea tamen non tanta est, ut in aliquo casu non possit dispensari, atque solvi. At Matrimonium ratum in sua tota perfectione, id est, ratum et consummatum, ut nullam admittit dispensationem, ita etiam nullam perfectam solutionem. Non autem admittit propterea quod significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ indissolubilis est: quà conditione caret Matrimonium legitimum.

Ad septimum, quòd spiritualis fornicatio separet sponsum à sponsa, concedendum est, sed negandum posse totam Ecclesiam spiritualiter fornicari, et consequenter separari à sponso. Si autem per sponsam non Ecclesiam intelligat, sed animam justi, tunc nihil concludit, non enim Matrimonium consummatum conjunctionem justi cum Deo, sed Christi cum Ecclesia significat, de quo Paulus ait, *ego autem dico in Christum et Ecclesiam.* (*Ephes.* v. 32.) Sed et animam peccantem non ita abjicit Deus, ut non possit reconciliari, immò semper eam hortatur ad reconciliationem.

Ad octavum, concedo illam esse causam, cur Christus Dominus ob fornicationem, dimissionem quoad torum concesserit, ut hactenùs diximus. Quia fornicatio directè adversatur bonis matrimonii, nimirùm fidei, proli, cohabitationi; non tamen solvit vinculum, quod est quid distinctum ab aliis hisce circumstantiis, ut à principio libri notatum est.

Ad ultimum, quòd, si retineat vir uxorem adulteram, incurrit in infamiam, si dimittat, timet de incontinentia.

Respondeo, si sit vir Christianus non debet curare, sed parvi pendere perversas leges, et corruptos mores hujus mundi, et amplecti piissimas leges Christi. Si enim Dominus ex reconciliatione benignus, misericors

et humani generis amator à sacra Scriptura meritò prædicatur; quomodo vir infamis, ac non potiùs humanus erit, si idem præstiterit? An magis offenderat serva conservum, quàm Regem, et Dominum gloriæ? At sanctificata est apud Deum sacramento Pœnitentiæ, ideoque reconciliata. Caveat igitur vir ne sanctior esse velit ipso Deo verè sancto, et totius fonte sanctitatis, ne dicat, *noli me tangere.* Quid si fortè ipse etiam adulter exstiterit? et si non opere, saltem voluntate, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. An libenti animo relinqui ab uxore casta et despici pateretur? Quid si congeriem flagitiorum commiserit, et spiritualiter anima ejus sit adulterata, an non optat Deum propitium sibi fieri? An tam severum, et inexorabilem judicem in sua causa videre illum non reformidat? Quin potiùs ille ad honestam, et castam reconciliationem animam invitare non cessat, quam post tot adulteria sibi jam reconciliatam uberrimè lactat, et ducit in solitudinem, ubi nemo adest, ut sine ullo impedimento liberiùs loquatur ei ad cor verba blanda, et consolatoria, et percutit eum ea fœdus, ac *desponsat sibi eam in sempiternum in justitia, et judicio, et misericordia, et miserationibus*, Osee II. 16. Hæc illi præstitit castissimus, idemque liberalissimus sponsus, si unquam eum offendit, offendit autem sæpenumero in multis. Caveat igitur ne sibi dicatur: *Nonne oportuit te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum.* (*Matth.* XVIII. 33.)

Sed esto, nolo retineat adulteram, ne tamen fiant alia conjugia, quæ convincuntur esse adulteria.

At non possum, ait, continens esse; audiat parumper quæso aureum illud os Chrysostomum homilià 16. in Epist. ad Hebræos circa finem moralis. *Non enim*, inquit, *licet dicere non possum, neque accusare opificem. Nam si nos tales fecit, qui non possemus, deindè jubet, ipse accusandus est. Quomodo ergo dicit aliquis, multi non possunt? Quomodo ergo multi nolunt? Nam si volunt, poterunt omnes. Propterea, et Paulus ait*, volo omnes homines esse, ut me ipsum. (1. *Cor* VII. 7.) *Quia sciebat omnes posse esse, sicut erat ipse. Neque enim hoc dixisset, si fieri non posset.* Sic ille. Quare accingat se ad servandam continentiam, desperat de suis viribus, rectè istud, sed imploret divinum auxilium. *Petite, et accipietis.* (*Matth.* VII. 7. *etc.*) *Quid si uxor esset*, ut ait S. Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 11. *in languore insanabili, atque diuturno? aut etiam si alicubi esset corpore separata, quò maritus non posset accedere? Putà si duceretur captiva, aut detineretur in carcere, aut si volens servare castitatem, casta castum dimitteret; non quidem laudabiliter, quia non ex consensu, dimitteret tamen. An propterea licebit viro nova inire conjugia?* At quæ causa dissolvit priora? non enim intercessit adulterium. Itaque non unus tantùm casus incidit; nempè quando quis dimittit adulteram, ut sine sua culpa perpetuò servare castitatem cogatur. Ut si etiam vir ab uxore disjunctus sive mercaturæ, sive justi negotii causà multos annos in longinqua regione peregrinetur, volens nolens vivere continenter cogitur.

Similiter non in dissimili causa, sine culpa, quamvis non sine causa sæpè filius ob peccatum patris privatur hæreditate, innoxius ob aliqua judicia jure torquetur à judice, sed jam satis. *Cætera vide apud Auctorem. Eamdem sententiam tuentur Theologi omnes qui de Matrimonio scripserunt, quos consulere potes.*

Decret. GRATIANI *part.* 2. *causâ* 32. *q.* 7. *cap.* 1. Interveniente divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita ut sibi conjuges sint, etiam separati; cùm illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati. *Ex* S. AUG. *de bono conjug. cap.* 7.

Cap. 2. Licitè dimittitur conjux ob causam fornicationis: sed manet vinculum prioris. Propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis.... Ita manente in se vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro. Carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus. *Ex* S. AUG. *de adult. Conjug. lib.* 2. *cap.* 4. *et* 5.

Cap. 3. Apostolus dicit: *His qui sunt in conjugio, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit manere innuptam, aut reconciliari viro suo.* (1. *Cor.* VII. 10. *et* 11.) Potest enim fieri, ut discedat eà causà, quà Dominus permisit. Aut, si feminæ licet virum

I. Licetne uxori discedere à viro adultero, quemadmodum licet viro discedere ab uxore adultera ?

R. Iniquum esset ex mente SS. Hieronymi et Augusti dare potestatem viro discedendi ab uxore adulterâ (H), simulque dimittere etiam præter causam fornicationis et non licet viro : quid respondebimus de hoc, quod dixi posteriùs ? *Et vir uxorem ne dimittat.* Quare non addit, exceptâ causâ fornicationis, quod Dominus permittit ? Nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit, quod causâ fornicationis permittitur, maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori ? *Apud* BEDAM. 1. *Cor.* VII. *ex lib.* 1. S. AUG. *de Serm. Dom. in monte cap.* 26.

Cap. 4. Fieri potest, ut vir dimittat uxorem causâ fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Jam verò si nec illi nubere conceditur, vivo viro, à quo recessit, neque huic alteram ducere vivâ uxore, quam dimisit : multò minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. *Ex* S. AUG. *de Serm. Dom. in monte l.* 1. *c.* 15.

Cap. 5. *Ex* CONC. MILEVITANO *Canone* 17. Placuit ut secundùm Evangelicam et Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur : sed ita mancant, aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.

Cap. 6. Dominus ad illud confirmandum, ut non facilè dimittatur uxor, solam causam fornicationis excepit, cæteras verò universas molestias si quæ fortè exstiterint jubet pro fide conjugali, pro castitate fortiter sustineri. Et mœchum dixit etiam virum, qui eam duxerit quæ soluta est à viro. *Ex* S. AUG. *lib.* 1. *de Serm. Dom. in monte cap.* 15.

Cap. 7. *Ex* HIERONYM. *Epist. ad Amandam.* Omnes causationes Apostolus amputans apertissimè definivit vivente viro esse adulteram mulierem si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris præstationem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias, atque contemptum, damna rei familiaris. Quandiù vivit vir, licèt adulter sit, licèt sodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propriâ auctoritate decernit, sed Christo in se loquente Christi verba secutus est, qui ait in Evangelio (*Matth.* V. 32.) : *Qui dimiserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari : et qui dimissam acceperit, adulter est.*

Cap. 8. *Ex* CONCIL. ELIBERITANO *cap.* 9. Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur, ne ducat. Si autem duxerit, non priùs accipiat communionem, quàm is, quem relinquit, de seculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.

(H) S. HIERON. *ad Magn. Orat. Rom. Epist.* 84. *aliàs* 30. Et quia statim in principio, quasi scopulus quidam, et procella mihi obtrectatorum ejus opponitur ; quòd secundum sortita matrimonium, prius reliquerit, non laudabo conversam, nisi priùs ream absolvero. Tanta prior maritus vitia habuisse narratur, ut ne scortum quidem et vile mancipium ea sustinere posset. Quæ si volnero dicere, perdam virtutem feminæ ; quæ maluit culpam subire dissidii, quàm corporis sui infamare partem, et maculas ejus delegere. Hoc solùm proferam, quod verecundæ matronæ et Christianæ satis est. Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, exceptâ causâ fornicationis : et si dimissa fuerit, manere inuptam. Quidquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, et vir mœchus tenendus. (1. *Cor.* VI. 16.) Si quis meretrici jungitur, unum corpus facit : ergo et quæ scortatori impuroque sociatur, unum cum eo corpus efficitur. Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi : aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur : et solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria et ancillulas libido permittitur : quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis, æquè non licet viris ; et eadem servitus pari conditione censetur. Dimisit ergo, ut aiunt, vitiosum : dimisit illius et illius criminis noxium : dimisit (penè dixi) quod clamante vicinia, uxor sola non prodidit : sin autem arguitur, quare repudiato ma-

rito, non innupta permanserit, facilè culpam fatebor, dum tamen referam necessitatem. *Melius est*, inquit Apostolus, *nubere quàm uri.* (1. *Cor.* VII. 9.) Adolescentula erat; viduitatem suam servare non poterat. Videbat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ (*Rom.* VII. 23.) et se vinctam et captivam ad coïtum trahi. Melius arbitrata est apertè confiteri imbecillitatem suam, et umbram quamdam miserabilis subire conjugii, quàm sub gloria univiræ opera exercere meretricum. Idem Apostolus (1. *Tim.* V. 14.) vult viduas adolescentulas nubere, filios procreare, nullam dare occasionem adversario maledicti gratiâ. Et prolinùs cur hoc velit, exponit: Jam enim quædam abierunt retrò post satanam. (*Ibid.* 15.) Igitur et Fabiola, quia persuaserat sibi, et putabat, à se virum jure dimissum: nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio viventibus viris, feminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit.... Sed quid ego in abolitis et antiquis moror, quærens excusare culpam, cujus pœnitentiam ipsa confessa est? Quis hoc crederet, ut post mortem secundi viri in semet reversa, quo tempore solent viduæ negligentes, jugo servitutis excusso, agere se liberiùs, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricios; saccum indueret, ut errorem publicè fateretur: et totâ urbe spectante Romanâ, ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, omni populo collacrymanti sparsum crinem, ora lurida, et squalidas manus, sordida colla submitteret? Aperuit cunctis vulnus suum, et decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, et discalceatis pedibus transivit fluenta lacrymarum. Sedit super carbones ignis. Hi ei fuêre in adjutorium. Faciem per quam secundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat. Sic dolebat, quasi adulterium commisisset, et multis impendiis medicaminum unum vulnus sanare cupiebat.

S. Aug. *de Serm. Dom. in mont. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 39. Dominus ergo ad illud confirmandum ut non facilè uxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit: cæteras vero universas molestias, si quæ fortè existiterint, jubet pro fide conjugali et pro castitate fortiter sustineri; et mœchum dicit etiam virum, qui eam duxerit, quæ soluta est à viro. Cujus rei Apostolus Paulus terminum ostendit, quia tandiù observandum dicit, quandiù vir ejus vivit: illo autem mortuo dat nubendi licentiam. (*Rom.* VII. 2.) Hanc enim etiam ipse regulam tenuit, et in ea non suum consilium, sicut in nonnullis monitis, sed præceptum Domini jubentis ostendit, cùm ait, *Eis autem qui sunt in conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: et vir uxorem non dimittat.* (1. *Cor.* VII. 10.) Credo, simili formâ, ut si dimiserit non ducat aliam, aut reconcilietur uxori. Fieri enim potest ut dimittat uxorem causâ fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Jam verò si nec illi nubere conceditur vivo viro à quo recessit, neque huic alteram ducere vivâ uxore quam dimisit; multò minùs fas est illicita cum quibuslibet stupra committere.

Cap. 16. *n.* 43. Sed consulamus Apostolum, ne aliquid temerè dicamus. *His qui sunt in conjugio*, inquit, *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* (1. *Cor.* VII. 10. *et* 11.) Potest enim fieri ut discedat eâ causâ, quâ Dominus permittit. Aut si feminæ licet virum dimittere etiam præter causam fornicationis, et non licet viro; quid respondebimus de hoc quod dixit posterius, *Et vir uxorem ne dimittat*? Quare non addidit, excepta causâ fornicationis, quod Dominus permittit: nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit (quod causâ fornicationis permittitur) maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori? Non malè reconciliaretur vir illi mulieri, quàm cùm lapidare nemo ausus esset,

cogere uxorem innocentem manere cum viro adultero : eadem est omnium SS. Patrum ea de re sententia. Id definière summi Pontifices. (I) Supponit id certum Tridentina Synodus, canone suprà laudato. Tandem hæc est una Theologorum omnium sententia, ubi adulterium certum sit, parem esse utriusque conjugis conditionem quoad jus separationis et divortii. (K)

dixit ei Dominus, vade, et vide deinceps ne pecces. (*Joan.* VIII. 11.) Quia et qui dicit, Non licet dimittere uxorem nisi causâ fornicationis; cogit retinere uxorem, si causâ fornicationis non fuerit : si autem non cogit dimittere, sed permittit : sicut dicitur, Non liceat mulieri nubere alteri, nisi mortuo viro ? Si ante viri mortem nupserit, rea est; si post viri mortem non nupserit, non est rea : non enim jussa est nubere, sed permissa. Si ergo par forma est in isto jure conjugii inter virum et mulierem, usque adeò ut non tantùm de femina idem Apostolus dixerit (1. *Cor.* VII. 4.) *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir;* sed etiam de illo non tacuerit dicens, *similiter et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* : si ergo similis forma est, non oportet intelligi licere mulieri virum dimittere, nisi causâ fornicationis, sicut et viro.

N. 48. Quod autem dicit, *Quisquis solutam à viro duxerit, mœchatur* (*Matth.* V. 32.), quæri potest, utrùm quomodo mœchatur ille qui duxit, sic et illa quam ducit. Jubetur enim et illa manere innupta, aut viro reconciliari (1. *Cor.* VII. 11.) ; sed si discesserit, inquit, à viro. Multùm autem interest utrùm dimittat, an dimittatur. Si enim ipsa virum dimiserit, et alteri nupserit; videtur cupiditate mutandi conjugii virum priorem reliquisse, quæ sine dubio adulterina cogitatio est. Si autem dimittatur à viro, cum quo esse cupiebat; mœchatur quidem qui eam duxerit secundùm Domini sententiam, sed utrùm et ipsa tali crimine teneatur, incertum est. Quamvis multò minùs inveniri possit, quomodò cùm vir et mulier pari consensu sibi misceantur, unus eorum mœchus sit et non sit alter. Hùc accedit, quia si mœchatur ille ducendo eam quæ soluta est à viro, quanquam non dimiserit, sed dimissa sit, ipsa eum facit mœchari, quod nihilo minùs Dominus vetat. Ex quo colligitur, sive dimissa fuerit sive dimiserit, oportere illam manere innuptam, aut viro reconciliari.

(I) *Decret.* GRATIANI *part.* 2. *caus.* 32. *Quæst.* 5. *cap.* 23. *et ult.* INNOCENTIUS III. *Epist.* 3. *ad Exuper. cap.* 4. Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, et non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberiùs uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt : et ideò mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur : virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus abstinetur : qui utique submovebitur, si ejus flagitium delegatur. Cùm ergo par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

(K) S. THOM. *in supplem. part.* 3. *Quæst.* 66. *art.* 4. *in conclus.* Respondeo dicendum, quòd in causa divortii vir et uxor ad paria judicantur, ut idem sit licitum uni quod alteri. Non tamen pariter judicantur ad illa ; quia causa divortii est major in uno quàm alio ; cùm tamen in utroque sit sufficiens causa ad divortium : Divortium enim pœna est adulterii, in quantum est contra matrimonii bona. Quantum autem ad bonum fidei, ad quam conjuges æqualiter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius. Et hæc causa in utroque sufficit ad divortium : sed quantum ad bonum prolis, plus peccat adulterium uxoris quàm viri : Et ideò major est causa divortii in uxore quàm in viro : Et sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur : nec tamen injustè ; quia in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam : sicut etiam de duobus qui damnantur ad ejusdem mortis pœnam, quamvis alius altero gravius peccaverit.

THOM. SANCHEZ è Societ. Jesu *de Matrim. lib.* 10. *de divort. Disput.* 3. *n.* 6. Secunda conclusio. Conjuges sunt pares in divortio causâ adulterii

celebrandi : ac proindè sicut vir innocens potest ab adultera uxore divertere, ita è contra uxor innocens à viro adultero. Hæc est contra sententiam Cajet. n. 1. relatam, cujus sententia prorsùs est falsa ac temeraria. Hanc enim partem definit Innoc. I. Epist. 3. ad *Exuperium, etc.* Et constat ex illo loco 1. Corinth. 7. *His qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Qui locus in posteriori illa parte, *Quòd si discesserit*, de justa dimissione per fornicationem viri est necessariò intelligendus, ut probavi disput. præced. n. 2. ergo licitum est uxori divertere ob viri adulterium. Cùm D. Paulus ibi non cogat uxorem ita divertentem ad redeundum, sed optionem illi concedat aut redeundi aut continendi : et ratio hujus concl. est, ut colligitur ex D. Thom. 4. d. 35. Quæst. un. art. 4. quia pœnæ legales ita strictim ponderant quantitatem culparum ob quas imponuntur; sed satis est si in utroque delicto reperiatur causa sufficiens pœnæ infligendæ : ut omnia homicidia capitis pœnà plectuntur, inter quæ aliqua esse graviora nemo dubitat. Cùm ergo fidei fractio, quæ est ratio divortii, reperiatur in adulterio tam viri quàm uxoris, ob utrumque concessum est divortium: licèt hoc majorem matrimonio injuriam irroget. Atque ideò hanc sententiam tanquam certissimam tuentur, ex Theologis, Magist. 4. d. 35. Alb. Magnus art. 14. et 19. etc.

Ægid. de Coninck de Sacrament. Matrim. disp. 35. de divort. dub. 1. n. 6. Conclus. 6. Eadem in hac parte est ratio, sive vir, sive femina adulterium commiserit. Quia uterque perfectè frangit datam fidem, et consequenter dat alteri jus resiliendi à pactis.

Guill. Estius *in lib. 4. Sentent. Distinct.* 35. §. 7. Quamvis, ut diximus, non semper teneatur uxor virum adulterum dimittere, quoties vir uxorem, jus tamen divortii ad utrumque conjugem æqualiter pertinet; ita ut pari jure mulier virum atque vir mulierem dimittere possit.

Quod patet imprimis ex iis quæ probant conjuges in re conjugali pares esse, quemadmodum ostendimus ad distinctionem 32. cap. 1. Nam jus dimittendi conjugem causà fornicationis, maximè spectat ad rem conjugalem, et ex ea dependet. Si enim tam habet mulier potestatem in corpus viri quàm vir in corpus mulieris, consequens est, ut sicut viro propter injuriam hujus potestatis licet dimittere uxorem, ita et uxori liceat dimittere virum.

Deindè probatur ex Apostolo 1. Corinth. vii. 10. ubi quod Dominus Matth. v. 32. de viro dicit : *Quicunque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, facit eam mœchari*, id de muliere similiter intelligendum ostendit his verbis: *his autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Cùm enim Dominus in Evangelio solius viri mentionem expressè fecisset, declarat Apostolus Domini præceptum ac sententiam etiam ad mulierem pertinere, eique par jus divortii tribuere. Hoc enim volunt illa Apostoli verba, *Non ego præcipio, sed Dominus*, ut sensus Apostoli sit, non suum sed Domini præceptum esse, ne mulier à viro per divortium discedat, nisi solà eà causà quam Dominus excepit; et ob quam solam divortium concessum esse voluit. Quòd enim loquatur Apostolus de concesso ac licito discessu mulieris, ex eo satis intelligitur, quia relinquit in ejus potestate, ut vel innupta maneat, vel viro reconcilietur. Quòd si non jure discessisset, non ei optio utriusque partis danda fuerat, sed simpliciter præcipiendum ut ad virum redireat. Atqui non alia est causa quà licitè per divortium discedat, sic ut sola deinceps remanere possit, nisi ob fornicationem viri, sicut non alia est propter quam simpliciter dimitti possit nisi ob fornicationem suam. Sentit ergo Apostolus adulterii causà posse mulierem dimittere virum suum, idque ex constitutione Dominica. Hoc modo locum Apostoli explicat Augustinus lib. 1. de adulter. conjug. cap. 1. sequentibus, et libro bono conjugali cap. 21. et 22.

Joan. Maldon. è Societ. Jesu, *Tract. de Sacram. de Matrim. tom. 2. cap. 2. De quarta quæstione.* Ad quartam quæstionem quamvis multi dubitarunt etiam magni Auctores; non possumus tamen aliter respondere, quàm idem jus habere uxorem dimittendi maritum, quod habet ma-

I. **Si conjux conjugem adjuvit in adulterio perpetrando, potestne dimittere adulteram?**

R. **Tenetur et ipse ejusdem adulterii reus. Dimittere non potest conjugem ob adulterium ejusmodi.** (L)

ritus dimittendi uxorem. Nam D. Paulus utrumque facit parem in jure matrimonii, dicens (1. *Cor.* VII. 4.), *mulierem non habere potestatem sui corporis, sed virum: similiter et virum non habere potestatem sui corporis, sed uxorem.* Præterea idem D. Paulus eodem loco, postquam dixerat; *Dico non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere* (*Ibid.* 10.), addit *vir uxorem non dimittat.* (*Ibid.* 11.) Quibus verbis ostendit, posse uxorem à marito invito discedere aliqua de causa, et posse maritum uxorem dimittere. Item Christus apud Matth. cap. 5. postquam dixerat, mœchari maritum, qui dimissà uxore aliam duceret, addidit mœchari etiam uxorem, quæ dimisso marito, nuberet alteri. Ubi etiam significat justa de causa, videlicet fornicationis, non minùs uxorem maritum quàm maritum uxorem posse dimittere. Idque fuit posteà decretum in Concil. Milevitan. can. 17. Et Hieron. in Epitaph. Fabiolæ ad Ocean. tractans illum locum Pauli 1. Corinth. septimo, *Quidquid*, ait, *maritis jubetur, hoc consequenter redundat in feminas.* Idem respondit jam olim Innocentius I. Epistol. 3. cap. 4. et Div. Augustin. (leg. Fulgent.) in lib. de fide ad Petr. cap. 3. Quæret aliquis, Cur ergo ferè semper Christus et Apostolus loquuntur de uxore, et non de marito, cùm agant de divortio? Multæ fuerunt causæ hujus rei. Prima esse potuit antiqua consuetudo Judæorum, apud quos non uxores maritos, sed mariti uxores solebant dimittere. Et quia Christus volebat corrigere errores veteris legis, loquebatur juxta consuetudinem ejusdem legis.

Alia causa fuit communis consuetudo omnium gentium. Semper enim fuit usitatum, ut vix verteretur vitio, si maritus esset adulter, daretur autem vitio, si uxor esset adultera. Itaque de hac re loquens Hieron. in Epitaph. Fabiolæ, *Aliæ*, inquit, *sunt leges Cæsaris, aliæ leges Christi. Leges Cæsaris adulteras puniunt, adulteros vagari sinunt.... Leges Christi prohibent pariter utrumque.* Alia causa fuit, quòd vir sit caput mulieris, et propterea quod de viro dictum est, de muliere poterat intelligi. Nam debuit lex nomen habere ex meliori parte.

VAN ESPEN *Jur. Eccles. univers. Part.* 2. *tit.* 15. *de divort. et sec. Nupt. n.* 4. Porrò utriusque conjugis hic par condilio est; neque majus in uxore, quàm marito crimen adulterii esse credit Ecclesia: quantumvis leges civiles plus viris, quàm mulieribus indulsisse videantur; de quibus loquens S. Ambrosius lib. 1. de Abraham, ait: *Neque sibi blandiatur de legibus hominum; omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet.* Et S. Hieronymus Epist. ad Oceanum acriùs in has Romanorum leges insurgens, apertè dicit; *Aliæ sunt leges Cæsarum: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit*, ac tandem concludit: *Apud nos quod non licet feminis, æquè nec licet viris.*

(L) *Decret.* GREGOR. IX. *lib.* 4. *tit.* 13. *cap.* 6. Discretionem tuam (et infrà.) Sanè ex parte tua fuit propositum, quòd quidam cum muliere quadam legitimè per verba de præsenti contraxit, quam postmodùm à se incognitam, cuidam consanguineo suo tradidit, in quantum potuit renitentem. Ille verò cum ipsa licèt invita, matrimonii solemnia celebravit: sed mulier quàm citò fuit reddita libertati, aufugit ab eo, et se priori viro restitui postulavit. Nos igitur inquisitioni tuæ respondemus, quod et viro pro tam turpi facinore gravis est pœnitentia injungenda, et mulier propter publicam honestatem est monenda sollicitè, ut nec primum repetat, cujus consanguineus eam licèt invitam cognovit: nec redeat ad secundum, cui non potest propter reatum adulterii commisceri: sed in continentia maneat, donec prior fuerit viam universæ carnis ingressus. Quòd si forsitan ad id induci nequiverit, vir prior cogatur redire ad ipsam, et maritali eam affectione tractare: cùm adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam. Nam et si secundùm Evangelicam veritatem nunquam nisi propter fornicationis causam, aut vir uxorem, aut uxor possit dimittere virum (*Matth.* V. 32. XIX. 9. *Marc.* X. 11. *Luc.* XVI. 18.): non tamen semper propter causam

I. Si vis illata est mulieri, nec ipsa consensit in adulterium, potestne dimitti?

R. Si constet vim esse illatam invitæ, dimitti non potest: non enim tenetur adulterii rea. (M)

eamdem, vel uxor virum, vel vir dimittere potest uxorem, cùm possit exceptione, vel replicatione legitimâ impediri. Sed nec affinitas, quæ post contractum legitimè matrimonium inter virum et uxorem iniquè contrahitur, ei debet ollicere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cùm suo jure non debeat sine sua culpa privari: quanquam à quodam prædecessore nostro dicatur in simili casu fuisse distinctum, utrum incestus vel adulterium manifestum fuerit, an occultum: aliis asserentibus inter gradum proximum et remotum esse potiùs distinguendum.

S. Thom. *in Suppl. part.* 3. *Quæst.* 62. *art.* 1. *in conclus.* Respondeo dicendum quòd Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem, in pœnam illius qui fidem fregit: et in favorem illius qui fidem servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum ei debitum qui non servavit fidem: Excipiuntur tamen septem casus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor à culpa immunis est, vel utrique sunt æqualiter culpabiles. Primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit: Secundus si ipse uxorem prostituerit: Tertius si uxor virum suum probabiliter mortuum credens propter longam ejus absentiam, alteri nupserit; Quartus est, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante: Quintus, si fuerit vi oppressa: Sextus, si reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum carnaliter eam cognoscens: Septimus, si matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederat uxori libellum repudii, et uxor alteri nupserit; tunc enim si uterque convertatur, tenetur eam vir recipere.

Thom. Sanchez è Societ. Jesu *Tract. de Matrimon. lib.* 10. *de Divort. disput.* 5. *n.* 3. Secundus casus est, quando vir uxorem prostituit. Habetur cap. *Discretionem*, *de eo qui cognov. consang.* Et rationem reddam num. sequenti.

N. 4. Difficultas autem est circa hunc casum. An intelligatur, quando uxor invita et renitens prostituta est à viro? Id enim affirmant gloss. eo cap. *Discretionem verb. Præsertim*, et ita explicat illum textum, dum ait: *Præsertim invitam*, id est, tantùm invitam. Et cap. *Significasti*, *verb. Materiam*, *de divortiis*, *Ricard.* 4. *dist.* 35. art. 2. quæst. 1. *Astensis* 2. *part. Sum. lib.* 8. *tit.* 11. *art.* 3. *quæst.* 12. Quia quando uxor non coacta prostituta est, rea est culpæ adulterii: ac proindè illud dimitti poterit. Verùm omninò tenendum est, sufficere ut de viri beneplacito uxor etiam volens committat adulterium, ne ob id à viro dimitti possit. Quod apertè probat textus *d. cap. Discretionem*, ibi: *Præsertim invitam.* Nam de natura illius dictionis implicativæ, *præsertim*: est asserere certum, et denotare seu implicare idem esse in casu magis dubio contrario (ut probavi lib. 2. disp. 39. n. 6. et lib. 6. disp. 14. nu. 21.) atque ita vult textus idem dicendum esse, quando uxor volens prostituta est à viro. Nec valet dicere *præsertim*, accipi pro tantùm, quia est ea impropria usurpatio: Ut docet *Sylv. Summa*, *verb. maximè num. un.* Proprietas autem verborum servanda est, nec ab ea recedere licet, nisi quando in significatione propria verificari minimè possunt. Ut ex multis probat *Mantica de conject. ult. volunt. leg.* 2. *tit.* 5. *n.* 5. Et idem probant *locum mulier viri* 49. *ff. solut. matrim. et lib.* 2. §. *si publico*, *ff. ad leg. Jul. de adult. lib.* 6. *tit.* 9. *par.* 4. *lib.* 7. *tit.* 17. *par* 7. ubi interdicitur marito accusatio uxoris, propter lenocinium. Deindè, quia cùm vir eodem crimine implicetur, perindè est, ac si ipse sit adulterii reus. Tandem, quia injuria illata viro ob adulterium, est causa et fundamentum divortii. Quæ cessat ipso consentiente. Nam scienti et volenti non fit injuria. *Regula*, *scienti*, *de reg. jur. in* 6. atque ideò hujus sententiæ videntur esse *D. Thom.* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 1. et universi alii Doctores, qui indistinctè statuunt hunc casum, quando vir prostituit uxorem, etc.

(M) Gratian. *in Decret.* 2. *part. causâ* 32. *quæst.* 5. Quod autem pudici-

tia violenter eripi non possit, multorum auctoritatibus probatur. Est enim virtus animi, quæ violentiam non sentit. Corpori namque vis infertur, non animo. Undè, quamvis corpus violenter corrumpatur, si pudicitia mentis servetur illæsa, tamen castitas duplicatur. Sicut beata Lucia fertur dixisse Paschasio: « Si invitam me feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Non enim inquinatur corpus nisi de consensu mentis. Nam si in manu mea thura ponas, et per manum meam sacrificia facias, Deus hæc attendit, et deridet. De sensibus enim et voluntatibus judicat Deus. »

Cap. 1. Tolerabilius est mentem virginem, quàm carnem habere. Utrumque bonum, si liceat: si non liceat, saltem non homini castæ, sed Deo scimus. *Et infrà.* Virgo prostitui potest: adulterari non potest. Ubicunque Dei virgo est, templum Dei est: nec lupanaria infamant castitatem: sed castitas, etiam loci abolet infamiam. *Ex* D. AMBROS. *lib.* 2. *de Virginibus.*

Ex eod. ad Virgin. lapsam cap. 2. Reverà non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit antè corrupta.

Cap. 3. Ita, ne aliquem polluat aliena libido, metuitur? Non polluit, si aliena erit: si autem polluet, aliena non erit. Sed cùm pudicitia virtus sit animi, comitemque habeat fortitudinem, quâ potiùs quælibet mala tolerare, quàm malo consentire decernat, nullus autem magnanimus, et pudicus in potestate habeat, quid de sua carne fiat: sed tantùm quid annuat mente, vel renuat; quis tandem sanâ mente putaverit se perdere pudicitiam, si fortè in apprehensa, et oppressa carne sua exerceatur, et repleatur libido non sua. *Ex* S. AUGUST. *de Civ. Dei lib.* 1. *c.* 18.

Cap. 4. Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ. An verò, si aliqua femina mente corrupta, violatoque proposito, quod Deo voverat, perget vitianda ad deceptorem suum, adhuc eam pergentem sanctam vel corpore dicimus eà sanctitate animi per quam corpus sanctificabatur, amissà, atque destructà? Absit hic error, et hinc potiùs admoneamur, ita non amitti corporis sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso, sicut amittitur corporis sanctitas, violatà animi sanctitate. *Ex* S. AUG. *Ibid.*

THOM. SANCHEZ. *Tract. de Matrim. lib.* 10. *de Divort. disput.* 5. *n.* 13. Quartus casus est, quando uxor fuit violenter cognita. Cùm enim culpâ vacet adulterium illud, *cap. Ita, et cap. Proposito* 32. *quæst.* 5. imputari non debet ad divortii pœnam.

N. 14. Temperant aliqui, nisi uxor causam violentiæ dedisset. Ut quia non audivit viro monenti fugam, ne vi hostium opprimeretur. *Sic Cantera quæst. criminalibus quæst. tangentibus punitionem delicti, cap.* 4. *n.* 40. Cæterùm dicendum est adhuc non posse accusari de illo adulterio ad divortium aliamve pœnam. Quia *leg. vim. passam, ff. ad leg. Jul. de adulter.* indistinctè decidit ur vim passæ non esse adulterium imputandum. Item, quia nullius criminis uxor rea est, quæ coacta fuit, nec prohibere potuit, *leg. nullum, ff. de reg. juris.* Nec semper imputatur effectus subsequens, ubi culpa præcedit. *cap. Quoniam, de concess. præb.* Cùm culpa illa inobedientiæ uxoris non fuerit ordinata, ut opprimeretur. Atque ita *Glossa, cap. de pudicitia, verb. Eripi*, 32. *quæst.* 5. motâ hac quæstione nil decidit, sed remittit se ad quæstionem Dominicalem, ubi sustinuit adhuc non posse dimitti uxorem. Et idem docent *Archid. eod cap. de pudicitia n. un. et Bellamera n. un. et ibi Joan.* quem refert ac sequitur *Greg. Lopez lib.* 7. *verb. Por fuerça, tit.* 9. *par.* 4.

N. 15. Alii autem sunt in contrario extremo, ut intelligant non solùm excusari mulierem à pœna divortii et dotis amittendæ, quando vi præcisà oppressa est, sed etiam quando metu cadente in feminam constantem. Ducuntur quia *D. August. lib.* 1. *de Civitate Dei, cap.* 19. *et refertur cap. proposito* 32. *quæst.* 5. Lucretiam excusat ab adulterio, dicens solum accedentem ad ipsam fuisse adulterum, eo quòd coacta. Et tamen non vi præcisà, sed metu solo coacta est. Nec potest dici excusari tunc à culpa adulterii: sentit ergo excusari à pœna illius, quæ est divortium.... Verùm à communissima sententia recedendum minimè esse arbitror, quæ docet metum non excusare, quin liceat viro divortium facere. Quia reverà

I. Si uterque conjux seorsùm adulterii crimine tenentur, possuntne ab invicem separari ob adulterium?

R. Non possunt. Oportet alterum esse innocentem, ut fieri legitimè divortium possit. Si uterque adulterii crimine tenetur, neuter jus habet de adulterio conjugis expostulandi. Suo uterque jure excidit. Id jura statuunt omnia. (N)

I. Si conjux innocens, cognito conjugis adulterio, rem habuit matrimonii cum conjuge, potestne deinceps ob adulterium dimittere?

non excusat à culpa mortali adulterii et fidei fractæ, quæ causæ divortii sunt. Et ad illam culpam mortalem canones attendunt. Unde cautè *Glossa dict. cap. Proposita*, et illam sequentes *Archid.* et *Bellamera* dixerunt excusare metum à pœna legali adulterii, quæ dolum desiderat. At secundùm canones esse adulterium, quasi senserint non excusari à pœnis canonicis, quæ culpam considerant. Quales sunt divortium et dotis amissio, *cap. Plerumque, de donat. inter vir. et uxor.* Et per hoc cessant objecta, quæ de pœnis legalibus probant. Atque ita loquentes de divortio sentiunt ex Jurisperitis *Goffredus Summa, tit. de Divortiis, num. h. Hostiensis, etc.*

(N) S. AUG. *de Serm. Dom. in monte, sec. Matth. lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 47. Nihil autem iniquius, quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud. *In quo enim alterum judicas, temetipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.* (*Rom* II. 1.) Quapropter quisquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus: quod similiter etiam de femina dixerim.

INNOCENT. III. *Extra. de adulteriis, et stupro cap. Tua fraternitas. Decret.* GREG. IX. *lib.* 5. *tit.* 16. *De adulter. et stupro cap.* 6. Intelleximus, quòd cùm S. Laïcus H. uxorem suam à maritali consortio depulisset, Diœcesanus eorum audiens eamdem cum quodam adultero fornicari, eam et illum vinculo excommunicationis astrinxit: quæ tandem adulterum abjurans, absolutione receptâ, coram Episcopo memorato prædictum virum sibi restitui postulavit: at ille objiciens ei adulterium, et quòd ab ipso non expulsa, sed spontanea recessisset, restitutionem sui proposuit minimè faciendam: quod mulier inficians replicavit in ipsum, quòd fuerat fornicatus (*et infrà*): Quocircà mandamus, quatenùs (nisi tibi constiterit, vel per evidentiam rei vel per confessionem legitimam mulieris, quòd adulterata sponte fuisset) adulterii etiam quod vir dicitur commisisse, probatione cessante, ipsum recipere compellas eamdem. Quòd si prædicto modo de mulieris fornicatione constiterit (nisi testes, per quos viri adulterium est probatum, fuerint reprobati, cùm matrimonii jus in utroque læsum consistat, et paria delicta mutuâ compensatione tollantur) nihilominùs eum cogas, ut eam recipiat, ut maritali affectione pertractet: alioquin mulieri silentium imponere non postponas.

Cap. 7. Tua fraternitas requisivit utrum aliquo denegante uxori suæ in adulterio deprehensæ debitum conjugale, si postmodùm ipse cum alia perpetret adulterium manifestè, cogi debeat ut eamdem maritali affectione pertractet.... Super quo taliter respondeo quod cùm paria crimina compensatione mutuâ deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare.

VAN. ESPEN *de jur. Ecclesiast. univers. Part.* 2. *tit.* 15. *De Divort. et sec. Nupt. n.* 11. Similiter maritus adulter nequit ob adulterium uxoris eam dimittere, quod jam pridem docuit S. Augustinus *lib.* 1. *De sermone Domini in Monte cap.* 28. è quo sumptus est *Canon* 1. *caus.* 32. *q.* 5. *Nihil iniquius* (ait) *quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari.* Occurrit etiam illud: *In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.* (*Rom.* II. 1.) Quapropter quisquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus. Quod similiter et de femina dixerim. Hunc seculus est Alexander III. *in cap. h. De Divortiis*, et Innocentius III. *in cap. fin. de adulteriis*, dicens: *Cùm paria crimina compensatione mutuâ deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare.*

R. Non potest, nisi novum adulterium subsequatur. Nam eo ipso quòd conjux post cognitum adulterium usum habuit matrimonii cum conjuge, censetur adulterium condonasse, nec jam ampliùs jure licet huic conjugi innocenti animadvertere in conjugem nocentem, nisi novum adulterium subsequatur. (O)

I. Age, dic nunc, quæso, quænam aliæ causæ sint legitimæ divortii, quoad torum et cohabitationem?

R. Licet discedere quoad torum, si adsit vitæ, vel gravissimæ infirmitatis imminens periculum in usu matrimonii; verbi gratiâ, quòd supervenerit lepra, vel aliud morbi pestilentis genus conjugi. (P)

(O) *Lege* Crimen, Cod. *lib.* 6. *ad leg. Juliam de adult. tit.* 9. *cap.* 11. Crimen adulterii maritum retentà in matrimonio uxore inferre non posse, nemini dubium est.

Lege Quæsitum §. Item quæritur, ff. *ad legem Juliam de adulter. coërc.* Digest. *lib.* 48. *tit.* 5. *cap.* 40. §. 1. Item quæritur, an idem maritus destitisse videatur, vel lenocinium commississe qui eamdem reduxit uxorem. Paulus respondit, eum qui post crimen adulterii intentatum eamdem uxorem reduxit, destitisse videri: et ideò ex eadem lege posteà accusandi ei jus non superesse.

Thom. Sanchez è Societ. Jesu, *lib.* 10. *De divort. disput.* 5. *n.* 19. Ultimus casus est, quando conjux innocens alteri condonat adulterium, et sic reconciliantur. Cùm enim divortium sit in favorem innocentis, potest innocens cedere jure suo, delictumque condonare, et sic cessabit jus divortii. Hæc autem remissio est duplex, quædam expressa, quando, scilicet, verbis expressis innocens conjux adulterum sibi reconciliat, condonans delicta. De qua reconciliatione loquitur textus, *leg. Si maritus*, 25. §. *si negaverint*, *ff. ad leg. Juliam de adult.* probans ex tunc minimè audiendum esse maritum de adulterio accusantem. Et notant *Alexand. leg. Juris gentium* 1. §. *si paciscar.*, *ad finem*, *ff. de pactis*, *Barbosa*, *leg.* 2. *in princip. par.* 1. *num.* 100. *ff. soluto matrimonio.* Non tamen satis esset remissio mente retenta, nec signo aliquo externo conjugi nocenti expressa. Quia propositum mente retentum in his contractibus inter homines initis nullius efficaciæ est, *leg. Cùm in plures*, 62. §. *Locator*, *ff. locati.* Deindè quia cùm remissio illa sit velut quædam juris divortii et accusandi donatio, oportet, ut firma sit, eam parti, cui fit, intimari. Ut de donatione latè disseruí lib. 1. disp. 6. et 7. Alia autem est remissio tacita. Ut si conjux adulterii conscius alium non exclusit à consortio maritali, vel exclusum admisit. De qua reconciliatione nihil in præsenti dicendum est. Quia in sequentibus est specialis disputatio instituenda.

N. 20. Id tamen observandum est, si reconciliatione factà conjux ille reconciliatus in adulterium relabatur, posse non obstanti priori illà reconciliatione de novo eo adulterio illum accusari, et ratione illius celebrari divortium. Quoniam præcedens venia non trahitur ad futura delicta, sed sola præterita respicit argumento *leg. Non aliàs*, §. 1. *ff. de judiciis*, ubi quamvis legato jus gentium securitatem concesserit, *leg. sanctum*, *ff. de rerum divis.* deciditur posse eum puniri de legationis tempore admisso delicto. Prætereà, quia reconciliatio illa contractum matrimonii ad pristinum vigorem restituit, ac si nullum esset usque tunc adulterium commissum, sed in eo eventu posset conjux reus novi adulterii dimitti, et de illo accusari: ergo idem dicendum est factà eà reconciliatione. Nec æquum est ut ea criminis futuri impunitatem præstet. Atque ita sentiunt ex Jurisperitis, *Glossa cap. Plerumque*, *etc.*

Van. Espen *jur. Eccles. univ. Part.* 2. *tit.* 15. *de divort. et sec. Nup. n.* 10. Maritus uxori injuriam remisisse videtur, si post adulterium commissum, et à se cognitum eam cognoverit, uti post S. Thomam et Theologos ac Canonistas probat Sanchez lib. 10. de Matrim. Disput. 5.

(P) Gratian. *Decret.* 2. *part. caus.* 32. *Quæst.* 5. *cap.* 18. Si uxorem quis

habeat sterilem, vel deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel si quid aliud, sive morbis, et doloribus langvoribusque confectam, et quidquid (exceptâ fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro fide et societate sustineat. *Ex* S. AUG. *Serm. Dom. in monte lib.* 1. *cap.* 32.

Decret. GREG. IX. *lib.* 4. *tit.* 8. *de conjug. lepros. cap.* 1. Pervenit ad nos quòd cùm hi, qui lepræ morbum incurrunt, de consuetudine generali, à communione hominum separentur, nec uxores viros, nec viri uxores taliter ægrotantes sequuntur. Quoniam igitur cùm vir et uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutiùs: mandamus, qualenùs, ut uxores, qui lepræ morbum incurrunt, sequantur, et eis conjugali affectione ministrent, sollicitis exhortationibus inducere non postponas. Si verò ad hoc induci non poterunt, eis arctiùs injungas, ut uterque altero vivente continentiam servet. Quòd si mandatum tuum servare contempserint, vinculo excommunicationis adstringas.

Cap. 2. Quoniam nemini licet (exceptâ causâ fornicationis) uxorem dimittere: constat quòd sive mulier leprâ percussa fuerit, seu aliâ gravi infirmitate detenta: non est à viro propterea separanda, vel etiam dimittenda. Leprosi autem si continere nolunt, et aliquam quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis ad matrimonium convolare. Quòd si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, et infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quòd exigitur, est solvendum: cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.

THOM. SANCHEZ è Societ. Jesu, *de Matrim. lib.* 9. *disput.* 24. *n.* 14. Quæstio 2. Num sanus conjux cum propriæ infectionis periculo teneatur debitum reddere leproso aliove morbo contagioso laboranti? Quamvis in genere conveniant omnes, conjugem liberam esse à debiti redditione, ubi grave damnum probabiliter sibi timet: ut n. 2. diximus. At in casu lepræ dissentiunt propter cap. 2. *de conjug. lepros.* decidens leproso conjugi reddendum esse, ibi: *Quòd si virum, sive uxorem, leprosum fieri contigerit, ut infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli quod exigitur est solvendum: cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur. Quare triplex est sententia.*

Prima sententia absolutè docet teneri sanum ad reddendum conjugi leproso debitum. Quia textus d. c. 2. id absolutè decidit, nec infectionis periculum imminet ex conjunctione momentanea ad copulam, qualis ex cohabitatione assidua posset oriri. Ita ex Theologis, docent *D. Thom.* 4. *d.* 32. *quæst. un. a.* 1. *ad* 4. *etc.*

N. 16. Secunda sententia docet teneri reddere sanum leproso, etiam si periculum infectionis adsit. Quia ad hoc se obligavit per contractum matrimonii. *Ita Sotus* 4. *d.* 32. *q. un. in fine corp. etc.*

N. 17. Tertia sent. (cui omninò adhæreo) docet minimè teneri, ubi judicio medicorum, notabilis infectionis periculum immineret sano ex debiti redditione. Nec obviat textus *cap. de conjug. lepros.* intelligitur enim, ubi ea redditio non cedit in reddentis notabile damnum. Atque ita intelligunt *D. Thom. et reliqui DD. citati n.* 15. pro prima sententia, ut constat ex ratione, qua eam probant: nempè, quia ex tam brevi conjunctione non imminet infectionis periculum. Quare manifestè sentiunt eo imminenti cessare reddendi obligationem. Nec obest etiam ratio secundæ sententiæ, allata num. præcedent. Quia nullus se obligat per matrimonii contractum ad reddendum, nisi salvâ individui incolumitate: ut nu. 2. probabimus. Atque rationes ibi adductæ aperlè probant hanc sententiam. Illamque tuentur ex Theologis, *Durand.* 4. *d.* 32. *q.* 1. *n.* 8. *etc.*

VAN. ESPEN *jur. Ecclesiast. univers. Part.* 2. *de Divort. et sec. Nupt. n.* 14. Ob alia seu corporis seu animi vitia non facile admittenda conjugum separatio. Si uxorem quis habeat, ait S. Augustinus, *sterilem vel deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis, et doloribus languoribusque confectam, et quidquid (exceptâ fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro fide et societate sustineat.*

Apud Gratianum *Caus.* 32. *q.* 5. *can.* 18. *Et cap.* 2. *De conjug. leprosorum* dicitur, nec ob supervenientem lepram liberum esse dimittere conjugem.

Deindè licet discedere à conjuge et quoad habitationem,

1. Si conjux conjugi necem machinetur, aut machinatus sit. (Q)

2. Si conjux in conjugem sævierit afficiendo injuriis gravibus, pugnis, verberibus, et periculum sit ne conjux in illâ sævitiâ perseveret. Multò magis si alter conjugum in furorem incidat, ita ut conjugem severiori custodiæ tradi necesse sit. (R)

3. Si conjugum alter incidat vel in infidelitatem, vel in

(Q) CODIC. JUSTINIAN. *Lib.* 5. *de repud. etc. Tit.* 17. *lege* 8. *Imp.* THEOD. *et* VALENTIN. Consensu licita Matrimonia posse contrahi, contracta non nisi misso repudio dissolvi præcipimus. Solutionem etenim Matrimonii difficiliorem debere esse, favor imperat liberorum. Causas autem repudii hac saluberrima lege apertiùs designamus. Sicut enim sine justa causa dissolvi Matrimonia justo limite prohibemus: ita adversùs necessitatem pressum vel pressam, quamvis infausto, attamen necessario auxilio cupimus liberari. Si qua igitur maritum suum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certè contra nostrum imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit, si sepulcrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem vel latronum susceptorem, vel abactorem, aut plagiarium, vel ad contemptum sui domusve suæ ipsâ inspiciente cum impudicis mulieribus (quod maximè etiam castas exasperat) cœtum ineuntem, si suæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio simili modo insidiantem, si se verberibus (quæ ingenuis aliena sunt) afficientem probaverit: tunc repudii auxilio uti necessario ei permittimus libertatem, et causas dissidii legibus comprobare.

Decret. GREG. IX. *lib.* 2. *Tit.* 13. *de restitut. spoliat. cap.* 8. Ex transmissa nobis, Mandamus, quatenùs si vobis constiterit, quòd præfata mulier prædicto militi legitimè desponsata fuisset, et ab eo cognita: ipsam ei restitui facialis, receptâ tamen sufficienti cautione, quòd illi non debeat aliquod malum inferre. Si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, quòd meritò de ipso diffidat: alicui probæ et honestæ mulieri usque ad causæ decisionem custodienda studiosiùs committatur, in loco ubi vir, vel parentes ejus, mulieri nullam possint violentiam inferre. *Ex* ALEXANDRI III. *ad Ambian. et Belvacens. Episc. Epist.*

Cap. 13. Litteras tuas recipimus... *in Glossa*, tertio loco quærebas si mariti crudelitas et sævitia sint nota Judici, ut propter motam controversiam indignatus uxorem tormentis tractaturus sit et injuriis affecturus? et sic accusatores de morte feminæ metuentes, accusare desistant: utrum hoc in primo vel in secundo casu restitutionis præbeat adminiculum denegandæ. Postremò quærebas si deneganda sit restitutio in aliquo casuum præmissorum et ad se ap. appelletur, utrum appellationi sit hujusmodi deferendum... *Cui quæstioni respondet* Innocentius III. Si verò tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solùm non debet ei restitui, sed ab eo potius amoveri, alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate profectò videtur conjux ante causæ cognitionem restituenda marito.

(R) *Vide Auctoritates litt. super. allatas.*

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 26. *in* 1. *ad Corinth. versùs finem.* Et vos viros illud admoneo, nullum sit tam magnum peccatum, quod ad verberandum uxorem vos compellat. Et quid uxorem dico? Ne servam quidem verberare et manus in eam injicere, viro libero esset tolerandum. Quòd si servam verberare viro maximæ ignominiæ est, multò magis contra liberam dextram extendere. Et hoc ab gentium legum latoribus cognoscere possumus, qui, quæ vapulaverit, non amplius cum marito habitare cogunt, utpotè qui indignus sit ut cum ea amplius consuetudinem habeat: etenim summa injuria est, vitæ sociam, et in rebus necessariis anteà tibi conjunctam, tanquam mancipium ignominiis afficere. Ideò hujusmodi virum (siquidem vir appellandus est potiùs quàm fera) et patricidæ et matricidæ simile esse dixeris.

hæresim, vel in aliud peccati genus undè grave periculum subversionis oriatur alteri conjugi. (S)

(S) S. Aug. *De Serm. Dom. in monte lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 43. Exoritur hic altera quæstio, cùm Dominus causâ fornicationis permittat dimitti uxorem, quatenùs hoc loco intelligenda sit fornicatio, utrùm quousque intelligunt omnes, id est, ut eam fornicationem credamus dictam quæ in stupris committitur : an quemadmodum Scripturæ solent fornicationem vocare, sicut suprà dictum est, omnem illicitam corruptionem, sicut est idololatria vel avaritia, et ex eo jam omnis trangressio legis propter illicitam concupiscentiam. Sed consulamus Apostolum, ne aliquid temerè dicamus.

N. 44. Sequitur enim et dicit, *Cæteris autem ego dico, non Dominus.* (1. *Cor.* VII. 12.) Hic primò videndum est quibus cæteris : dicebat enim superiùs ex Domini persona iis qui sunt in conjugio, nunc verò ex sua persona cæteris dicit : ergo fortasse iis qui non sunt in conjugio : sed non hoc sequitur. Ita enim subjungit, *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* (*Ibid.*) Ergo etiam nunc iis dicit qui sunt in conjugio. Quid sibi ergo vult quod ait, *cæteris :* nisi quia superiùs eis loquebatur, qui sic copulati erant, ut pariter in fide Christi essent : cæteris verò nunc dicit, id est, eis, qui sic copulati sunt, ut non ambo fideles sint ? Sed quid eis dicit ? *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam : et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* (*Ibid.* 13.) Si ergo non præcipit ex Domini persona, sed ex sua persona monet, ita est hoc bonum, ut si quis aliter fecerit, non sit præcepti transgressor : sicut de virginibus paulò post dicit, præceptum Domini se non habere, consilium autem dare (*Ibid.* 25.) ; atque ita laudat virginitatem, ut arripiat eam qui voluerit, non tamen ut si non fecerit, contra præceptum fecisse judicetur, aliud enim est quod jubetur, aliud quod monetur, aliud quod ignoscitur. Jubetur mulier à viro non discedere ; *quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (*Ibid.* 11.) ; aliter ergo non licet facere. Monetur autem vir fidelis, si habet uxorem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere : licet ergo et dimittere : quia non est præceptum Domini, ne dimittat, sed consilium Apostoli : sicut monetur virgo non nubere, sed si nupserit, consilium quidem non tenebit, sed contra præceptum non faciet. Ignoscitur cùm dicitur, Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium. (*Ibid.* 6.) Quapropter si licet ut dimittatur conjux infidelis, quamvis melius sit non dimittere, et tamen non licet secundùm præceptum Domini ut dimittatur conjux nisi causâ fornicationis, fornicatio est etiam ipsa infidelitas.

N. 45. Quid enim tu dicis Apostole ? Certè ut vir fidelis consentientem secum habitare mulierem infidelem non dimittat. Ita, inquit. Cùm ergo hoc et Dominus præcipiat, ne dimittat vir uxorem, nisi causâ fornicationis, quare hic dicis, *Ego dico, non Dominus ?* Quia scilicet idololatria quam sequuntur infideles, et quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit causâ fornicationis uxorem dimitti : sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quò sic fortasse possit fieri fidelis. Sanctificatus est enim, inquit (*Ibid.* 14.), vir infidelis in uxore ; et sanctificata est mulier infidelis in fratre. Credo jam proveneral ut nonnullæ feminæ per viros fideles, et viri per uxores fideles in fidem venirent ; et quamvis non dicens nomina, exemplis tamen hortatus est, ad confirmandum consilium suum. Deindè sequitur, *alioquin filii vestri immundi essent ; nunc autem sancti sunt.* (*Ibid.*) Jam enim erant parvuli Christiani, sive auctore uno ex parentibus sive utroque consentiente sanctificati erant : quod non fieret, si uno credente dissociaretur conjugium, et non toleraretur infidelitas conjugis usque ad opportunitatem credendi. Hoc est ergo consilium ejus, cui credo dictum esse, *Si quid supercrogaveris, rediens reddam tibi.* (*Luc.* X. 35.)

N. 46. Porrò si infidelitas fornicatio est, et idololatria infidelitas, et avaritia idololatria, non est dubitandum et avaritiam fornicationem

esse. Quis ergo jam quamlibet illicitam concupiscentiam potest rectè à fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quòd propter illicitas concupiscentias, non tantùm quæ in stupris cum alienis viris aut feminis committuntur, sed omninò quaslibet, quæ animam corpore malè utentem à lege Dei aberrare faciunt, et perniciosè turpiterque corrumpi, possit sine crimine et vir uxorem dimittere, et uxor virum : quia exceptam facit Dominus causam fornicationis; quam fornicationem, sicut suprà consideratum est, generalem et universalem intelligere cogimur.

N. 47. Cùm autem ait, *exceptâ causâ fornicationis* : non dixit cujus ipsorum, viri an feminæ. Non enim tantùm fornicantem uxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque uxorem dimittit, à qua ipse cogitur fornicari, causâ fornicationis utique dimittit. Velut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causâ fornicationis dimittit, non tantùm illius, sed et suæ : illius quia fornicatur; suæ, ne fornicetur.

DECRET. 2. *part. caus.* 28. *quæst.* 1. *cap.* 5. Idololatria, quam sequuntur infideles, et quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causâ fornicationis uxorem dimitti. (*Matth.* XIX. 9.) Sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit, non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortassis possit fidelis fieri. Item cap. 28. Si infidelitas fornicatio est, et idololatria infidelitas, et avaritia idololatria, non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse. Quis ergo jam quamlibet illicitam concupiscentiam potest rectè à fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quòd propter illicitas concupiscentias non tantùm, quæ in stupris cum alienis viris, aut feminis committuntur, sed omninò quaslibet, quæ animam corpore malè utentem à lege Dei aberrare faciunt, et perniciosè, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine et vir uxorem dimittere, et uxor virum : quia exceptam facit Dominus causam fornicationis : quam fornicationem (sicut suprà commemoratum est) generalem, et universalem intelligere cogimur. Cùm autem ait, Exceptâ causâ fornicationis, non dixit, cujus ipsorum viri, an feminæ. Non enim tantùm fornicantem uxorem dimittere conceditur. Sed quisquis eam quoque uxorem dimittit, à qua ipse cogitur fornicari, causâ utique fornicationis dimittit : velut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causâ fornicationis dimittit, non tantùm illius, sed et suæ : illius, quia fornicatur; suæ, ne fornicetur.... *Ex S. Aug. suprà allato testimonio.*

Decret. GREG. IX. *Lib.* 3. *Tit.* 32. *de conversione Conjugat. cap.* 21. Mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad religionem liberè convolare.

Lib. 4. *Tit.* 19. *de Divort. cap.* 2. Quæsivit à nobis : (et infrà.) Nos itaque taliter respondemus, quòd mulier pro furto vel alio crimine viri sui (nisi fidei suæ religionem corrumpere velit) ab eo separari non debet. Verùm si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit separari, ita quòd ei nubere alii non licebit : quia licèt separentur, semper tamen conjuges erunt. In viris quoque præsentis sententiæ forma servetur.

Cap. 6. De illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis, quòd mulier, maximè si ea intentione decessit, ut lapsus in hæresim tædio pariter et confusione affectus se ab errore suo converteret, ei cùm reversus fuerit, est reddenda : quæ etiam si reverti noluerit, compellatur. Si verò judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenùs dicimus compellendam.

Cap. 7. Quanto te novimus in Canonico jure peritum : (et infrà.) Sane tua Fr. intimavit, quòd altero conjugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur, ad secunda vota desiderat convolare. Quod utrum possit fieri, per tuas nos duxisti litteras consulendos. Nos igitur consult. t. respondentes distinguimus licèt quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam conver-

I. Debetne fieri divortium, quoties jure licet?

R. Licet sæpè de suo jure remittere: quidquid licet non propterea id expedit semper. *Omnia mihi licent*, inquit latur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda si voluerit vota transibit, et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, *Si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi.* (1. *Cor.* VII. 15.) Et canonem etiam in quo dicitur: Contumelia creatoris solvit jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur. Si verò alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quòd in hoc casu, is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare, licèt in hoc casu major appareat contumelia creatoris. Nam etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum et ratum existit: quia Sacramentum fidei, quod semel admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. Nec obstat quod à quibusdam forsan objicitur, quòd fidelis relictus non debeat jure suo sine culpa privari: cùm in multis casibus hoc contingat, ut si alter conjugum incidatur. Per hanc responsionem quorumdam malitiæ obviatur, qui in odium conjugum vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa (nubentibus conjugibus) resilirent. Per hanc ipsam responsionem illa solvitur quæstio, quà quæritur, utrum ad eum, qui ab hæresi vel infidelitate revertitur, is, qui permansit in fide, redire cogatur.

S. THOM. *in* 4. *Dist.* 35. *quæst. unicâ artic.* 1. *ad* 3. Dicendum quòd fornicatio est directè contra bona Matrimonii, quia tollitur per eam certitudo prolis, et fides frangitur, et significatio non servatur, dum unus conjugum pluribus carnem suam dividat, et ideò alia crimina quamvis fortè sint majora fornicatione, non causant divortium. Sed quia infidelitas quæ dicitur spiritualis fornicatio, etiam est contra Matrimonii bonum, quod est proles educanda ad cultum Dei, etiam ipsa facit divortium, sed tamen aliter quàm corporalis fornicatio. Quia propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur.

Eadem habet S. Doctor in Scripto secundo in sentent. lib. 3. *Distinct.* 35. *art.* 4. Ad secundum dicendum, quòd quamvis aliqua peccata sint graviora adulterio; non tamen ita directè bonis Matrimonii repugnant, sicut homicidium, sacrilegium, et hujusmodi. Infidelitas autem, quæ dicitur spiritualis fortificatio, est contra intentum Matrimonii, quod est proles educanda ad cultum Dei, et ideò divortium causat propter consuetudinem, quæ pertinaciam monstrat, non propter unum actum tantùm sicut est in fornicatione carnali.

VAN ESPEN *Jur. Ecclesiast. univers. Part.* 2. *Tit.* 15. *De Divort. et sec. Nupt. n.* 12. Separatio sive divortium quoad torum et cohabitationem fieri posse non tantùm ob corporalem fornicationem, sed et ob spiritualem: si scilicet alter conjugum in hæresim aut Paganismum labatur, dicitur in cap. 6. de Divortiis, et cap. fin. de convers. Conjugat. Atque communiter docent Canonistæ.

N. 13. Immò etiam quoad vinculum Matrimonium dissolvi ob hæresim alterius conjugis olim nonnullos asseruisse constat; et ita aliquem suorum Prædecessorum sensisse videri, asserit Innocentius III. in cap. 7. de Divortiis: Dogma tamen catholicum, scilicet ob hæresim Matrimonium quoad vinculum non dissolvi, adstruit Innocentius; et contra nostri temporis Hæreticos declaravit Synodus Tridentina Sess. 24. can. 5. de reformat. Matrim. « Si quis dixerit, propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit. »

Apostolus, *sed non omnia expediunt.* (1. *Cor.* x. 23.) (T)

Antequam ad divortium veniatur, videndum num alia via subsit revocandi conjugem nocentem ad meliorem frugem. Multùm orandus Deus : habendum consilium cum viris prudentibus et peritis et integris et incorruptis et amicis : cavendumque maximè ne quid temerè et leviter et præposterè, et ex nimiâ commotione animi fiat.

I. Quam vitam agere debent conjuges post divortium ?

R. Hanc agere debent vitam, quam dicemus infrà agendam esse à viduis.

Conjux autem, cujus culpâ divortium factum est, pœnitentiam agere tenetur, et ita vivere ut tandem peccati remissionem et reconciliationem cum conjuge innocente consequi mereatur.

I. Si conjux nocens revocetur à conjuge innocente post divortium, teneturne redire ?

R. Tenetur : in gratiam enim solius innocentis conceditur divortium. *Quod* autem *ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Ut habet regula juris, *in* 6°.

I. Si conjux nocens in meliorem frugem convertatur, debetne ab innocente recipi post conversionem, et actam diutiùs pœnitentiam ?

R. Debet : nisi propter adulterium facta discessio sit.

Ubi autem in adulterii pœnam facta conjugis repudiatio

(T) 1. Cor. x. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.

S. Aug. *Lib.* 19. *Contra Faustum*, *cap.* 26. Nam et illud de uxore non dimittenda quod Dominus præcepit ; cùm antiquis dictum sit : *Quicunque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii* (*Deut.* xxiv. 1. *Matth.* v. 32. *et* xix. 7.) ; si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium. Exposuit enim Dominus quid Lex voluerit : cùm passim dimittenti uxorem jusserit libellum repudii dare. Neque enim ait, Qui voluerit, dimittat uxorem suam ; cui esset contrarium non dimittere : sed utique nolebat dimitti uxorem à viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, et quid mali esset uxorem dimittere cogitaret : præsertim quia, ut perhibent, apud Hebræos scribere litteras Hebræas nulli fas erat, nisi Scribis solis, cùm et excellentiorem profiterentur sapientiam, et si qui eorum essent æquitate ac pietate prædîti, non tantùm profiterentur sapientiam, verùm etiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes Legis interpretes et justos dissidii dissuasores, lex mittere voluit eum, quem jussit libellum repudii dare, si dimisisset uxorem. Non enim ei poterat scribi libellus, nisi ab ipsis, qui per hanc occasionem ex necessitate venientem quodam modo in manus suas bono consilio regerent, atque inter ipsum et uxorem pacificè agendo dilectionem concordiamque suaderent. Quòd si tantum intercederet odium, ut exstingui emendarique non posset, tunc utique scriberetur libellus : quia frustrà non dimitteret, quam sic odisset, ut ad debitam conjugio charitatem nullâ prudentium persuasione revocaretur. Si enim non diligitur uxor, dimittenda est. Quia ergo dimittenda non est, diligenda est. Dilectio autem monendo atque suadendo componi, non invitum cogendo imponi potest. Hoc facere Scriba debebat justus et sapiens, qualem in illa professione esse oportebat : ad quem ut veniretur, discordi marito libellus conscribendus præceptus est : quem vir bonus prudensque non scriberet, nisi in animo nimis averso atque perverso consilium concordiæ non valeret.

est, nunquam cogi potest conjux innocens ad se recipere conjugem nocentem, quamvis minimè dubia morum conversio et pœnitentia diuturna subsecuta sit. (V)

Christianæ tamen pietati et misericordiæ convenientius esse videtur, si recipiatur post minimè dubiam conversionem et pœnitentiam diuturnam. (X)

Æstimandum est ex prudentiæ Christianæ legibus, habitâ omnium et singularum circumstantiarum ratione, quid magis expedierit, quid magis è salute utriusque conjugis fuerit. Nam, ut jam diximus post Apostolum Paulum, quæcunque licent, non propterea expediunt.

§. 10. Quæ sint Officia conjugum, instante morbo alterius conjugis. Quæ viduorum vel viduarum Officia.

I. Quæ sunt Officia conjugum instante morte alterutrius?

R. Conjugem ægrotantem debent omni curâ atque operâ et sollicitudine adjuvare. Quidquid conferre potest ad salutem animæ vel corporis, id omne impendere in ægrotum:

(V) DECRET. *part.* 2. *causâ* 32. *quæst.* 1. *cap.* 5. De Benedicto quoque quem uxorem alienam indicasti facinoroso sustulisse spiritu, et in suum hactenùs præsumere delinere consortium, si hoc rerum veritas habet, jubemus experientiæ tuæ, ut eum cum ipsâ quoque adulterâ districtè mactare non differas, et calvatos ab invicem separare, et illum quidem ad Lucium defensorem in Apuliæ provinciæ patrimonium sine dilatione fac migrare: illam verò si quidem maritus suus sine dolo aliquo fortè accipere voluerit, tuâ ordinatione sub cautela recipiat, nullum ei nihil duntaxat de cætero simile committenti periculum illaturus. Si verò omninò eam recipere noluerit, in alium quemdam locum, in quo ei non liceat malè vivere providà eam dispensatione constitue.

Causâ 33. *quæst.* 2. *cap.* 8. Admonere.... Si verùm (quod absit) fuisset (*adulterium*) sicut ille adulter mentitus est, post septem annos pœnitentiâ peractâ dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses: occidere tamen eam nullatenùs debuisti.

(X) S. AUG. *de Conjug. adult. Lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 5. Quod autem tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjugi conjux: si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentiâ credimus esse sanatos? Hæc crimina in vetere Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ novi Testamenti sanguine sine dubitatione mundantur: et ideò tunc omni modo prohibitum est ab alio contaminatam viro recipere uxorem (2. *Reg.* III. 14.); quamvis David Saülis filiam, quam pater ejusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tanquam novi Testamenti præfigurator sine cunctatione receperit: nunc autem posteaquam Christus ait adulteræ, *Nec ego te damnabo; vade, deinceps noli peccare* (*Joan.* VIII. 11.); quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divinâ credit miseratione deletum.

Cap. 9. *n.* 8. Quibus consideratis atque tractatis, si communis conditio, commune malum, commune periculum, commune vulnus, communis salus, fideliter et humiliter cogitetur, non erit turpis, neque difficilis, etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio conjugum, ubi per claves regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum: non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium adultera non vocetur. Verùm ecce non fiat, nemo compellit, quia fortè lex aliqua hujus seculi velat secundùm terrenæ civitatis modum, ubi cogitata non est abolitio criminum per sanguinem sanctum. Suscipiatur ergo continentia, quam nulla lex prohibet: in alia non ratur adulteria.

curare ut omnia Ecclesiæ Sacramenta ubi opus erit et quidem maturè suscipiat ; ut rebus domesticis provideat ; denique ut in Domino moriatur. Neque enim conjugalis amor purus et castus est inter Christianos , nisi in quantum dirigitur ad Deum , adeoque ad salutem æternam utriusque conjugis. Nullum est ergo tempus in quo majori curâ et studio invigilare conjugem oporteat saluti conjugis , quàm ubi instat illi supremus dies , hora suprema , undè pendet æterna hominis salus. (A)

I. Quid agendum conjugi superstiti statim atque alter vita cessit ?

R. 1. Æquum est dare locum lacrymis et dolori. Id ratio pariter et religio suadent : absit ut tristitiam hanc vitio vertamus. Id unum monet Apostolus , ut ne Christiani de mortuis contristentur , *sicut et cæteri qui spem non habent.* (1. *Thess.* IV. 12.) Debet ergo dolor ille et gemitus habere modum ex futuræ spe resurrectionis. Id primò omnium vidui sibi dictum putent. (B)

(A) EPHES. V. 25. *Vide suprà hujusce Cap.* §. 6. *litt.* (B)

S. HIERON. *Hic.* Quamvis sui invicem maritus et conjux amore teneantur : qualis illa uxor memoratur Hasdrubalis , quæ capto viro in patriæ se jecit incendium ; et cæteræ quæ viris mortuis supervivere noluerunt : Nunquam tamen dilectionem istam vir sapiens dilectioni Christi et Ecclesiæ comparabit. Sanctus igitur hic intelligendus est amor , quo et Isaac dilexit uxorem suam Rebeccam.

(B) 1. THESSAL. IV. 12. Nolumus autem vos ignorare , fratres , de dormientibus , ut non contristemini , sicut et cæteri , qui spem non habent. 13. Si enim credimus quòd Jesus mortuus est , et resurrexit : ita et Deus eos , qui dormierunt per Jesum , adducet cum eo.... 16. Deindè , nos , qui vivimus , qui relinquimur , simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra , et sic semper cum Domino erimus. 17. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

S. AUG. *Serm.* 172. *aliàs* 32. *de verb. Apost.* 1. *Thessal.* VI. *cap.* 1. *n.* 1. Admonet nos beatus Apostolus , *ut de dormientibus* , hoc est , mortuis charissimis nostris , *non contristemur* , *sicut et cæteri qui spem non habent* (1. *Thes.* IV. 12.) , spem scilicet resurrectionis et incorruptionis æternæ. Nam ideò et dormientes eos appellat Scripturæ veracissima consuetudo , ut cùm dormientes audimus , evigilaturos minimè desperemus. Unde etiam cantatur in Psalmo , *Nunquid qui dormit , non adjiciet ut resurgat ?* (*Psal.* XL. 9.) Est ergo de mortuis eis qui diligunt , quædam tristitia quodam modo naturalis. Mortem quippè horret , non opinio , sed natura. Nec mors homini accideret , nisi ex pœna quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia quæ ita creata sunt , ut suo quæque tempore moriantur , mortem fugiunt , diligunt vitam ; quanto magis homo , qui sic fuerat creatus , ut si vivere sine peccato voluisset , sine termino viveret ? Hinc itaque necesse est ut tristes simus , quando nos moriendo deserunt quos amamus : quia etsi novimus eos non in æternum relinquere nos mansuros , sed aliquantùm præcedere secuturos ; tamen mors ipsa quam natura refugit , cùm occupat dilectum , constristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideò non admonuit Apostolus , ut non contristemur ; sed *non sicut cæteri qui spem non habent.* Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi , sed cum spe recipiendi. Indè angimur , hinc consolamur : indè infirmitas afficit , hinc fides reficit : indè dolet humana conditio , hinc sanat divina promissio.

Cap. 2. *n.* 3. Permittantur itaque pia corda charorum de suorum mortibus contristari dolore sanabili , et consolabiles lacrymas fundant conditione mortali ; quas citò reprimat fidei gaudium , quâ creduntur fideles , quando moriuntur , paululùm à nobis abire , et ad meliora trans-

ire. Consolentur eos etiam fraterna obsequia, sive quæ funeribus exhibentur, sive quæ dolentibus adhibentur, ne sit justa querela dicentium, *sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et consolantes, et non inveni.* (*Ps.* LXVIII. 21.)

S. HIERON. *Epist.* 55. *aliàs* 3. *ad Heliod. Epitaph. Nepot.* Quid igitur faciam? jungam lecum lacrymas? Sed Apostolus prohibet, Christianorum mortuos, dormientes vocans. (1. *Thess.* IV. 12.) Et Dominus in Evangelio: *Non est*, inquit, *mortua puella, sed dormit.* (*Marc.* V. 39. *Luc.* VIII. 52.) Lazarus quoque quia dormierat (*Joan.* XI.) suscitatus est. Læter et gaudeam, quia *rapias est, ne malitia immutaret mentem ejus, quia placuerat Deo anima illius?* (*Sap.* IV. 11. *et* 14.) Sed invito et repugnanti per genas lacrymæ fluunt, et inter præcepta virtutum resurrectionisque spem, crudelam mentem, desiderii frangit affectus. O mors quæ fratres dividis; et amore socialos crudelis ac dura dissocias! *Adduxit urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, qui siccavit venas tuas, et desolavit fontem tuum.* (*Osee* XIII. 15.) Devorasti quidem Jonam, sed et in utero tuo vivus fuit. Portasti quasi mortuum, ut tempestas mundi conquiesceret; et Ninive nostra, illius præconio salvaretur. Ille, ille te vicit: ille te jugulavit. Fugitivus Propheta, qui reliquit domum suam, dimisit hæreditatem suam, dedit dilectam animam suam in manibus quærentium eum. Qui per Osee quondam tibi rigidus minabatur: *Ero mors tua ô mors! ero morsus tuus inferne.* (*Osee* XIII. 14.) Illius morte, tu mortua es: illius morte, nos vivimus. Devorasti, et devorata es. Dumquè assumpti corporis sollicitaris illecebrâ, et avitis faucibus prædam putas: interiora tua adunco dente confossa sunt. Gratias tibi, Christe Salvator, tua agimus creatura, quòd tam potentem adversarium nostrum dum occideris, occidisti.... Flammea illa romphæa custos paradisi, et præsidentia foribus Cherubim, Christi restincta et reserata sunt sanguine. Nec mirum hoc nobis in resurrectione promitti, cùm omnes qui in carne, non secundùm carnem vivimus municipatum habeamus in cœlo: et hîc adhuc positis dicatur in terra: *Regnum Dei intra vos est....* (*Luc.* XVIII. 31.) Non plangam cum Jacob et David filios in lege morientes; sed cum Christo in Evangelio recipiam resurgentes. Judæorum luctus, Christianorum gaudium est. *Ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* (*Psal.* XXIX. 6.) *Rom.* XIII. 12. *Deut.* XXXIV. 8.) Undè et Moyses moriens plangitur, Jesus absque funere et lacrymis in monte sepelitur.... (*Josue* XXIV. 30.) Scicimus quidem Nepotianum nostrum esse cum Christo, et sanctorum mixtum choris, quod hic nobiscum eminùs rimabatur in terris, et æstimatione quærebat, ibi videntem cominùs dicere: *sicut audivimus, sic et vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* (*Ps.* XLVII. 9.) Sed desiderium absentiæ ejus ferre non possumus; non illius, sed nostram vicem dolentes. Quantò ille felicior, tantò amplius nos in dolore, quòd tali caremus bono. Flebant et sorores Lazarum, quem resurrecturum noverant. Et ut veros hominis exprimeret affectus, ipse Salvator ploravit quem ressuscitaturus erat. (*Joan.* XI. 33. *Ibid.* 35.) Apostolus quoque ejus qui dixit: *Cupio dissolvi et esse cum Christo*: et alibi; *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* I. 23. *Ibid.* 21. *Ibid.* II. 27.), gratias agit, quòd Epaphroditus de mortis sibi vicinia redditus sit, ne haberet tristitiam; super tristitiam non incredulitatis metu, sed desiderio charitatis. Quantò magis tu et avunculus et Episcopus, hoc est, in carne et in spiritu pater, doles abisse viscera tua, et quasi à te divulsa suspiras? Sed obsecro, ut modum adhibeas in dolore, memor illius sententiæ: Ne quid nimis: obligatoque parumper vulnere, audias laudes ejus, cujus semper virtute lætatus es. Nec doleas, quòd talem amiseris, sed gaudeas quòd talem habueris.... Vince quantum potes, imò etiam plus quàm potes, mollitiem animi tui, et ubertim fluentes lacrymas reprime, ne grandis pietas in nepotem apud incredulas mentes desperatio putetur in Deum. Desiderandus est tibi quasi absens, non quasi mortuus: ut illum exspectare, non amisisse videaris.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 61. *in Joan. in morali.* Verùm enim verò etiam cum aliis malis hic muliebris morbus jam prævaluit, ostentant planctus et dolores suos, cruentant brachia, scindunt capillos, laniant

genas, partim ob dolorem, partim ad ostentationem : aliæ animo impudico in medio foro brachia nudant. Quid facis mulier? Nudas te impudenter in medio foro, cùm Christi membrum sis, cùm viri adstent, et capillos vellis, et in miseros prorumpis ejulatus, et sallas, et insanarum mulierum more jactaris. Nonne te Deum offendere arbitraris? Quænam hæc insania? Nonne ridebunt gentiles? Nonne fabulam, nostram putabunt religionem? Dicent enim nullam esse resurrectionem, illusiones omni Christianorum dogmata, et fallacias putabunt. Haud enim aliter, quàm si nihil post mortem remaneat, mulieres lamentantur, non attendant Scripturis, omnia illa figmenta ipsæ credere videntur : siquidem si crederent mortuum, sed ad meliorem vitam translatum, non utique ipsum tanquam nihil esset deplorarent, non adeò indignarentur, non tantas offerrent voces incredulitatis indices. Nunquam te ampliùs videbo. Omnia fabulæ : nam si principali bono ita diffidunt, multò magis aliis quæ asserunt. Non ita gentiles effeminantur.... Opulentiores feminæ capillos non solvunt, brachia non nudant, quod et maximè reprehendendum : non quòd non nudent, sed quòd non propter Deum, sed ne turpes videantur. Pudor luctum cohibet, Dei metus non cohibet. Et quomodo hoc non summopere reprehendendum? Quod divites diviliarum gratiâ faciunt, divino metu pauperes faciant.... Quid inquit? cùm homines simus, de morte hominis non est dolendum? Nunquid ego hoc prohibeo? Minimè lugere, sed impudenter lugere veto. Non sum immanis atque crudelis. Video naturam dolere, et quotidianam requirere consuetudinem. Non licet nullo affectu moveri, quod et Christus ostendit : lacrymatus est super Lazaro, ejus sequere exemplum; lacrymare, sed leniter et prudenter, et cum Dei timore. Si hàc ratione lacrymas fundes, non resurrectionis diffidentiæ argueris, sed ægrè ferre charissimi sejunctionem videberis.... Ita et tu lugeas, tanquam præmiseris peregrinum.... Quòd si peccator,... moritur, is deflendus est, vel potiùs minimè, cùm nihil afferat utilitatis : sed ea facienda, quæ ei aliquid conferre possint, eleemosynas, oblationes, in hoc lætandum est quòd malitia ejus abscissa est : Quòd si justus rursùs lætandum, quòd in tuto collocatur, quòd liberatus est futurâ formidine : si juvenis quòd ex medio malorum ereptus est; si senex quòd eo diutiùs usus quod maximè desiderabile videbatur, vitæ satietate migravit.... Honor enim mortuo, non fletus est, non ejulatus, sed hymni et psalmi et vita optima. Ille moriens cum Angelis evolabit, etiamsi nemo exsequiis interveniat : perditus autem etiamsi in funere universam habuerit civitatem, nihil lucrabitur. Vis mortuum honorare? Alià viâ aggrediendum est. Fac eleemosynas. Quæ tibi ex multis fletibus utilitas?.... At quomodo potest non dolore qui filium vel uxorem amisit? Non dico, ne doleat : sed ne immodicè. Nam si intelligeremus Deum illum abstulisse quem mortalem virum ac filium habebamus, mox consolaremur.... Noli dolere, noli te affligere, sed ama quæ communiter omnibus statuta sunt. Doleant tibi peccata tua, hic optimus fletus, hæc optima sapientia. Hæc ergo perpetuò deflcamus, ut cœlestem assequamur lætitiam.

In Epist. Pauli ad Thessal. 1. *cap.* 4. *homil.* 6. Propter mortuos immodestè plangere eorum est qui spem non habent? Meritò : animus enim resurrectionis prorsùs ignarus et mortem hanc corporalem mortem esse putans, non immeritò mortuos tanquam perditos plangit et lamentatur, atque intolerabiliter luget : tu verò qui resurrectionem præstolaris, cujus gratiâ lamentaris? Lamentari ergo eorum est qui spe destituti sunt. Audite, mulieres, quotquot ad lamentandum proclives estis, quotquot ad lugendum intolerabiliter et impotenter ferimini, quoniam quæ gentium sunt facitis. Si ergo morientium gratiâ lugere, gentium est, immodestè plangere genasque lacerare, quorum est, dic quæso? Quam ob rem lamentaris, si credis et resurrecturum et non periisse, et mortem hanc esse somnum ac dormitationem?.... Quam ob rem luges filium? quam ob rem maritum? Hunc quidem quòd nullum dum ex eo fructum cepi, istum verò quòd speraveram me illo diutiùs fruituram. At hoc ipsum quantæ est incredulitatis? Nempè quòd putas te vel maritum vel filium in rerum securitatem collocaturum fuisse, Deum verò nequaquam. Quomodo non putas illum irritari; nam ob idipsum plerumque eos aufert;

2. Curandum funus defuncti; sed curandum maximè ut orationibus, eleemosynis, et Sacrificio salutari adjuvetur apud Deum. (C)

3. Si publicâ auctoritate facienda sit recognitio bonorum conjugis mortui, servandæ omnes æquitatis et conscientiæ leges : nihil de mortui successione clam subtrahendum : quod quidem fieri nequit quin violetur fides publica in præjudicium creditorum, vel hæredum, vel pupillorum, vel legatariorum; undè oritur obligatio restitutionis damni illati. Quin et hoc scelus adjunctum semper habet perjurium : priusquam enim ad faciendam hanc bonorum recognitionem veniatur, Prætor seu vices illius tenens inquisitor, interposito jurejurando sciscitatur à conjuge superstite, à liberis, ab hæredibus, à domesticis singulis, num quid de mortui successione subduxerint, vel noverint à quoquam fuisse subductum.

4. Sanctè exsequenda quantùm fieri potest suprema conjugis mortui mandata.

ne ad eum modum ipsis alligata sis, ut spem tuam ab illis auferas. Æmulator enim est Deus, et vult à nobis omnium potissimùm adamari, idque eâ ratione, quòd nos admodum vehementer amat. Scitis enim hunc esse morem insanè amantium : vehementer sunt zelotypi, et malunt vel animam effundere, quàm ab ullo rivalium superari et obscurari. Propterèa et Deus illum tibi abstulit, propter illa videlicet quæ dixisti... Quoniam adeò ad libidinem intemperanter ferimur, et vehementer concidimus, et mariti uxores plus amamus quàm Deum, et uxores maritos suos Deo præferunt, horum gratiâ non invitos quoque ad amorem suum trahit. Ne virum plus ames quàm Deum, et viduitatem non senties unquam. Imò etiam si acciderit, nullum tamen ejus sensum capies. Quare? Quia habes, quia te magis amat, tutorem immortalem. Si Deum magis amas, ne lugeas : quem enim magis amas, immortalis est, nec permittit ut ejus gratiâ, quem minùs diligis, ullum doloris sensum accipias... Sed anxiè curas quis tibi sit relictos liberos educaturus? Pater orphanorum. Quis enim illos dedit, dic, quæso? Non audis Christum in Evangeliis dicentem, *Nonne anima plus est quàm esca, et corpus quàm indumentum?* (*Matth.* VI. 25.) Vides lamentationem istam non esse ex consuetudinis desiderio, sed ex incredulitate. An non sunt liberi æquè splendidi mortuo patre atque vivente? Quare Deum habent patrem, et non sunt splendidi? Quot tibi possum ostendere qui à viduis educati, celebres facti sunt? Quot verò qui sub patribus suis vixerunt et perierunt? Si enim illos ab incunte ætate quemadmodum oportet educaveris, longe majore beneficio potiuntur quàm si sub paterna tutela alerentur.

Homilia h. in Epist. ad Hebræos, in morali. Quando autem mulier aliqua, vel quispiam dicens se esse mundo crucifixum, hic quidem vellit capillos, illa verò valdè ejulat, quid est hoc turpius et magis indecorum? Credite mihi dicenti : si fieret ut oporteret, oporteret eos qui sunt ejusmodi, longo tempore arceri à liminibus Ecclesiæ. Qui enim sunt digni ut ita lugeantur, ii sunt qui mortem adhuc timent et horrent, qui non credunt resurrectioni.... Cogita quid psallas illo tempore, *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi* (*Psal.* CXIV. 7.) : et rursùs, *Non timebo mala quoniam tu mecum es* (*Psal.* XXII. 4.) : et rursùs, *Tu es refugium meum à tribulatione quæ me circumdat....* (*Ps.* XXXI. 7.) Dicis et lacrymaris. An non sunt hæc ludus, et histrionica simulatio? Nam si verè credis iis quæ dicis, supervacaneè luges et lamentaris.

(C) S. AUGUST. *Lib. de cura pro mortuis gerenda cap.* 1. *et ult. Vide suprà Part.* 2. *Sect.* 4. *Can.* 2. §. 23. *litt.* (F) *et hujusce Part. Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 18. *litt.* (G) *uti et serm.* 172. *alias.* 32. *de verbis Apost. litt.* (L)

5. Cogitandum seriò ex ea morte oriri novas rationes, nova incitamenta adhærendi Deo sanctiùs et puriùs.

I. Quænam sunt illæ rationes, quænam illa incitamenta?

R. 1. Libertas major : undè fit ut cogitari possint faciliùs quæ Domini sunt. Nam conjux adhæret conjugi (1. *Cor.* VII. 33.), et divisus est : soli Deo adhærere faciliùs potest qui Matrimonii vinculo non tenetur (D)

2. Quòd recèns expertum est morte conjugis, quàm flaxæ et incertæ et caducæ sint res omnes humanæ. Id autem viduæ præ cæteris sentiunt et experiuntur : nam illæ sæpiùs omni destituuntur auxilio, et patent magis proditionibus et iniquitatibus opprimere et aliena invadere volentium. Sed tunc magis sperare debent in Deum, ut ait Apostolus (1. *Tim.* V. 5.) ; quia tunc verè viduæ sunt et desolatæ. (E)

3. Quæ ipsà viduitate contrahitur obligatio, etiam ad servandum decorum statûs ex recepta consuetudine, vitam agendi remotiorem frequenti hominum consortio.

4. Necessitas quæ jam major incumbit curandi rem familiarem, regendi et instituendi liberos, eosque, cùm tempus fuerit, ut decet collocandi, etc. (F)

I. Quæ sunt officia viduorum et viduarum?

R. Alia communia sunt viduis et conjugibus, alia specialia sunt viduis.

I. Quænam utrisque communia sunt?

R. Liberorum institutio, cura domesticorum. *Si quis suorum et maximè domesticorum curam non habet*, inquit Apostolus (*Ibidem*), *fidem negavit, et est infideli deterior.* De his officiis jam egimus in superioribus hujusce Capitis paragraphis. (§§. 8. *et* 9).

I. Quænam sunt officia specialia viduis?

R. 1. Castitatem servare illibatam : adeoque orare multùm et assiduè, fugere peccatorum occasiones, et ludos, et jocos, et consuetudinem eorum apud quos solet castitas venire in periculum. (G)

(D) 1. Cor. VII. 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo... 34. Et mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt ; ut sit sancta corpore et spiritu.

(E) 1. Timoth. v. 5. Quæ autem verè vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus, et orationibus nocte ac die.

(F) 1. Timoth. v. 4. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet : discat primùm domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est coram Deo.

(G) S. Hieron. *Epist.* 47. *aliàs* 10. *ad Furiam*, *pag.* 554. *edit.* D. Martianay. Obsecras litteris, et suppliciter deprecaris ut tibi scribam, immò rescribam quomodo vivere debeas ; et viduitatis coronam illæso pudicitiæ nomine conservare. Gaudet animus, exsultant viscera, gestit affectus, hoc te cupere esse post virum, quod sanctæ memoriæ mater tua Titiana multo tempore fuit sub marito. Exauditæ sunt preces et orationes ejus. Impetravit, ut adipisceretur, in unica filia, quod vivens ipsa possederat. Habes præterea generis tui grande privilegium, quod exindè à Camillo, vel nulla, vel rara vestra familia scribitur secundos nosse concubitus : ut non tam laudanda sis si vidua perseveres, quàm exse-

cranda si Christiana non serves, quod per tanta secula gentiles feminæ custodierunt. Taceo de Paula, et Eustochio, stirpis vestræ floribus, ne per occasionem exhortationis tuæ illas laudare videar. Blesillamque prætereo, quæ maritum suum, tuum secula germanum, in brevi vitæ spatio tempora virtutum multa complevit. Atque utinam præconia feminarum imitarentur viri: et rugosa senectus redderet, quod sponte offert adolescentia.

Paulò post. Facessat invidia, quam nomini Christiano maledicorum semper genus infigit: ut dum probra metuunt, ad virtutes non provocentur. Exceptis Epistolis ignoramus alterutrum. Solaque causa pielatis est, ubi carnis nulla notitia est. Honora patrem tuum; sed si te à vero Patre non separat. Tandiù scito sanguinis copulam, quandiù ille suum noverit creatorem. Alioqui David tibi protinùs canet (*Ps.* XLIV. 11.); *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui: et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus tuus.* Grande præmium parentis oblìti: *Concupiscet Rex decorem tuum.* Quia audisti, quia vidisti, quia inclinasti aurem tuam (*Ibid.* 12.): et populi tui domûsque patris tui oblita es, idcircò concupiscet Rex decorem tuum: et dicet tibi: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* (*Cant.* IV. 7.) Quid pulchrius animâ quæ Dei filia nuncupatur, et nullos exteriùs quærit ornatus? Credit in Christum, et hâc ambitione citâta pergit ad sponsum: eumdem habens Dominum, quem et virum. Quid angustiarum habent nuptiæ didicisti in ipsis nupliis: et quasi coturnicum carnibus, usque ad nauseam saturata es: amarissimam choleram tuæ sensere fauces. Egessisti acessentes et morbidos cibos; revelasti æstuantem stomachum. Quid vis rursùm ingerere, quod tibi noxium fuit? *Canis revertens ad vomitum, et sus lota ad volutabrum luti.* (2. *Petr.* II. 22.) Bruta quoque animalia et vagæ aves, in easdem pedicas, reliaque non incidunt. An vereris ne proles Furiana deficiat, et ex te parens tuus non habeat pusionem, qui reptet in pectore, et cervicem ejus stercore liniat? Quippè omnes habent filios, qui habuere matrimonia? et quibus nati sunt liberi, suo generi responderunt? Exhibuit Ciceronis filius patrem in eloquentia? Cornelia vestra, pudicitiæ simul et fœcunditatis exemplar, Gracchos suos se genuisse lætata est? Ridiculum sperare pro certo, quod multos, et non habere videas, et cùm habuerint perdidisse. Cui dimittes tantas divitias? Christo, qui mori non potest. Quem habebis hæredem? Ipsum quem et Dominum. Contristabitur pater, sed lætabitur Christus: lugebit familia, sed Angeli gratulabuntur. Faciat pater quod vult de substantia sua: non es ejus cui nata es, sed cui renata: et qui te grandi pretio redemit sanguine suo. Cave nutrices, gerulas, et istiusmodi venenata animalia, quæ de corio tuo saturari ventrem suum cupiunt. Non suadent quod tibi, sed quod sibi prosit: et sæpè illud obganniunt:

Solane perpetua mœrens carpere juventa?
Nec dulces natos Veneris, nec præmia noris? (*Virgil. Æneid. Lib.* 4.)

Ubi pudicitiæ sanctitas, ibi frugalitas est. Ubi frugalitas, ibi damna servulorum. Quidquid non tulerint sibi ablatum putant: nec considerant de quanto, sed quantum accipiant. Ubicunque viderint Christianum, statim illud de trivio, *Graicos o Epithetes*, (*Impostor et Græcus est*). Hi rumores turpissimos serunt: et quod ab ipsis egressum est, id ab aliis audisse se simulant, iidem auctores, et exaggeratores. Exit fama de mendacio, quæ cùm ad matronas pervenerit et earum linguis fuerit ventilata, provincias penetrat... Hæc locutus sum in Christo filia, non dubitans de proposito tuo, nunquam enim exhortatorias litteras postulares, si ambigeres de bono monogamiæ. Sed ut nequitiam servulorum, qui te venalem portant, et insidias affinium, ac pium parentis errorem intelligeres: cui ut amorem in te tribuam, amoris scientiam non concedo..... Imitare sanctam matrem tuam, cujus ego quotics recordor, venit in mentem ardor in Christum, pallor ex jejuniis, eleemosynæ in pauperes, obsequium in servos Dei, humilitas vestium et cordis, atque in cunctis sermo moderatus... Lætetur (*pater*) filiam genuisse Christo non seculo... Copulam carnis (*mariti*) solvit interitus. Arripe, quæso, occasionem, et fac de necessitate virtutem. Non quæruntur in Christianis

initia, sed finis. Paulus malè cœpit, sed benè finivit. Judæ laudantur initia, sed finis proditione damnatur. Lege Ezechiëlem : *Justitia justi non liberabit eum, in quacunque die peccaverit ; et impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua...* (*Ezech.* XXXIII. 12.) Meretrix illa in Evangelio baptizata lacrymis suis, et crine, quo multos antè deceperat, pedes Domini tergens, salvata est. Non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos. Tantò fœdior, tantò pulchrior. Quid facit in facie Christianæ, purpurissus et cerussa ? Quorum alterum ruborem genarum, labiorumque mentitur : alterum candorem oris et colli : ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia... Ornatus iste non Domini est ; velamen istud antichristi est. Quâ fiduciâ erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoscit. Frustrà obtenditur adolescentia, et ætas puellaris asseritur. Vidua quæ marito placere desivit, et juxta Apostolum *verè vidua est* (1. *Tim.* V. 5.), nihil habet necessarium nisi perseverantiam. Meminit pristinæ voluptatis, scit quid amiserit, quo delectata sit. Ardentes diaboli sagittæ, jejuniorum et vigiliarum rigore restinguendæ sunt..... Hoc quantum ad habitum pertinet et ornatum. Cæterùm *vidua quæ in deliciis est* (non est meum, sed Apostoli,) *vivens mortua est.* (1. *Tim.* V. 6.) Quid sibi vult quod ait, *vivens mortua est ?* Vivere quidem videtur ignorantibus, et non esse peccato mortua, sed Christo, quem secreta non fallunt, mortua est. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.....* (*Deut.* XXIV. 6. *Ezech.* XVIII. 4. *et* 20.) Quid ergo necesse est nos jactare pudicitiam, quæ sine comitibus et appendiciis suis, continentiâ et parcitate, fidem sui facere non potest ? Apostolus macerat corpus suum et animæ subjicit imperio ; ne quod aliis præcipit, ipse non servet : et adolescentula fervente cibis corpore, de castitate secura est ? Neque verò hæc dicens condemno cibos, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione ; sed juventibus et puellis incentiva aufero voluptatum. Non Ætnei ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvus, et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatæ.... Omnia alia peccata extrinsecùs sunt ; et quod foris est facilè abjicitur. Sola libido insita à Deo, ob liberorum procreationem, si fines suos egressa fuerit, redundat in vitium, et quadam lege naturæ in coïtum gestit erumpere. Grandis igitur virtutis est et sollicitæ diligentiæ superare quod nata sis : in carne, non carnaliter vivere : tecum pugnare quotidiè et inclusum hostem Argi (ut fabulæ ferunt) centum oculis observare. Primùm igitur si tamen stomachi firmitas patitur, donec puellares annos transeas, aquam in potu sume, quæ naturâ frigidissima est. Aut si hoc imbecillitas prohibet, audi cum Timotheo, *vino modico utere propter stomachum, et frequentes tuas infirmitates.* (1. *Tim.* V. 23.) Deindè in ipsis cibis calida quæque devita :.... nihilque scias ita conducere Christianis adolescentibus, ut esum olerum... Undè et in alio loco, *Qui infirmus est*, ait, *olera manducet.* (*Rom.* XIV. 2.) Ardorque corporum frigidioribus epulis temperandus est. Sic autem tres pueri et Daniel leguminibus vescebantur.. Nobis non corporis cultus, qui in illis.. ex hujuscemodi cibis enituerat ; sed animæ vigor quæritur, quæ carnis infirmitate ût fortior. Indè est quòd nonnulli vitam pudicam appetentium, in medio itinere corruunt, dùm solam abstinentiam carnium putant ; et leguminibus onerant stomachum, quæ moderatè parcèque sumpta innoxia sunt. Et, ut quod sentio loquar, nihil sic inflammat corpora, et titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus, ructusque convulsus... Quidquid seminarium voluptatum est, venenum puta. Parcus cibus, et venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur : et multò melius est quotidiè parum, quàm rarò satis sumere. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram : subitus et nimius imber in præceps, arva subvertit. Quando comedis, cogita quòd statim tibi orandum, illicò et legendum sit. De Scripturis sanctis habeto fixum versuum numerum ; istud pensum Domino redde. Nec ante quieti membra concedas, quàm calathum pectoris lui, hoc subtegmine impleveris. Post Scripturas sanctas, Doctorum hominum tractatus lege ; eorum duntaxat, quorum fides nota est. Non necesse habes aurum in luto quærere ; multis margaritis unam redime margaritam. Sta, juxta Jeremiam, in viis pluribus, ut ad illam viam, quæ ad

Patrem ducit pervenias. (*Jerem.* VI. 16.) Amorem monilium, atque genmarum, sericarumque vestium transfer ad scientiam Scripturarum. Ingredere terram repromissionis lacte et melle manantem. Comede similam et oleum : vestire cum Joseph, variis indumentis : perforentur aures tuæ cum Jerusalem sermone Dei ; ut pretiosa ex illis novarum segetum grana dependeant. Habes sanctum Exuperium probatæ ætatis et fidei, qui te monitis suis frequenter instituat. *Fac tibi amicos de iniquo mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula.* (*Luc.* XVI. 9.) Illis tribue divitias tuas, qui non phasides aves, sed cibarium panem comedant : qui famem expellat, non qui augeat luxuriam. *Intellige super egenum, et pauperem.* (*Psal.* XL. 2.) *Omni petenti te, da* (*Luc.* VI. 30.) ; Sed maximè domesticis fidei : nudum vesti, esurientem ciba, ægrotantem visita. Quotiescunque manum extendis, Christum cogita ; cave ne mendicante Domino Deo tuo, alienas divitias augeas. Juvenum fuge consortia : comatulos, comptos, atque lascivos domûs tuæ tecta non videant. Cantor pellatur, ut noxius : fidicinas, et psaltrias, et istiusmodi chorum diaboli, quasi mortifera syrenarum carmina proturba ex ædibus tuis. Noli ad publicum proindè procedere, et spadonum exercitu præeunte viduarum circumferri libertate. Pessimæ consuetudinis est, cùm fragilis sexus et imbecilla ætas suo arbitrio abutitur, et putat licere quod libet : *Omnia quidem licent, sed non omnia expediunt.* (1. *Cor.* VI. 12.) Nec procurator calamistratus, nec formosus collactaneus, nec candidus et rubicundus assecla adhæreat lateri tuo. Interdùm animus dominarum ex ancillarum habitu judicatur. Sanctarum virginum et viduarum societatem appete : et si sermociuandi cum viris incubuerit necessitas, arbitros ne devites : tantaque confabulandi fiducia sit, ut intrante alio, nec paveas, nec erubescas. Speculum mentis est facies ; et taciti oculi cordis fatentur arcana. Vidimus nuper ignominiosum quemdam per totum Orientem volitasse rumorem. Et ætas, et cultus, et habitus, et incessus, et indiscreta societas, exquisitæ epulæ, regius apparatus, Neronis et Sardanapali nuptias loquebantur. Aliorum vulnus, nostra sit cautio. *Pestilente flagellato stultus sapientior erit.* (*Prov.* XIX. 25.) Sanctus amor impatientiam non habet. Falsus rumor citò opprimitur : et vita posterior judicat de priore. Fieri quidem non potest ut absque morsu hominum vitæ hujus curricula quis pertranseat : malorumque solatium est bonos carpere ; dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Habes opes, facile tibi est indigentibus victûs subsidia ministrare. Quod luxuriæ paratur, virtus insumat : nullam nuptias contemptura timeat egestatem. Redime virgines, quas in cubiculum Regis inducas. Suscipe viduas, quas inter Virginum lilia et Martyrum rosas, quasi quasdam violas misceas.... Volumus scire quales esse debeant viduæ? Legamus Evangelium secundùm Lucam... (*Luc.* II. 36. *et seq.*) Anna ab adolescentia usque ad octoginta quatuor annos viduitatis onus sustinuerat, et non recedebat de templo Dei, diebus ac noctibus insistens jejuniis et obsecrationibus : idcircò meruit gratiam spiritualem.... Recordemur viduæ Sareptanæ (3. *Reg.* XVII. 10. *et seq.*), quæ et suæ et filiorum saluti Eliæ præstitit famem : ut ipsa nocte moritura cum filio, superstitem hospitem relinqueret ; malens vitam perdere, quàm eleemosynam : et in pugillo farris, seminarium sibi messis Dominicæ præparavit.... Legimus in Judith.... (*Judith.* VIII. *et seq.*) viduam confectam jejuniis et habitu lugubri sordidatam, quæ non lugebat mortuum virum, sed squalore corporis, sponsi quærebat adventum. Video armatam gladio manum, cruentam dexteram. Recognosco caput Holophernis de mediis hostibus reportatum. Vincit viros femina, et castitas truncat libidinem. Habituque repentè mutato, ad victrices sordes redit, omnibus sæculi cultibus mundiores.

Epist. 96. *alias* 16. *ad Principiam, Marcellæ viduæ Epitaphium.* Nostra vidua talibus usa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret. Aurum usque ad annuli signaculum repudians, et manus in ventribus egenorum, quàm in marsupiis recondens. Nusquam sine matre. Nullum clericorum, aut monachorum (quod amplæ domûs interdum exigebat necessitas) vidit absque arbitris. Semper in comitatu suo virgines, ac viduas, et ipsas graves feminas, habuit : sciens ex lascivia puellarum sæpè de dominarum moribus judicari ; et qualis quæque sit, talium con-

sortio delectari. Divinarum Scripturarum ardor erat incredibilis : semperque cantabat, *In corde meo abscondi eloquia tua ; ut non peccem tibi* (*Psal.* CXVIII. 11.) ; et illud de perfecto viro : *Et in lege Domini voluntas ejus : et in lege ejus meditabitur die ac nocte...,* (*Psal.* I. 2.) Moderata ei jejunia ; carnium abstinentia, vini odor magis quàm gustus propter stomachum et frequentes infirmitates. (1. *Tim.* V. 23.) Rarò procedebat ad publicum, et maximè nobilium matronarum vitabat domos : ne cogeretur videre quod contempserat : Apostolorum, et Martyrum basilicas secretis celebrans orationibus, et quæ populorum frequentiam declinarent ; matri in tantum obediens, ut interdum faceret, quod nolebat. Nam cùm illa suum diligeret sanguinem, et absque filiis, et nepotibus, vellet in fratris liberos universa conferre ; ista pauperes eligebat, et tamen matri contraire non poterat : monilia et quidquid supellectilis fuit divitibus peritura concedens, magisque volens pecuniam perdere, quàm parentis animum contristare... Hæc ab Alexandrinis Sacerdotibus, Papaque Athanasio, et posteà Petro, qui persecutionem Arianæ Hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam Beati Antonii adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaïde Pachomii et virginum, ac viduarum didicit disciplinam ; nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat. Hanc multos post annos imitata est Sophronia et aliæ... Hujus amicitiis fruita est Paula venerabilis. In hujus cubiculo nutrita Eustochium virginitatis decus, ut facilis æstimatio sit, qualis magistra, ubi tales discipulæ... Annis igitur plurimis sic suam transegit ætatem, ut ante se vetulam cerneret quàm adolescentulam fuisse meminisset... Undè et noster Apostolus, *Quotidiè morior per vestram salutem* (1. *Cor.* XV. 31.), et Dominus, juxta antiqua exemplaria, *nisi quis tulerit crucem suam quotidiè, et secutus fuerit me, non potest meus esse discipulus* (*Matth.* XVI. 24. *Luc.* XIV. 27.) : multoque antè per Prophetam Spiritus sanctus, *Propter te mortificamur totâ die* (*Ps.* XLIII. 23.), *æstimati sumus ut oves occisionis.* (*Rom.* VIII. 36.) Et post multas ætates illa sententia, Memento semper diem mortis, et nunquam peccabis (*Eccli.* VII. 40.) Disertissimique præceptum Satyrici :

Vive memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor indè est. (*Pers. sat.* 5.)

Sic ergo... ætatem duxit et vixit, ut semper se crederet esse moriturum : sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, offerens hostiam rationabilem, vivam, placentem Deo.

Epist. 85. *alias* 9. *ad Salvin. de vid. servand.* Habes igitur, Salvina, quos nutrias, in quibus virum absentem tenere te credas. *Ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris.* (*Ps.* CXXVI. 3.) Pro uno homine duos filios recepisti, auctus est numerus charitatis. Quidquid debebas marito, redde filiis. Amore præsentium, absentis desiderium tempera. Non est parvi apud Deum meriti benè filios educare. Audi Apostolum commonentem : (1. *Tim.* V. 9. *et* 10.) « Vidua eligatur non minùs annorum sexaginta, quæ fuerit unius viri uxor, in bonis operibus habens testimonium, si filios educavit, si hospitalis fuit, si sanctorum pedes lavit, si afflictis abundanter præbuit, si omne opus bonum subsecuta est. » Didicisti catalogum virtutum tuarum, quid debeas nomini tuo, quibus meritis secundum pudicitiæ gradum possideas. Nec te moveat, quòd sexagenalia eligatur vidua, et putes adolescentulas ab Apostolo reprobari. Et te crede eligi ab eo, qui discipulo dixerat : *Nemo adolescentiam tuam contemnat* (*Ibid.* IV. 12.) ; non continentiam, sed ætatem. Alioquin omnes quæ ante sexaginta annos viduatæ sunt, hac lege accipient maritos. Sed quia rudem Christi instituebat Ecclesiam, et omni ordini providebat, præcipueque pauperibus, quorum ei cura cum Barnaba fuerat demandata ; illas vult Ecclesiæ opibus sustentari, quæ propriis manibus non queunt laborare, quæ verè viduæ sunt : quas et ætas probat, et Heli Sacerdos offendit Deum, oblita liberorum. Ergo è contrario placatur Deus virtutibus eorum, si permanserint in fide et charitate, et sanctitate cum pudicitia.

O Timothee : *te ipsum castum custodi.* (*Ibid.* V. 22.) Absit ut sinistrum quippiam mihi de te suspicari liceat ; sed ex abundantia lubricam ætatem monuisse pietatis est. Quæ dicturus sum, non tibi, sed puellaribus annis dicta intellige. *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est.* (*Ibid.* 6.)

Hoc vas electionis loquitur ; et de illo profertur thesauro, qui confidenter aiebat : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* (2. *Cor.* XIII. 3.) Hoc ille pronuntiat, qui liberè sub persona sua fragilitatem humani corporis fatebatur. « Non enim quod volo bonum, hoc » operor, sed quod nolo malum. (*Rom.* VII. 19.) Et propterea subjicio et » redigo in servitutem corpus meum, ne aliis prædicans ipse reprobus » inveniar. » (1. *Cor.* IX. 27.) Si ille timet, quis nostrùm potest esse securus? si David amicus Domini, et Salomon amabilis ejus, victi sunt quasi homines, ut et ruinæ nobis ad cautionem, et pœnitudinis ad salutem exempla præberent, quis in lubrica via lapsum non metuat? Procul sint à conviviis tuis phasides aves, crassi turtures, attagen Ionicus; et omnes aves, quibus amplissima patrimonia avolant. Nec idcò te carnibus vesci non putes, si suùm, leporum atque cervorum, et quadrupedum animantium esculentias reprobes. Non enim hæc pedum numero, sed suavitate gustûs judicantur. Scimus ab Apostolo dictum : « Omnis creatura » Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione per- » cipitur. (1. *Tim.* IV. 4.) *Sed idem loquitur :* Bonum est vinum non bibere, » et carnem non manducare. (*Rom.* XIV. 21.) *Et in alio loco :* Nolite ine- » briari vino, in quo est luxuria. Omnis creatura Dei bona est. » (*Ephes.* V. 18.) Audiant hæc mulieres, quæ sollicitæ sunt, quomodo placeant viris. Comedant carnes, quæ carni serviunt, quarum fervor despumat in coïtum ; quæ maritis alligatæ, generationi ac liberis dant operam. Quarum uteri portant fœtus : earum et intestina canibus impleantur. Tu verò quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates ; quæ lilam purpurisso et cerussa faciem, super feretrum ejus lacrymis diluisti, quæ pullam tunicam, nigrosque calceolos, vestis et aurati secci depositione sumpsisti, nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in jejunio. Pallor et sordes gemmæ tuæ sint : plumarum mollities juvenilia membra non fovcat. Balneorum calor novum adolescentulæ sanguinem non incendat. Audi quid persona viduæ continentis Ethnicus Poëta decantet :

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit : ille habeat secum, servetque sepulcro. (*Virg. Æneid.* 4.)

Si tanti vilissimum vitrum, quanti pretiosissimum margaritum ? Si communi lege naturæ damnat omnes Gentilis vidua voluptates, quid exspectandum est à vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solùm ei debet, qui defunctus est, sed et ei, cum quo regnatura est ?

Quæso te, ne generalia monita, et conveniens puellari sermo personæ suspicionem tibi injuriæ moveant, ut arbitreris me objurgantis animo scribere, non timentis : cujus votum est, te nescire quæ metuo. Tenera res in feminis fama pudicitiæ est : et quasi flos pulcherrimus citò ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur, maximè ubi et ætas consentit ad vitium, et maritalis deest auctoritas, cujus umbra tutamen uxoris est. Quid facict vidua inter familiæ multitudinem ? inter ministrorum greges ? Quos nolo contemnat ut famulos, sed ut viros erubescat. Certè si ambitiosa domus hæc officia flagitat, præficiat his senem honestis moribus, cujus honor dominæ dignitas sit. Scio multas, clausis ad publicum foribus, non caruisse infamiâ servulorum, quos suspectos faciebat aut cultus immoderatus, aut crassi corporis nitor, aut ætas apta libidini, aut ex conscientia amoris occulti, securus animi tumor : qui etiam benè dissimulatus, frequenter erumpit in publicum, et conservos quasi servos despicit. Hoc ex abundantia dictum sit, ut omni diligentiâ custodias cor tuum, et caveas quidquid de te fingi potest.

Non ambulet juxta te calamistratus procurator, non histrio fractus in feminam, non cantoris diabolici venenata dulcedo, non juvenis cultus et nitidus. Nihil artium scenicarum, nihil tibi in obsequiis molle jungatur. Habeto tecum viduarum et virginum choros, habeto tui sexûs solatia. Ex ancillarum quoque moribus dominæ judicantur. Certè cùm tecum sancta sit mater, et lateri tuo amita hæreat virgo perpetua, non debes periculosè externorum consortia quærere, de tuorum societate secura. Semper in manibus tuis sit divina lectio, et tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur.... Hæc, filia in Christo charissima, inculco, et crebrius repeto ; ut posteriorum oblita, in priora te extendas ; habens

tui ordinis quas sequaris, Judith de Hebræa historia, et Annam filiam Phanuelis de Evangelii claritate, quæ diebus, et noctibus versabantur in templo, et orationibus atque jejuniis thesaurum pudicitiæ conservabant. Unde et altera in typo Ecclesiæ diabolum capite truncavit : altera Salvatorem mundi prima suscepit, sacramentorum conscia futurorum.

Epist. 86. *aliàs* 27. *ad Eustochium.* *Vide infra litt.* (Q) *hocce* §. *et alibi.*

S. AUG. *ad Probam*, *Epist.* 130. *aliàs* 121. *cap.* 1. *n.* 1. Quod enim majus oporluit esse negotium viduitatis tuæ, quàm persistere in oratione nocte ac die, secundùm Apostoli admonitionem? Ille quippè ait (1. *Tim.* v. 5.), *Quæ autem verè vidua est et desolata, speravit in Domino, et persistit in orationc nocte ac die.* Undè mirum videri potest, cùm sis secundùm hoc seculum nobilis, dives, tantæque familiæ mater; et ideò licèt vidua, non tamen desolata : quomodo occupaverit cor tuum præcipuèque sibi vindicaverit orandi cura, nisi quia prudenter intelligis quòd in hoc mundo et in hac vita, nulla anima possit esse secura.

N. 2. Quomodo enim tu sic studeres orare Deum, nisi sperares in eo? Quomodo autem sperares in eo, si sperares in incerto divitiarum, et contemneres præceptum saluberrimum, quo Apostolus ait (1. *Tim.* VI. 17.) « Præcipe divitibus hujus mundi non superbè sapere, neque spe- » rare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo qui præstat nobis omnia » abundè ad fruendum : ut divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, » communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum ut » apprehendant veram vitam. »

Cap. 2. *n.* 3. Debes itaque præ amore hujus veræ vitæ, etiam desolatam te putare in hoc seculo, in quantalibet ejus felicitate verseris. Nam sicut est illa vera vita, in cujus comparatione utique ista quæ multùm amatur, quamlibet jucunda atque producta sit, nec vita dicenda est : sic est etiam solatium verum, quod per Prophetam Dominus promittit dicens : *Dabo illi solatium verum, pacem super pacem* (*Isai.* LVII. 18. *et* 19.) : sine quo solatio quæcunque sunt terrena solatia, magis in eis desolatio, quàm consolatio reperitur. Divitiæ quippè atque fastigia dignitatum, cæteraque hujusmodi quibus se felices esse putant mortales veræ illius felicitatis expertes, quid afferunt consolationis, cùm sit eis non indigere quàm eminere præstantius : quæ plus excruciant adepta timore amissionis, quàm concupita adeptionis ardore.

Cap. 3. *n.* 7. Antequam ergo ista consolatio veniat, quantacunque temporalium bonorum felicitate circumfluas, ut persislas in orationibus die ac nocte, desolatam te esse memineris. Non enim Apostolus qualicunque vidua hoc munus tribuit, *sed quæ verè*, inquit, *vidua est et desolata speravit in Domino, et persistit in orationibus die ac nocte.* * (1. *Tim.* v. 5.) Quod verò sequitur, vigilantissimè cave, *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est.* (*Ibid.* 6.) Agit enim homo in iis quæ diligit, quæ pro magno appetit, quibus beatum se esse credit. Quapropter quod Scriptura dixit de divitiis, *Divitiæ si affluant ne apponatis cor* (*Psal.* LXI. 11.), hoc etiam de deliciis tibi dico, Deliciæ si affluant, ne apponas cor. Non ideò te magnipendas, quòd non desuni, quòd affatim suppetunt, quòd velut ex fonte largissimo terrenæ felicitatis fluut. Omninò hæc in te despice atque contemne, nec in iis quidquam requiras præter integram corporis valetudinem. Hæc enim contemnenda non est propter necessarios usus vitæ, *antequam mortale hoc induatur immortalitate* (1. *Cor.* XV. 54.), hoc est verâ et perfectâ et perpetuâ sanitate, quæ non terrenâ deficiens infirmitate, corruptibili voluptate reficitur, sed cœlesti firmitate persistens, æternâ incorruptione vegetatur. Nam et ipse Apostolus : *carnis*, inquit, *providentiam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII. 14.), quia gerimus curam carnis, sed ad necessitatem salutis. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit*, sicut itidem ipse dicit. (*Ephes.* v. 29.) Hinc est enim quòd et Timotheum, nimium, sicut apparet, corporis castigatorem, admonet (1. *Tim.* v. 23.) ut modico vino utatur, propter stomachum et frequentes suas infirmitates.

N. 8. Has ergo delicias, in quibus vidua si agit, hoc est, si delectatione cordis hæret atque habitat, vivens mortua est, multi sancti et sanctæ omni modo cavente, ipsas velut matres deliciarum divitias dispergendo pauperibus objecerunt, et tali modo in cœlestibus thesauris tutiùs con-

2. Segregare se idcircò quàm maximè à mundi consortio; solitudinem, silentium, lectiones sacras diligere. (H)

diderunt. Quòd si tu devincta aliquo pietatis officio non facis, tu scis quam de iis rationem reddas Deo. « Nemo enim scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. (1. *Cor.* II. 11.) Nos non » debemus ante tempus quidquam judicare, donec veniat Dominus, qui » et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique à Deo. » (1. *Cor.* IV. 5.) Pertinet tamen ad vidualem curam tuam, *deliciæ si affluant, ne apponas cor;* (*Psal.* LXI. 11.) ne in eis putrescendo moriatur, quod sursùm esse debet ut vivat. Te in illorum numero deputato, de quibus scriptum est, *vivent corda eorum in seculum seculi.* (*Ps.* XXI. 27.)

Cap. 6. *n.* 12. Placetne igitur ut super salutem istam temporalem optent sibi ac suis honores et potestates? Sanè, si ut per hoc consulant eis, qui vivunt sub eis, non propter hæc ipsa, sed propter aliud quod indè fit bonum, decet ea velle: si autem propter inanem fastum elationis pompamque superfluam vel etiam noxiam vanitatis, non decet. Quocircà si optant sibi ac suis etiam sufficientiam rerum necessariarum, de qua sic Apostolus loquitur; *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.* (1. *Tim.* VI. 6.)

Cap. 16. *n.* 29. Concerta in oratione vincere hoc seculum, ora in spe, ora fideliter et amanter, ora instanter atque patienter, ora sicut vidua Christi. Quamvis enim ad omnia membra ejus, hoc est, ad omnes qui in eum credunt, et ejus corpori sociantur, sicut docuit, orare pertineat, specialiter tamen diligentior cura orationum in Scripturis ejus viduis invenitur injuncta.... De illa verò Anna vidua vide quid scriptum sit; *Quia non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* (*Luc.* II. 37.) Nec aliundè Apostolus, quod et suprà commemoravi, *Quæ autem verè vidua est,* inquit, *et desolata, speravit in Domino, et persistit in orationibus nocte ac die* * (1. *Tim.* V. 5.): et Dominus cùm semper ad orandum, et non deficiendum nos hortaretur, viduam commemoravit, quæ licèt iniquum et impium judicem ac Dei et hominum contemptorem, ad audiendam causam suam assiduè interpellando convertit. Quàm ergo præ cæteris viduæ debent vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quòd omnibus ad suscipiendum orandi studium de viduis propositum est exhortationis exemplum.

N. 30. Ora ergo ut vidua Christi, nondum habens ejus conspectum, cujus precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora. Nondum enim veras futuri seculi divitias habes; ubi nulla damna formides. Licèt habeas filios et nepotes, numerosamque familiam, quod et suprà dictum est, sicut desolata ora: incerta sunt enim omnia temporalia, etiam usque in finem vitæ hujus in nostram consolationem mansura. Tu autem si ea quæ sursùm sunt quæris et sapis, æterna et certa desideras, quæ quandiù nondum habes etiam salvis omnibus atque obsequentibus tuis tanquam desolatam deputare te debes. Et si tu, profectò etiam tuo exemplo religiosissima nurus tua, et aliæ sanctæ viduæ virginesque sub vestra cura securiùs constitutæ: quanto enim magis domum vestram piè tractatis, tantò impensiùs orationibus instare debetis, rerum præsentium non occupatæ negotiis, nisi quæ flagitat causa pietatis.

(H) S. HIERON. *Vide hocce 2. litt. super.*

S. AMBROS. *de Viduis, cap.* 1. *n.* 1. Quomodo enim magisterium virginitatis viduarum valescit exemplis. Quæ cum viro castum cubile custodiunt, documento virginibus sunt integritatem Deo esse servandam. Et propemodùm non inferioris virtutis est eo abstinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quàm conjugii oblectamenta nescire. In utroque fortes; ut eas et conjugii non pœniteat, cui fidem servent, et conjugalia oblectamenta non alligent; ne videantur infirmæ quæ sibi adesse non posset.

N. 3. Sed non simplex viduitatis laus est, nisi virtus etiam viduitatis accedat.

Cap. 3. *n.* 7. Ergo vidua non abstinentiâ corporis tantùm definitur, sed virtute designatur: cui præcepta non de ego, sed Apostolus tribuit. Homo-

rificentiam non solus impartior, sed gentium Doctor priùs detulit dicens : *viduas honora quæ verè viduæ sunt. Si qua autem viduæ filios, aut nepotes habet, discat primùm suam domum regere, et mutuam vicem reddere parentibus.* (1. *Tim.* v. 3. *et* 4.) Undè et advertuntur utrumque pietatis affectum viduæ inesse debere, ut filios diligat, parentibus deferat. Ita dum obsequium parentibus rependit, magisterium exercet in filios, suoque seipsa remuneratur officio ; cùm id quod aliis defert sibi proficit.

N. 8. *Hoc enim acceptum est coram Deo.* (*Ibid.* 4.) Et ideò si cogitas, vidua, quæ Dei sunt, debes id sequi, quod Deo placere didicisti. Et suprà quidem sanctus Apostolus ad continentiæ studium viduas cohortatus, dixit eas cogitare quæ sunt Domini. Alibi autem ubi eligitur vidua, quæ probata est, non solùm cogitare præcipitur, sed etiam sperare de Domino : *Quæ enim verè vidua est*, inquit, *et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus, et orationibus die ac nocte.* (*Ibid.* 5.) Nec immeritò has irreprehensibiles ostendit esse debere, quibus ut opus virtutis indicitur, ita etiam honorificentia larga defertur, ut etiam ab Episcopis honorentur.

N. 11. Nec sola tamen castitas corporis viduæ fortitudo est, sed magna et uberrima disciplina virtutis. *Quæ in operibus bonis testimonium habeat, si filios educaverit, si hospitio receperit, si sanctorum pedes laverit, si tribulationem patientibus subministraverit, si postremò omne opus bonum fuerit subsecuta.* (*Ibid.* 10.) Vides quàm multas virtutum comprehenderit disciplinas : primum pietatis officium : secundum hospitalitatis studium, et humilitatis obsequium : tertium misericordiæ ministerium, liberalitatisque subsidium : ad summam omnis executionem boni operis flagitavit.

Cap. 4. *n.* 21. Docuit igitur Scriptura quantam collatio conferat gratiam, quantum etiam sit munus divinæ benedictionis in viduis. Quibus quoniam honorificentia à Deo tanta confertur ; est advertere, qualis debeat vita competere. Docet enim Anna quales deceat esse viduas, quæ immaturo mariti obitu destituta, maturæ tamen adoream laudis invenit : non minùs religionis officio, quàm studio castitatis intenta. *Vidua*, inquit, *octoginta et quatuor annorum, vidua quæ non discedebat de templo, vidua quæ jejuniis, et obsecrationibus die ac nocte servîret.*

N. 22. Vides qualis vidua prædicetur, unius viri uxor, ætatis quoque jam probata processu, vivida religioni, et effeta jam corpore : cui diversorium in templo, colloquium in prece, vita in jejunio : quæ diernum noctiumque temporibus, indefessæ devotionis obsequio, cùm corporis agnosceret senectutem, pietatis tamen nesciret ætatem, sic instituitur à juventute vidua, sic prædicatur in senectute veterana : quæ vidualem, non occasione temporis, non imbecillitate corporis, sed virtutis magnanimitate servaverit. Etenim cùm dicit septem annis eam cum viro fuisse à virginitate sua, ab adolescentiæ utique studiis inchoata prædicat subsidia senectutis.

N. 23.... Ita igitur virginitatem prædicavimus, ut viduas non rejiceremus, ita viduas honoramus, ut suus honor conjugio reservetur. Non nostra hoc præcepta, sed divina testimonia docent.

N. 26. Quantò igitur vos magis convenit intentas esse studio castitatis ; ne locum sinistræ relinquatis opinioni, quæ pudicitiæ testimonium in solis habetis moribus.... Docuit igitur Scriptura quam attentus viduæ esse debeat religiosus affectus.

Cap. 5. *n.* 27. Docuit... quàm misericordem in pauperes et liberalem esse conveniat, nec paupertatis debere contemplatione revocare, quia liberalitas non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu. Denique Dominicà voce illa vidua omnibus antefertur : de qua dictum est : *Vidua hæc plus omnibus misit...* (*Marc.* XII. 43.) Uberior enim nummus è parvo, quàm thesaurus è maximo ; quia non quantum detur, sed quantum resideat, expenditur : Nemo plus tribuit, quàm quæ nihil sibi reliquit.

N. 31. Bona et illa et planè laboriosa stipendia castitatis, quæ de suo opere, quotidianoque penso conferat vidua, nocturnis pariter et diurnis jugi exercens labore pensa temporibus, et pudicitiæ quæstuosæ pervigili opere mercedem congregans ; ut intemeratum defuncti conjugis

3. Mollitiem et otium fugere. (I)

4. Vitam agere duram, pœnitentem, laboriosam. (K)

5. Alienum habere animum à divitiis et ab omni avaritia, et tamen rem familiarem curare diligenter. (L)

cubile custodiat, alere dulces liberos possit, ministrare pauperibus. Hæc est præferenda divitibus; hæc est quæ Christi judicium non timebit.

(I) 1. TIMOTH. v. 13. Simul autem et otiosæ (*viduæ*) discunt circuire domos, non solùm otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet.

(K) *Vide* S. HIERON. *suprà hocce §. litt.* (G)

(L) S. AUG. *de bono viduit. cap.* 21. *n.* 26. Deliciæ igitur spiritales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant, lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri seculi, et cor sursùm; atque de his omnibus gratiarum actio Patri luminum, à quo sine ulla dubitatione *omne datum optimum et omne donum perfectum*, Scripturâ teste, descendit. (*Jacob.* 1. 17.) Nam quando pro deliciis nuptiarum quas in carne virorum habent, aliarum carnalium deliciarum tanquam in solatium usus assumitur, quid ego dicam quæ sequantur mala, cùm breviter Apostolus dixerit, viventem mortuam esse viduam, quæ in deliciis vivit? (1. *Tim.* v. 6.) Absit autem à vobis ut divitiarum cupiditate capiamini pro cupiditate nuptiarum, et in cordibus vestris numquàm viri amori succedat. Intuentes enim conversationem, sæpè experti sumus, in quibusdam lasciviâ compressâ crevisse avaritiam: nam sicut in ipsis sensibus corporis acutiùs audiunt qui non vident, et tangendo multa discernunt, nec tanta vivacitate tangunt qui oculis utuntur, ubi intelligitur ex uno aditu, id est, luminum, repressâ intentione sentiendi, eam se in alios sensus promptiorem dignoscendi acumine exserere, tanquam ex altero conetur implere quod negatur in altero: ita etiam sæpè carnalis cupiditas à concumbendi voluptate cohibita, majoribus viribus in pecuniæ se porrigit appetitum, et illinc aversa, hùc se impetu ardentiore convertit. In vobis autem amor divitiarum simul frigescat cum amore nuptiarum; et pius usus rerum quas possidetis, ad spiritales delicias conferatur, ut liberalitas vestra magis ferveat adjuvandis egenis quàm ditandis avaris. In thesaurum quippe cœlestem non mittuntur dona cupidorum, sed eleemosynæ pauperum, quæ in immensum modum orationes adjuvant viduarum. Jejunia quoque ac vigiliæ in quantum valetudinem non perturbant, si orando, psallendo, legendo, et in lege Dei meditando insumantur, in delicias spiritales etiam ipsa quæ videntur laboriosa vertuntur.

D. CHRYSOST. *in Epist. Paul. ad Timoth.* 2. *cap.* III. *Homil.* 7. Quemadmodum virginem facit honestam habitus, orationisque perseverantia: sic et viduam indicat, desolatam esse, perseverare in obsecrationibus, abstinere à deliciis. *Quæ enim*, inquit, *in deliciis est, vivens mortua est.* (1. *Tim.* v. 6.) Si vidua permanens, eumdem apparatum eamdemque pompam habitura es, quam vivente adhuc viro habuisti, melius est nubere: neque enim mala est conjunctio illa connubii sed curiositas habetur in crimine. At tu quod malum non est, non agis, quod verò crimini tenetur obnoxium, id agere sustines? idcircò quædam *reversæ sunt retrò post satanam* (*Ibid.* 15.), quia viduitatem ritè servare nescierunt. Vis noscere quæ sit viduitas, et quod viduitatis insigne? Audi Apostolum: *Si filios*, inquit, *educavit, si suscepit hospitio, si sanctorum pedes lavit, si his qui in tribulatione sunt subministraverit, si omne opus bonum secuta est.* (*Ibid* 10.) Nam si mortuo viro ingentem opum præferas fastum, viduitatem congruè non fers. Transfer in cœlum divitias tuas, et erit tibi tolerabile viduitatis onus. Quid ergo, inquies, si liberos habeam paternæ hæredes substantiæ? Doce et illos aspernari pecunias, illùc quæ tua sunt transfer, eisque quantum sit satis impertiens, erudi et illos opibus suis superiores esse. Quid si circumfluunt mancipiorum greges, si negotiorum examen imminueat, si argentum, si aurum? Quo pacto sufficere possum ad ista servanda, nisi adsit viri gubernatio? Simulas ista occasionesque inquiris: quod multis ex locis constat. Si enim pecuniarum

6. Instare sedulò bonis operibus, præsertim verò iis quibus charitas exercetur in pauperes, ægrotos, afflictos : visitare infirmos in xenodochiis, iisque ministrare : adjungere se piæ societati eorum, qui intra suæ Parochiæ ambitum levandis proximi necessitatibus occupantur. (M)

non teneris affectu, neque opes tuas augere cupis, levis tibi fit sarcina. Est enim profectò multò gravius atque onerosius ostentare, quàm custodire divitias. Si igitur hujusmodi ampules ostentationes, et ex his quæ habes indigentibus tribuas, Deus suam tibi porriget manum, atque te proteget : quòd si veraciter pupillorum prospiciens hæreditati, hæc loqueris, non occasione cumulandæ pecuniæ : novit qui scrutatur corda, in tuto illorum servare divitias, qui filios educare præcepit. Neque fieri omninò potest, ut ea domus, quæ pauperum miseratione fundata sit, mali quippiam patiatur : imò si quid fortè perpessa fuerit, melior eam eventus excipiet, idque erit familiæ ac domui pro clypeo, et hasta.

(M) 1. Timoth. v. 10. (Vidua eligatur) in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

Luc. xxi. 2. Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. 2. Et dixit : Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit. 4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei : hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit misit.

3. Reg. xvii. 8. Factus est ergo sermo Domini ad eum (*Eliam*,) dicens: 9. Surge, et vade in Sarephta Sidoniorum, et manebis ibi : præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te.

S. Joan. Chrysost. *in Epist. Pauli ad Timoth.* 1. *Cap.* v. *Homil.* 14. *Si omne opus bonum assecuta est.* Corporale ministerium est omne, quod præcipit. Sunt enim mulieres hujusmodi obsequiis imprimis idoneæ lectulum sternere, ac fovere ministerio. O quantum diligentiæ requirit à vidua ! Tantum profectò, ut ab Episcopo plus ferè nil exigat. *Si*, inquit, *omne opus bonum assecuta est* ; et si enim id exsequi ipsa non potuit, particeps tamen accessit, et ministerii consors. Denique, ut delicias omnes abscinderet, curam suorum, ac providentiam habere imperavit, et orationibus semper insistere. Hujusmodi et anteà illa de Evangelio fuit. Vides ut à viduis plus ferè diligentiæ, quàm à virginibus poscat : licet ab illis eximiam exigat exactissimamque virtutem. Nam quod ait, ad id quod honestum sit, et facit sine districtione ulla Domino semper assistere ; summatim virtutem fermè comprehendit omnem... Vides ut peregrinorum susceptionem, non simplicem humanitatem, sed præcipuo studio, et totâ animi voluntate, summâ alacritate, ac devotione, tanquam reverà ipso Christo exhibitam, signet ? Neque enim permittit hujusce in sanctos obsequia ancillulis imperari, sed ipsas pro se illis ministerium ferre jubet. *Si enim ego*, inquit, *lavi Discipulorum pedes, multò magis vos debetis invicem facere.* (*Joan.* xiii. 14.) Quantumlibet denique fueris opulenta, et in summa dignitate constituta, ac præcipuâ generis gloriâ fulgeas, non tanto harum rerum intervallo eos, quibus obsequeris superas, quanto discipulos Christus. Si illos ut Christum suscipis, nihil est cur erubescere debeas, imò ingens tibi gloria indè conquiritur : sin verò non ut Christum suscipis, ne suscipis quidem. *Qui enim*, inquit, *suscipit vos, me suscipit.* (*Matth.* x. 40. Quòd si non ita suscipis, mercede cares.... Nos ipsos cuncta inferre oportet officia, ut ipsi sanctificari mereamur, ut benedicantur manus nostræ : et si pauperi dederis, ne respuas tuis ipsius dare manibus. Christo enim, non pauperi tribuis. Quis verò sit adeò infelix, ut erubescat manum Christo porrigere? Et opere et verbo ostendamus inter ista officia beneficium nos non inferre, sed referre, plusque longè recipere, quàm demus... Majora igitur recipis, quàm largiris, beneficiumque potiùs accipere, quàm ferre probaris. Denique non hominibus

7. Si vidua afflicta est et desolata, si derelicta, oppressa, si calumniis et injuriis appetita, tunc *verè vidua est* ex mente Apostoli; tunc ergo magis *speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte et die.* (1. *Tim.* v. 5.)

8. Magnam viduæ debent habere modestiam et simplicitatem in vestibus, in supellectili, in mensa, in familia et comitatu; nec quidquam habere debent apud se quod fastum luxumve redoleat. (N)

9. In exemplum vitæ sibi sumere debent non viduas mundi vanitatibus et deliciis deditas; de his enim hoc ait Apostolus; *Quæ in deliciis est, vivens mortua est* (1. *Tim.* v. 6.): sed eas de quibus honorifica mentio fit in Scripturis, vel in historia Ecclesiastica; quales fuêre Judith, Anna Prophe-

feneraris, divitiasque non minuis, sed auges: minuis autem illas nisi erogas, nisi egentibus des. *Si*, inquit, *hospitio suscepit, si sanctorum pedes lavit.* (2. *Tim.* v. 10.) Quorum obsecro? Eorum scilicet, qui in tribulatione sunt, non sanctorum simpliciter: possunt enim esse sancti summoque obsequio ab omnibus foveri. Noli hos prosequi copiâ rerum affluentes: sed afflictos incognitos, et qui à multis ignorantur. *Qui fecerint*, inquit, *uni ex his minimis mihi fecit.* (*Matth.* xxv. 40.)

S. Bernard. *Epist.* 289. *ad Reginam Jerosolymorum*, *n.* 1. Pacificè et mansuetè te habeas, sapienter et consilio sapientum te et tua regas: Fratres de Templo diligas, et familiares habeas: periculis imminentibus terræ, secundùm sapientiam tibi à Deo datam, salutaribus consiliis et auxiliis providè et sapienter occurras. Talia prorsùs, talia decent opera mulierem fortem, humilem viduam, sublimem reginam: neque enim quia Regina es, indignum tibi viduam esse, quod si voluisses, non esses. Puto quòd et gloria tibi est, præcipuè inter Christianos, non minùs vivere viduam, quàm Reginam. Illud successionis est, hoc virtutis: illud tibi ex genere, istud ex munere Dei: illud feliciter nata es, hoc viriliter nacta. Duplex honor, alter secundùm seculum, alter secundùm Deum: uterque à Deo. Nec parvus tibi videatur honor viduitatis, de quo Apostolus: *Honora viduas, quæ verè viduæ sunt.* (1. *Tim.* v. 3.)

N. 2. Habes certè penès teipsam familiare commonitorium Apostolicæ iterùm salutaris sententiæ, quâ doceris ab eo providere bona non tantùm *coram Deo*, *sed etiam coram hominibus.* (2. *Cor.* viii. 21.) Coram Deo, ut vidua; coram hominibus, ut Regina. Attende Reginam, cujus digna, indignave non possunt latere sub modio. Super candelabrum sunt, ut appareant omnibus. Memento viduam, cui jam non est quod velit placere viro, ut soli possit placere Deo. Beata es, si Salvatorem ponas tibi murum ad protectionem conscientiæ; et antemurale ad repulsionem infamiæ. Beata, inquam, si veluti desolatam et viduam totam te Deo regendam commiseris. Alioquin benè non regis, si benè non regeris. Regina austri venit audire sapientiam Salomonis, ut regi discerel, et sic regeret. Et ecce plus quàm Salomon hic (*Matth.* xii. 42.): Jesum loquor et hunc crucifixum. Huic te committe regendam, huic docendam, quomodo regere debeas. Disce tanquam vidua, quòd sit *mitis et humilis corde.* (*Matth.* xi. 29.) Disce tanquam Regina, quòd *judicet in justitia pauperes, et arguat in æquitate pro mansuetis terræ.* (*Isai.* xi. 4.) Cùm cogitas dignitatem, attende et viduitatem: quia ut purè apud te quod sentio proferam, non potes esse Regina bona, si bona non fueris vidua. Quæris undè bona vidua æstimetur? Ex his profectò quæ Apostolus dicit: *Si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.* (1. *Tim.* v. 10.) Si hæc facis, beata es, et benè tibi erit.

(N) S. Hieron. *Epist.* 85. *aliàs* 9. *ad Salvin.* *Vide suprà hocce 2. litt.* (G)
S. Joan. Chrysost. *Homil.* 7. *in* 2. *ad Tim.* *Vide ibid. litt.* (L)

tissa, SS. Olympias, Paula, Marcella, aliæque complures, quas hîc brevitatis causâ prætermitto. (O)

(O) S. Ambros. *de viduis*, *cap.* 6. *n.* 33. An verò mediocris tibi vidua videtur Noëmi, quæ viduitatem suam messis manipulis sustentabat alienæ, quam ævo gravem alebat nurus? Nam hoc quoque et ad subsidium et ad gratiam proficit viduarum, ut ita instituant nurus suas, quò possint in his maturæ habere subsidium senectutis: et quasi stipendium magisterii, mercedem quoque suæ curæ capere disciplinæ. Etenim quæ benè instituerit.... nurum suam, Ruth ei deesse non poterit, quæ viduitatem socrûs paternæ domui præferat.

Cap. 7. *n.* 37. Sed nec fortitudo bonæ viduæ deesse consuevit. Hæc enim vera est fortitudo, quæ naturæ usum, sexûs infirmitatem mentis devotione transgreditur: qualis in illa fuit cui nomen Judith, quæ viros obsidione fractos, percussos metu, tabidos fame sola potuit à colluvione revocare, ab hoste defendere. (*Judith.* VIII. 6. *et seq.*) Ea enim.... cùm Holofernes successu multorum terribilis præliorum, intra muros innumera virorum millia coëgisset, armatis paventibus, et de extrema jam sorte tractantibus, extra murum processit, et illo præstantior exercitu, quem liberavit; et eo fortior, quem fugavit.

N. 38. Sed ut discas maturæ viduitatis affectum; seriem ipsam persequere Scripturarum. A diebus enim viri sui quibus ille defunctus est, vestem jucunditatis deposuit, mœroris assumpsit: per omnes dies intenta jejunio, sabbato tantùm et Dominicâ sacrarumque temporibus feriarum non refectioni indulgens, sed religioni deferens.... Diuturnis igitur mœroribus, et quotidianis roborata jejuniis sancta Judith, quæ seculi oblectamenta non quærit, periculi negligens, mortisque contemptu fortior, ut commenta strueret doli; vestem illam jucunditatis, quâ vivente viro vestiri solebat, se induit: quasi placitura viro, si patriam liberaret. Sed virum alium videbat cui placere quærebat, de quo dictum est: *Post me venit vir, qui ante me factus est* (*Joan.* I. 30.), et benè conjugales pugnaturæ resumpsit ornatus; quia monimenta conjugii arma sunt castitatis: neque enim vidua aliàs aut placere posset aut vincere.

N. 39. Quid cætera persequamur, quòd inter millia hostium casta permansit? Quid ejus sapientiam prædicemus, quòd hujusmodi est commentata consilium? Potentem elegit, ut intemperantiam à se inferioris arceret, occasionem pararet victoriæ. Abstinentiæ meritum, pudicitiæ gratiam reservavit. Nec cibo enim, ut legimus, maculata, nec adulterio, non minorem servatæ castitatis ex hostibus revexit triumphum, quàm patriæ liberatæ.

N. 40. Quid sobrietatem loquar? Temperantia enim virtus est feminarum. Inebriatis vino viris, et somno sepultis abstulit vidua gladium, exeruit manum, bellatoris abscidit caput, per medias hostium acies intemerata processit. Advertitis igitur quantùm nocere mulieribus possit ebrietas, quando viros vina sic solvunt, ut vincantur à feminis? Esto igitur vidua temperans; casta primùm à vino; ut possis casta esse ab adulterio: nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Judith bibisset, dormisset cum adultero. Sed quia non bibit, haud difficilè ebrios exercitus unius sobrietas, et vincere potuit, et eludere.

N. 42. Nec his tamen elata successibus, cui utique gaudere et exsultare licebat jure victoriæ, viduitatis reliquit officium: sed contemptis omnibus, qui ejus nuptias ambiebant, vestem jucunditatis deposuit, viduitatis resumpsit: nec triumphorum suorum amavit ornatus, illos existimans esse meliores, quibus vitia corporis quàm quibus hostium arma vincuntur.

Cap. 8. *n.* 44. (Debbora) docuit non solùm viri auxilio viduas non egere, verùm etiam viris esse subsidio: quæ nec sexûs infirmitate revocata, munia virorum obeunda suscepit, et suscepta cumulavit. Denique cum Judæi Judicum regerentur arbitrio, quia virili non poterant, vel æquitate regi, vel virtute defendi, bellis hinc indè ardentibus, Debboram sibi cujus regerentur judicio, cooptarunt. Itaque multa millia virorum una vidua et in pace rexit, et ab hoste defendit.... Strenuos non sexus, sed virtus facit.

I. Quale vitæ exemplum præbuit Judith viduis Christianis?

R. Judith in Bethulia civitate nupserat Manassi. *Hæc relicta vidua fecit sibi superioribus domûs suæ secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur ; 6. et habens super lumbos suos cilicium , jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata , et neomenias , et festa Domûs Israël. 7. Erat autem eleganti aspectu nimis , cui vir suus reliquerat divitias multas, et familiam copiosam , ac possessiones armentis boum et gregibus ovium plenas. 8. Et erat hæc in omnibus famosissima , quoniam timebat Dominum valdè ; nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Hæc ad verbum excerpta sunt ex cap. VIII. Libri Judith. (*vers. 4. et seq.*)

Quid viduæ Christianæ in sanctissima illa femina debeant imitari per se patet; solitudinis , silentii, modestiæ, simplicitatis , mortificationis studium : uno verbo timorem Dei et irreprehensibilem vitæ modum.

I. Quæ fuit Anna Prophetissa ? In quo fuit exemplar viduarum ?

R. Anna Prophetissa, ut habetur cap. II. Evangelii Lucæ, *vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* (*Luc.* II. 36. *et* 39.) Hinc factum est ut meruerit videre Christum recèns natum , càm in templo oblatus est Deo. *Et illa ipsâ horâ superveniens confitebatur Domino , et loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israël.* (*Ibid.* 38.) Deindè sicut et Simeon senex in pace quievit.

Vides , inquit S. Ambrosius , *qualis vidua prædicetur , cui diversorium in templo , colloquium in prece , vita in jejunio.*

I. Quam viduam prædicasti Olympiadis nomine ? Quid egit illa dignum imitatione ?

R. Olympias , ut referunt Palladius Scriptor coævus, in vita S. Joannis Chrysostomi , aliique Scriptores historiæ Ecclesiasticæ , in urbe Constantinopoli longè antecelluit cæteris omnibus suæ feminis nobilitate generis , opibus, pulchritudine. Hæc in ipso adolescentiæ flore vidua , vehementer expetita est in uxorem ab Elpidio Theodosii Imperatoris consanguineo , cujus votis impensè favit Imperator. Olympias autem nunquam adduci potuit, ut ad secundas nuptias transiret : nihil illam futura Imperatoris affinitas, nihil preces, nihil Principis jussa sæpiùs repetita tentarunt. Tunc Imperator sperni se ratus , jussit omnia illius bona in publicam tradi custodiam , vetuitque ne illorum administratio concederetur Olympiadi , donec attigisset annum ætatis trigesimum. Mox scripsit illa ad Imperatorem litteras religionis plenas, quibus et gratias egit , quòd levasset ipsam onere gravi , et rogavit illum enixè ut bona isthæc omnia pauperibus et Ecclesiis distribuenda curaret. Vicit Theodosium tanta virtus : moxque illam et restituit in integrum , et permisit manere viduam.

Tum vacavit impensè omnibus pietatis et charitatis operibus ; servos omnes quos habebat plurimos libertate donavit. Consecravit se Constantinopolitanæ Ecclesiæ ministerio , et in ordinem Diaconissarum adscripta est. In hoc gradu , prudenter , cautè , graviter ministravit. Nihil servabat sibi , totum effundebat in pauperes. Mille illi charitatis exercendæ artes ; nulla præpostera festinatio , nulla curiositas , nulla loquacitas : mens recta , candida , integra : simplicitas verè Evangelica : somnus parcus ; vestitus pauper ; vita durissima : Ad hæc mira humilitas , quâ major haberi nequit ; adeò ut culpas vel levissimas pro magnis criminibus expiaret. Quale exemplum viduis ! (P)

N. 45. Et in pace quidem nulla querimonia ; nullus error mulieris invenitur.... Ubi verò Chananæi.... hostiles in populum Judæorum animos extulerunt, vidua præ cæteris bellicos instruit apparatus.... Domo propriâ filium ducem producit exercitus, ut agnoscatis quòd possit instituere vidua bellatorem : quem quasi mater erudiit , quasi Judex præposuit , quasi fortis instituit , quasi Prophetissa victoriæ certæ transmisit.

N. 50. Ergo secundùm historiam ad provocandos animos feminarum , femina judicavit , femina disposuit , femina prophetavit , femina triumphavit , et præliaribus intermixta copiis , imperio viros docuit militare femineo.

N. 51. Non ergo habetis quòd per naturam vos excusetis feminæ , si satis unicuique præsidii est , si virtus non desit animæ.... Et ipse in viduis frequens processus ætatis munimen pudoris est , et ipse amissi conjugis dolor , usus operis , domûs cura , sollicitudo liberorum noxiam pudori solet arcere lasciviam : atque ipse lugubris habitus , pompa funebris , fictus assiduus , et mœstæ fronti inarantibus rugis impressa tristitia petulantium premit oculos , restinguit libidines ; procaces avertit aspectus. Bonus custos pudoris pietatis dolor ; non obrepit culpa , si cura non defuit.

Lege S. AUG. *libr. de bono viduitatis , et lib. Gallicè scriptum sub titulo :* Vita viduarum : *la vie des veuves.*

(P) PALLADIUS *Histor. Lausiacæ cap.* 144. *tom.* 2. *Biblioth. PP. Græcor.* In primis veneranda et honesta Olympias viæ quæ ferret in cœlum summo zelo tenebatur , divinarum Scripturarum sententiam secuta in omnibus. Fuit autem secundùm carnem filia Seleuci ex comitibus , vera autem Dei filia secundùm spiritum : neptis autem Ablavii , qui erat ex Præfectis : aliquot autem dies sponsa Nebridii , qui fuit ex Præfectis urbis Constantinopolis. Ipsa autem revera uxor fuit nullius. Dicitur autem dormisse virgo incorrupta effecta divini verbi convictrix , conjux autem totius veræ humilitatis , communicans , et ministrans omnibus egentibus. Ipsa cùm omnes illas infinitas , et immensas dispersisset divitias , absolutè , et indiscriminatim opem ferebat omnibus. Non enim urbs , non rus , non solitudo , mansit expers largitionum hujus inclytæ virginis : sed et Ecclesiis suppeditavit ad donaria deputata sacrificiis ; et monasteriis et cœnobiis , et xenotrophiis , et custodiis , et relegatis ; et ut semel dicam , in omnem orbem terræ dispersit eleemosynas. Hæc beata processit usque ad extremum terminum humilitatis : ultra quem nihil possit inveniri amplius : vita sine ulla inani gloria , species nequaquam ficta : sinceri mores , facies non fucata , corpus florens , mens non gloriosa , animus ab arrogantia alienus , cor minimè turbulentum , somni expers vigilia , spiritus non curiosus , charitas immensa , quæ comprehendi non potest communicatio , vilis et contempta vestis , infinita continentia , recta cogitatio , in Deum spes æterna , cum eleemosyna quæ non potest narrari : ornamentum omnium humilium , cui multæ sunt accensæ tentationes ex operatione ejus qui est suâ sponte malus , et omnis boni expers , nempè dæmonis : quæ pro veritate non parva adiit certamina ; quæ et diù affatim vixit , in immensis lacrymis : omni humanæ naturæ subjecta propter Dominum : cum omni pietate sanctis subdita Episcopis ,

venerans Presbyteratum, honorans Clerum, reverens suscipiens virginitatem, opem ferens viduitati, curam gerens orbitatis, protegens senectutem, ægrotos invisens, peccatorum miserens, errantes in viam deducens, in omnes utens misericordiâ, profusè autem in pauperes, multisque infidelium in catechesi institutis uxoribus, etiam ad victum eis ferens auxilium, semper memorabile nomen benignitatis reliquit per totam vitam. A servitute in libertatem innumerabilium servorum restituens examina, reddidit eos honore æquales suæ nobilitati, vel potiùs, si vera dicere oporteat, facti sunt hujus sanctæ habitu nobiliores. Neque enim ejus indumentis inveniri potuit quidquam vilius. Nam iis etiam qui sunt pannis valdè obsiti, indigna erant hujus sanctæ tegumenta. Tanta autem erat ejus mansuetudo, ut etiam longè superaret simplicitatem ipsorum puerorum. Nulla vituperatio ne à vicino quidem unquam inventa est apud hanc quæ Christum gestabat, sed ejus omnis vita non vitalis, erat in compunctione et frequenti profluvio lacrymarum, et potius videre licebat fonti æstate sua deficere fluenta, quàm ejus non sublimibus, et Christum semper videntibus oculis lacrymas deficere.... Multæ ejus pecuniæ sunt à me ex ejus sententia distributæ. Hæc ergo non ampliùs de cætero quæ sunt carnis sapiens, subjecta Principatibus, obediens Potestatibus, venerans Presbyteratum, honorans universum Clerum, confessione quoque digna est habita pro veritate, importunarum recusationum multis acceptis procellis. Cujus vitam inter Confessores referunt, quicunque pii habitant Constantinopolim, ut quæ proximè matrem periclitata sit in iis quæ sunt ex Deo certaminibus; et in his mortua beatam accepit gloriam, et in infinito seculo coronata agit pompam nulli interitui obnoxiam, cum sanctis et sui similibus, in sempiternum mansiones habitans, et bonorum operum à Christo Domino cum fiducia accipiens remunerationes.

Idem Pallad. in vita S. Joan. Chrysost. quæ exstat in calce tom. 1. *Operum* S. CHRYSOST. *edit. Paris. an.* 1614. *cap.* 6. *pag.* 10. *col.* 2.... Isidoro vidua quædam ex principalibus civitatis mille aureos dedit, anjurans eum ante altare venerandum, coemptis ut vestibus pauperculas Alexandriæ mulieres indueret, ignorante Theophilo, ne si scirel, acceptos lapidibus emendis impenderet.... Acceptam pecuniam Isidorus pauperibus impendit, ac viduis.

Cap. 10. *pag.* 17. *col.* 2. Ingressus autem Baptisterium (*S. Joannes Chrysostomus antequam urbe excederet in exilium pergens*) Olympiadem vocat, quæ ab Ecclesia non discedebat, unà et Pentadiam, et Proculam diaconas, Silvinamque Beati Hebridii conjugem, quæ viduitatem suam præcipuâ virtute et honestate decorabat, dicitque eis: Venite hùc filiæ, audite me: quæ de me sunt, ut video, finem habent: cursum meum consummavi, neque ultrà fortè videbitis faciem meam; hoc unum rogo, hoc deprecor, ne qua ex vobis solitam ad Ecclesiam benevolentiam deserat, et quicunque non sponte fuerit ordinatus, neque id ullo quæsierit ambitu, sed de consensu omnium, ei caput vestrum inclinate, ut Joanni, per omnia. Non enim esse Ecclesia sine Episcopo potest. Atque ita misereminí mei, ut in orationibus vestris semper memineritis mei. Ad hæc illæ profusæ cum gemitu et ejulatu, ante sacra ejus vestigia volutabantur. Tunc ille cuidam ex honestioribus Presbyteris annuens, Tollite, inquit, eas hinc, ne multitudinem perturbent. Sic ergo impeditæ modicum locum illi dedère abeundi.... *Pag.* 28. col. 1. Oro itaque nobis et de Olympiade, si qua nosti, enarrare pergas. *Pallad.* Quam tu Olympiadem dicis? sunt enim hujus nominis plurimæ. *Theod.* Diaconam illam Constantinopoleos, Nebridii quondam ex Præfectis sponsam. *Pall.* Illa verò mihi notissima est. *Theod.* Cujus meriti mulier est? *Pallad.* Ne quæso mulierem dicas, sed virum, est enim, præter sexum corporis, vir. *Theod.* Quonam modo? *Pallad.* Vitæ sanctimoniâ, laboribus, scientiâ, passionumque tolerantiâ. *Theod.* Cur ergo illam Theophilus maledictis incessit?... *Pallad.* In eo, quòd projectos ab se monachos suscepit hospitio.... *Pag.* 30. *col.* 1. *cum Monachorum jussu Theophili exulum multis laudes prosecutus essel*, Hi sunt, quos Sacerdotes et Levitæ despexère, quos ad confusionem virorum virilis suscepit mulier, itaque ad Episcoporum damnationem Diacona femina hospites habuit. *Col.* 2.... Quantam hæc pecuniarum co-

piam, quanta villarum pretia egenis distribuerit, non est nostræ facultatis evolvere.... Audi majorem ipsius quoque virtutem. Pupilla namque conjuncta viro permissa non est à præscio omnium Deo, qui hominum prævidet exitus, carnis servire voluptati viginti integros menses, viro ejus maturè subtracto. Fertur autem virgo esse. Nam Apostolicæ legi renuit servire, dicenti (1. *Tim.* v. 14.) : Volo adolescentiores viduas nubere, matres-familiàs esse, et quidem cùm et genere, et opibus, et eruditione singulari, et ingenio liberali, et forma, et ætatis flore præcelleret, sed Dorcadis in morem seculi connubii laqueos constanti voluntate transiliens. Contigit autem diaboli invidiâ, ut hujus immaturâ viduitas, ad aures Theodosii principis perveniret, qui hanc Elpidio cuidam, cognato suo Hispano conjungere in matrimonium cupiens, cùm post plurimas preces, id obtinere nequivisset, tristabatur. Ad quem illa, Si, inquit, me vellet Rex meus copulari viro, nunquam priorem mihi abstulisset. Quoniam autem me parùm idoneam conjugali vitæ cognovit, viroque placere minimè valentem, et illum jugali vinculo absolvit, et me gravissimo jugo virilis servitutis eripuit, suave continentiæ jugum cervicibus meæ mentis imponens. Hoc responso accepto, Theodosius Præfecto urbis mandavit, ut omnem ejus substantiam custodiret, quousque trigesimum ætatis implesset annum. Ille acceptâ procuratione regiâ, eam adeò vexabat ab Elpidio submissus, ut nullam haberet facultatem, vel insignibus Episcopis congrediendi, vel Ecclesiam ipsam ingrediendi, ut his angustiis coacta, præ angore animi conjugalem eligeret vitam. Illa è contra his oblectata magis, et Deo grat as referens, Imperatori ita rescripsit. « Et » imperatori debitam, et congruam Episcopo virtutem in me humilem » ostendisti, mi Domine, mandans grave onus meum custodiri, cujus » me dispensationis cura macerabat. Erit autem gratius, si jusseris id » pauperibus, et Ecclesiis dividi. Ego enim jam dudum à vanitate, quæ » solet ex hac largitione subsequi, metuebam, ne terrenis implicita ne» gligerem divitias naturales....» Cùm illius tolerantiam, laboremque comperisset (*Imperator*), in sua eam libertate esse jussit. *Theod.* Justissimè sanè hanc Joannes in honore habuit ita laborantem. *Pallad.* Abstinet illa quidem animatis omnibus, balneaque nunquam adit. Quòd si infirmitatis necessitas urgeat, crebris enim passionibus ac morbis alteritur, indutâ camisiâ descendit in aquas. Veretur enim, ut aiunt, et semetipsam. *Theod.* Dicitur et sanctum Joannem valdè curasse, et refecisse. Et quid ipsius virtute dignum conferre in eum potuit, nisi ut quotidiani victûs illi sollicitudinem demeret? Quod quidem minimùm non est Christi operariis qui noctù et interdiù, quæ Christi sunt, curant.... Scio hanc sanctum Nectarium plus fuisse admiratum, adeò ut in Ecclesiasticis quoque rebus mulieri obtemperaret. Amphilochium verò, et Optimum et Petrum Basilii fratrem, et Epiphanium Cypri sanctos viros quid memorem? quibus illa et pecunias donavit, et villas. Optimo certè, dum Constantinopoli moreretur, oculos suis manibus clausit. Ad hæc mirabiles quoque illos non modicè refrigeravit in omnibus, Antiochum scilicet, Acacium, et Severianum, et omnes prorsùs adventantes Sacerdotalis ordinis viros, monachorum item ac virginum infinitam multitudinem.

SOZOMENUS. *lib.* 8. *Hist. Eccles. cap.* 9. Olympiadem.... cùm nobilissimo genere orta esset, quamvis juvenili ætate viduam, tamen quia juxta leges Ecclesiasticas egregiè philosophabatur, Nectarius Diaconissam ordinaverat. Joannes verò cùm eam facultates suas petentibus erogare cerneret, et reliqua quidem insuper habere : omnem autem curam divinis rebus impendere : Equidem, inquit, studium tuum laudo. Veram qui perfectæ secundùm Deum virtutis fastigium consequi desiderat; eum sua rectè dispensare oportet. Tu verò dum opulentis opes superadjicis, idem facis, ac si tua in mare effunderes. An ignoras, te tuâ sponte facultates tuas indigentibus propter Deum dedicasse : et tanquam in bonis quæ non sunt amplius dominii tui, dispensatricem te appositam, et rationibus reddendis obnoxiam esse. Quòd si me audis, pro necessitate petentium, largitionem tuam deinceps moderaberis. Sic enim fiet, ut pluros beneficiis à te afficiantur, et tu misericordiæ ac diligentissimæ benignitatis à Deo mercedem accipias.

Cap. 24. Olympias quoque diaconissa, in hoc rerum discrimine fortitudinem animi sui declaravit. Nam cùm eamdem ob causam in judicium adducta esset, interroganti Præfecto cur Ecclesiam incendisset, respondit: Non est hoc vitæ meæ institutum. Ego enim facultates meas quæ multæ erant et maximæ, templis Dei instaurandis impendi. Cumque ille diceret, sibi probè cognitam esse illius vivendi rationem, subjecit illa: Tu ergo in accusatoris locum transi, et alius de nobis judicet. Porrò cùm accusatio testibus destitueretur, Præfectas nihil habens quod jure culparet, paulò clementiùs ad aliud crimen se convertit. Ac veluti consulendi gratiâ, tam Olympiadi, quàm reliquis mulieribus amentiam exprobravit, quæ communionem Episcopi sui (*Arsacii in S. Joan. Chrysost. locum intrusi*) aversarentur: Cùm resipiscere ipsis liceret, seque ipsas molestiis omnibus liberare. Sed cæteræ quidem Præfecto ista præcipienti cesserunt. Olympias verò; Minimè æquum est, inquit, ut quæ in multitudine per calumniam capta, in judicio verò nullius criminis convicta sum, ad defensionem trahar querelarum quæ in judicium non venerint. Permitte igitur mihi, ut adversùs priorem accusationem patronos adhibeam. Nam si contra jus ac leges coacta fuero communicare illis quibus non oportet, non faciam id quod piis nefas est facere. Præfectus ergo cùm ei persuadere non posset ut cum Arsacio communicaret, tum quidem eam dimisit quò advocatos suos instrueret. Altero autem die cùm eam exhiberi jussisset, magno auri pondere mulctavit. Sic enim illam à sententia sua sese abducturam putabat. Verùm illa pecunias contemnens, nullatenùs cessit: et relictâ Constantinopoli, in urbe Cyzico domicilium fixit.

Vitæ S. Olympiadis, sanctæ Melaniæ vitam ex Palladii Historia Lausiaca cap. 117. *hîc adjungam.* Beatissima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcellini Exconsulis, uxor cujusdam viri qui erat in magna auctoritate, cujus nominis non rectè memini. Hæc cùm esset vidua agens annum vigesimum secundum, divino amore digna fuit habita, et nemini quidquam dicens: prohibebatur enim iis temporibus, Valente tenente imperium, cùm curasset ut filii sui nominaretur tutor, ipsa acceptis suis mobilibus et in navem injectis cum aliquot famulis et ancillis, cursu navigavit Alexandriam: et cùm illic res suas vendidisset et in aurum minutum convertisset, ingressa est montem Nitriæ, sanctos Patres conveniens, Pambo, et Christi servum Arsisium, et Serapionem magnum, et Paphnutium Scetiotem, et Isidorum confessorem Episcopum Hermipolis, et Dioscorum, et versata est apud eos circiter annum dimidium, obiens soliludinem, et videns omnes sanctos. Post hæc autem cùm Augustalis Alexandriæ relegasset Isidorum, et Pisinium, et Adelphium, et Paphnutium, et Pambo, et inter eos etiam Ammonium unam habentem auriculam, et duodecim Episcopos, et Presbyteros, et Clericos, et Anachoretas, ut essent omnes numero centum viginti sex, in Palæstinam circa Diocæsaream, ipsa eos est secuta, eis ex suis propriis pecuniis subministrans. Cùm autem prohiberentur ministri, ut narrabant: (conveneram enim sanctum Pisinium, Isidorum, et Paphnutium, et Ammonium:) hæc fortis mulier induta servuli caracalla, vespere eis ferebat quæ erant ad usum necessaria. Cùm autem id cognovisset Consularis Palæstinæ, et vellet sinum suum implere, speravit fore ut eam terreret: eamque retentam conjecit in carcerem, ignorans ejus libertatem. Hæc autem significat ei dicens: Ego illius quidem fui filia, hujus verò uxor, qui in terra fuit genere clarus, nunc autem sum Christi ancilla. Neque meum vilem habitum despexeris, possum enim me si velim extollere, nec potes me terrere, neque ex rebus meis aliquid accipere. Ne ergo fortè ignorans in aliquod crimen incidas, quænam sim tibi declaravi. Oportet enim adversùs stolidos tanquam cane et accipitre uti animi elatione et in tempore eorum superbiæ in ipsos immittere. Tunc certè Judex cùm hæc accepisset, se excusavit, et eam oravit: et jussit eam absque ullo impedimento cum sanctis viris versari.

Cap. 119. Beneficiorum enim et largitionum hujus immortalis feminæ non Occidens, non Oriens, non Septentrio fuit expers nec Meridies. Triginta enim et septem annos hospites excipiens, illis ea quæ erant usui, præbuit sumptibus, Ecclesiisque et monasteriis et hospitibus et carceri-

I. Jam, quæso, S. Paulæ vitam attinge : quas illa virtutes habuit à viduis exprimendas?

R. Vitam ejus et mores delineavit S. Hieronymus. Eà de re multa egregiè scripsit, quarum hæc summa est, Paula mortuo marito mox addixit se omnibus Christianæ pietatis operibus. Romæ quinquennium vixit vitam agens monasticam. Hinc majoris solitudinis studio se recepit in Bethlehem, ibique propriis sumptibus multa ædificavit monasteria. Vixit illic parcissimè ac durissimè. Nullum hominem secum unquam adhibuit ad mensam, nec ab ea lege Sacerdotes vel sanctissimos eximi voluit. Totam se dedit orationi, lectioni, institutioni juventutis, aliisque hujusmodi occupationibus, et, ut semel dicam, nullus ex iis qui eam convenit, non est reversus quin aliquam partem ejus opum sit consecutus, suppeditantibus consanguineis, et ipso filio, et procuratoribus quotannis pecunias, et tanquam luculentæ lucernæ oleum ministrantibus, ut fulgido lumine flammam accendens eleemosynæ largitione cunctos illuminaret. Ea autem cùm in hospitalitate adeò perseveraverit, ne palmum quidem terræ possedit. Non abstracta est cupiditate filii ab amore solitudinis, non eam divisit à charitate Christi unigeniti filii desiderium. Sed ejus precibus adolescens et ad summam pervenit doctrinam, moribusque fuit ornatissimus, claroque et illustri fuit matrimonio conjunctus, et mundanos est honores consecutus : qui duos quoque habuit filios, qui testarentur justum matrimonium. Mullis itaque post annis cùm de neptis statu audisset, et eam nupsisse, et velle seculo renuntiare : verita ne fortè in aliquam malam abriperentur doctrinam, vel hæresim, vel malam vitam, anus sexaginta annos nata navem ascendit, et Cæsareâ navigans viginti dierum spatio Romam venit. Atque illic quidem cùm esset, beatissimum virum maximæ existimationis clarissimum Apronianum qui erat gentilis, catechesi instituit, et Christianum fecit, persuasitque ut contineret etiam cum sua uxore, ejus autem sororis filia, Avita nomine. Cùm autem suam quoque neptem confirmasset Melaniam, unà cum ejus marito Piniano, et Catechesi instituisset Albinam nurum suam, uxorem autem sui filii : et persuasisset his omnibus vendere quæ habebant, Româ eos eduxit : et ad honestum ac tranquillum vitæ portum deduxit. Et sic depugnavit adversùs bestias, nempe eos qui erant ordinis Senatorii, et eorum uxores prohibentes eam renuntiare reliquis suis ædibus. Christi autem ancilla eis dicebat : Filii, plusquam quadringentis ab hinc annis scriptum est, *ultima hora est.* (*Joan.* II. 18.) Quid ergo lubentes ac volentes immoramini in vanitate vitæ? Ne fortè veniant dies antichristi, et non possitis frui vestris opibus, et rebus majorum vestrorum? Cumque omnes his verbis liberasset, ad monasticam vitam traduxit, et filium juniorem Publicolam cùm instruxisset, duxit in Siciliam; cumque reliqua omnia sua vendidisset, et pretium accepisset, duxit Hierosolyma, et cùm facultates divisisset, intra quadraginta dies dormiit in bona senectute, et summa mansuetudine, et veneranda memoria, eleemosynis redundans, relicto etiam monasterio Hierosolymis, et sumptibus monasterii. Postquam autem hi omnes Româ abscessissent qui Catechesi instituti fuerant à beata Melania, barbarica quædam procella, quæ etiam in Prophetis jam olim posita fuerat, in Romam irruit : nec æneas quidem statuas, relinquit in foro, sed omnia, barbaricâ diripiens insolentia corrupit : adeò ut Roma quæ mille et ducentis annis pulcherrima fuerat et frequentissima, diruueretur, fieretque deserta, et ut ait Sibylla, *Rume*, hoc est vicus, non Roma. Tunc qui Catechesi fuerant instituti, ei minimè adversati, Deum laudaverunt, qui rerum mutatione persuasisset incredulis, quòd aliis omnibus redactis in servitutem, æ solæ salvæ fuerint familiæ quæ Domino fuerunt holocausta studio beatæ Melaniæ, cùm cæteri qui eorum saluti adversabantur, eorum inutili pœnitentiâ delinerentur.

pationibus. Præsertim verò filiam Eustochium quæ et ipsa eminuit sanctitate, sic formavit ad omne opus bonum, ut ipsa illa sanctæ virginis institutio proponi debeat in exemplum matribus omnibus Christianis. Legatur ea de re S. Hieronymus. Habent hîc sanè viduæ satis superque quod imitentur. (Q)

(Q) S. Hieron. *Epist.* 86. *alias* 27. *ad Eustochium, Epitaph. Paulæ.* Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, et omnes artus humanâ voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem. Nobilis genere, sed multò nobilior sanctitate; potens quondam divitiis, sed nunc Christi paupertate insignior; Gracchorum stirps, soboles Scipionum: Pauli hæres cujus vocabulum trahit, Martiæ Papyriæ matris Africani vera et germana progenies, Romæ prætulit Bethlehem: et auro tecta fulgentia, infirmis luti vilitate mutavit. Non mœremus quòd talem amisimus: sed gratias agimus quòd habuimus, imò habemus. Deo enim vivunt omnia; et quidquid revertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur. Quanquam amissio illius, cœlestis domûs habitatio sit: quæ quandiu in corpore fuit, peregrinata est à Domino, et voce semper flebili querebatur, dicens: *Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea.* * (*Psal.* CXIX. 5.) Nec mirum si planxerit se versari in tenebris, (hoc enim Cedar interpretatur,) cùm mundus in maligno positus sit: et sicut tenebræ illius, ita et lumen ejus: luxque in tenebris lucebat, et tenebræ eam non comprehenderunt. (*Joan.* I. 5.) Undè et illud crebriùs inferebat: *advena sum et peregrina sicut omnes patres mei.* (*Psal.* XXXVIII. 13.) Et iterùm: *cupio dissolvi et esse cum Christo.* (*Philip.* I. 13.) Quoties autem infirmitate corpusculi (quam incredibili abstinentiâ, et duplicatis contraxerat jejuniis) vexabatur, hoc in ore volvebat: *subjicio corpus meum, et in servitutem redigo: ne aliis prædicans, ipsa reproba inveniar.* (1. *Cor.* IX. 27.) Et: *bonum est vinum non bibere, et carnem non manducare.* (*Rom.* XIV. 21.) Et: *Humiliavi in jejunio animam meam; et totum lectum meum versasti in infirmitate mea, et versata sum in miseria, dum mihi configitur spina.* (*Psal.* XXXIV. 13. *Psal.* XL. 4. *Psal.* XXXI. 4.) Atque inter doloris aculeos, quos mirâ patientiâ substinebat, quasi apertos sibi cœlos aspiceret, loquebatur: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* (*Psal.* LIV. 7.)

Testor Jesum et sanctos ejus, ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit et comes admirabilis feminæ, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui: sed quidquid dicturus sum, pro testimonio dicere; et minus ejus esse meritis, quam totus orbis canit, Sacerdotes mirantur, Virginum chori desiderant, Monachorum et pauperum turbæ deplangunt. Vis, lector, ejus breviter scire virtutes? Omnes suos pauperes, pauperior ipsa dimisit. Nec mirum, de proximis et familiola quam in utroque sexu de servis et ancillis in fratres sororesque mutaverat, ista proferre; cùm Eustochium virginem, et devotam Christi filiam, in cujus consolationem libellus hic cuditur, procul à nobili genere, solâ fide et gratiâ divitem reliquerit.

Carpamus igitur narrandi ordinem. Alii altius repetant, et à cunabilis ejus, ipsisque (ut ita dicam) crepundiis matrem Blesillam, et Rogatum proferant patrem: quorum altera Scipionum Gracchorumque progenies est: alter per omnes ferè Græcias usque hodiè stemmatibus et divitiis, ac nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere, qui decennali Trojam obsidione delevit.... Cunctorum virtutes et potentias sua humilitate superavit, minimaque fuit inter omnes, ut omnium major esset.... Tali igitur stirpe generata, juncta est viro Toxotio, qui Æneæ et Juliorum altissimum sanguinem trahit. Undè etiam filia ejus Christi virgo Eustochium, Julia nuncupatur: et ipse Julius à magno demissum nomen Julo. Et hæc dicimus, non quòd habentibus grandia sint, sed quo contemnentibus mirabilia. Seculi homines suscipiunt eos, qui his pollent privilegiis. Nos laudamus, qui pro Salvatore ista despexerint.... His, inquam, orta majoribus, et fecunditate ac pudicitiâ probata: pri-

mùm viro, deindè propinquis, et totius urbis testimonio, cùm quinque liberos edidisset, Blesillam, super cujus morte eam Romæ consolatus sum; Paulinam, quæ sanctum et admirabilem virum, et propositi et rerum suarum Pammachium reliquit hæredem, ad quem super obitu ejus parvulum libellum edidimus; Eustochium, quæ nunc in sanctis locis virginitatis et Ecclesiæ monile pretiosum est; Rufinam, quæ immaturo funere pium matris animum consternavit; et Toxolium, post quem parere desiit; ut intelligeres eam non diu servire voluisse officio conjugali, sed mariti desiderio, qui marem optabat, liberos edidisse.

Postquam vir mortuus est, ita eum planxit ut propè ipsa moreretur: ita se convertit ad Domini servitutem, ut ejus mortem videretur optasse. Quid ego referam, amplæ et nobilis domûs, et quondam opulentissimæ, omnes penè divitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum et bonitatem etiam in eos quos nunquam viderat evagantem? Quis inopum moriens, non illius vestimentis obvolutus est? Quis clinicorum non ejus facultatibus sustentatus est? Quos curiosissime totâ urbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis et esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, et inter objurgantes propinquos, majorem se eis hæreditatem, Christi misericordiam, dimittere loquebatur.

Nec diu potuit excelsi apud seculum generis, et nobilissimæ familiæ visitationes et frequentiam sustinere. Mœrebat honore suo, et ora laudantium declinare ac fugere festinabat. Cumque Orientis, et Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam imperiales litteræ contraxissent, vidit admirabiles viros, Christique Pontifices, Paulinum Antiochenæ urbis Episcopum, et Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur; quorum Epiphanium etiam hospitem habuit; Paulinum in aliena manentem domo, quasi proprium, humanitate possedit. Quorum accensa virtutibus, per momenta patriam descrere cogitabat. Non domûs, non liberorum, non familiæ, non possessionum, non alicujus rei, quæ ad seculum pertinet, memor, sola (si dici potest) et incomitata, ad eremum Antoniorum atque Paulorum pergere gestiebat. Tandemque exactâ hyeme, aperto mari, redeuntibus ad Ecclesias suas Episcopis, et ipsa voto cum eis ac desiderio navigavit. Quid ultrà differo? Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, et (quod id majus est) liberis prosequentibus, et clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Jam carbasa tendebantur, et remorum ductu navis in altum protrahebatur. Parvus Toxolius supplices manus tendebat in littore. Rufina jam nubilis, ut suas exspectaret nuptias, lacens fletibus obsecrabat. Et tamen illa siccos tendebat ad cœlum oculos, pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, ut Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera, et quasi à suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior, quod magnam vinceret charitatem. Inter hostium manus et captivitatis duram necessitatem nihil crudelius est, quàm parentes à liberis separari. Hoc contra jura naturæ plena fides patiebatur, imò gaudens animus appetebat: et amorem filiorum majore in Deum amore contemnens, in sola Eustochio, quæ et propositi et navigationis ejus comes erat, acquiescebat. Sulcabat interim navis mare, et cunctis qui cum ea vehebantur littora respicientibus, ipsa aversos tenebat oculos, ne videret quos sine tormento videre non poterat. Fateor, nulla sic amavit filios; quibus antequam proficisceretur, cuncta largita est: exhæredans se in terra, ut hæreditatem inveniret in cœlo.

Delata ad insulam Pontiam, quam clarissimæ quondam feminarum sub Domitiano principe pro confessione nominis Christiani, Flaviæ Domitillæ nobilitavit exilium; vidensque cellulas in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis, Jerosolymam et sancta loca videre cupiebat. Tardi erant venti, et omnis pigra velocitas.... Tandem vidit Cyprum, ubi sancti et venerabilis Epiphanii pedibus provoluta, decem ab eo diebus retenta est; non in refectionem, ut ille arbitrabatur, sed in opus Dei, ut re comprobatum est. Nam omnia illius regionis lustrans monasteria, prout potuit, refrigeria sumptuum fratribus dereliquit, quos amor sancti viri de toto illuc orbe conduxerat. Indè brevi cursu

tranfretavit Seleuciam ; de qua ascendens Antiochiam, sancti Confessoris Paulini modicùm charitate detenta, mediâ hieme, calente ardore fidei, femina nobilis, quæ priùs Eunuchorum manibus portabatur, asello sedens profecta est..... Ingressa est Jerosolymam.... Cùmque proconsul Palæstinæ, qui familiam ejus optimè noverat, præmissis apparitoribus jussisset parari prætorium, elegit humilem cellulam : Et cuncta loca tanto ardore ac studio circumivit, ut nisi ad relinqua festinaret, à primis non posset abduci. Prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingressa sepulcrum, resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat Angelus. Et ipsum corporis locum in quo Dominus jacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, fideli ore lambebat. Quid ibi lacrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Jerosolyma, testis est ipse Dominus, quem rogabat.... Deindè pro facultatula suâ, pauperibus atque conservis pecunia distributa.... In Bethlehem ingressa, et in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum virginis diversorium, et stabulum in quo *agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui....* (*Isai.* 1. 3.) Me audiente jurabat, cernere oculis fidei infantem pannis involutum : vagientem in præsepi Dominum ; Magos adorantes.... Et ego misera, atque peccatrix, digna sum judicata deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit? orare in spelunca, in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem? *Hæc requies mea,* quia Domini mei patria est. *Hîc habitabo,* (*Ps.* CXXXI. 14.) quoniam Salvator elegit eam.... Transiit in Ægyptum, et cùm Nitriam vidisset, occurrente sibi sancto et venerabili Episcopo Isidoro Confessore, et turbis innumerabilibus Monachorum, ex quibus multos Sacerdotalis et Leviticus sublimabat gradus, lætabatur quidem ad gloriam Domini, sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ergo narrem Macarios, Arsenios, Serapionas, et reliqua columnarum Christi nomina? Cujus non intravit cellulam? quorum pedibus non advoluta est? Per singulos sanctos Christum se videre credebat : et quidquid in illos contulerat, in Dominum contulisse lætabatur. Mirus ardor, et vix in femina credibilis fortitudo. Oblita sexûs et fragilitatis corporeæ, inter tot millia Monachorum cum puellis suis habitare cupiebat. Et forsitan cunctis eam suscipientibus imperasset, ni majus sanctorum Locorum retraxisset desiderium. Atque propter ferventissimos æstus de Pelusio Maiomam navigatione perveniens, tantâ velocitate reversa est, ut avem putares. Nec multò post in sancta Bethlehem mansura perpetuò, angusto per triennium mansit hospitiolo ; donec exstrueret cellulas ac Monasteria, et diversorum peregrinorum juxta viam conderet mansiones in qua Maria et Joseph hospitium non invenerant. Huc usque iter ejus descriptum sit, quod multis virginibus et filiâ comite peragravit : nunc virtus latiùs describatur.... Quæ prima Christianorum virtus est, tantâ se humilitate dejecit, ut qui eam non vidisset, et pro celebritate nominis videre gestisset, ipsam esse non crederet, sed ancillularum ultimam. Et cum frequentibus choris virginum cingeretur, et veste et voce et habitu et incessu minima omnium erat : nunquam post viri mortem usque ad diem dormitionis suæ cum ullo comedit viro, quamvis eum sanctum et in Pontificali sciret culmine constitutum. Balneas, nisi periclitans non adiit. Mollia, etiam in gravissima febre, lectuli strata non habuit ; sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat, si tamen illa quies dicenda est quæ jugibus penè orationibus dies noctesque jungebat ; illud implens de Psalterio, *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* (*Ps.* VI. 7.) In qua fontes crederes lacrymarum, ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cùmque à nobis crebriùs moneretur, ut parceret oculis, et eos servaret Evangelicæ lectioni, aiebat : Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso et cerussâ et stibio sæpè depinxi. Affligendum corpus quod multis vacavit deliciis. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina et seriea pretiosissima asperitate cilicii commutanda. Quæ viro et seculo placui, nunc Christo placere desidero. Si inter tales tantasque virtutes castitatem in illa voluero prædicare, superfluus videar : in qua etiam cùm secularis esset, omnium Romæ matronarum exemplum fuit ; quæ ita se gessit, ut nunquam de illa etiam ma-

ludicrorum quidquam auderet fama confingere. Nihil animo ejus clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Non appetebat potentes : nec tamen superbos et gloriolam quærentes fastigio despiciebat. Si pauperem videbat, sustentabat; si divitem, ad benefaciendum hortabatur. Liberalitas sola excedebat modum : et usuras tribuens, versuram quoque sæpiùs faciebat, ut nulli stipem rogantium denegaret. Fateor errorem meum : cùm in largiendo esset profusior, arguebam, illud proferens de Apostolo : *Non ut aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio : sed ex æqualitate in hoc tempore, ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam, et illorum abundantia sit ad vestram inopiam* (2. *Cor.* VIII. 13. *et* 14.) : Et hoc de Evangelio Salvatoris : *Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti* (*Luc.* III. 11.) ; et providendum esse, ne quod libenter faceret, semper facere non posset : multaque hujuscemodi, quæ illa mirà verecundià et sermone parcissimo dissolvebat : testem invocans Deum, se pro illius nomine cuncta facere ; et hoc habere voti, ut mendicans ipsa moreretur, ut unum nummum filiæ non dimitteret, et in funere suo alienâ sindone involveretur. Ad extremum inferebat : Ego si petiero, multos inveniam qui mihi tribuant : iste mendicans si à me non acceperit quæ ei possum etiam de alieno tribuere, et mortuus fuerit, à quo ejus anima requiretur ? Ego cautiorem in re familiari esse cupiebam ; sed illa ardentior fide, toto Salvatori animo jungebatur ; et pauperem Dominum pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pauper pro ipso effecta. Denique consecuta est quod optabat, et in grandi ære alieno filiam dereliquit, quod huc usque debens non suis viribus, sed Christi se confidit misericordià redditurum.

Solent pleræque matronarum buccinatoribus suis dona conferre, et in paucos largitate profusà, manum à cæteris retrahere : quo illa omninò carebat vitio. Ita enim singulis suam pecuniam dividebat, ut singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nemo ab ea pauperum vacuus reversus est. Quod obtinebat, non divitiarum magnitudine, sed prudentiâ disponendi ; illud semper replicans : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* V. 7.) : » et, « Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum : » (*Eccli.* III. 33.) et, « Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula (*Luc.* XVI. 9.) : et, Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis : » (*Ibid.* 12.) et verba Danielis IV. 24., regem Nabuchodonosor monentis, ut eleemosynis redimeret peccata sua. Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra et seculo transituri sunt : sed in vivis lapidibus, qui volvuntur super terram, de quibus in Apocalypsi Joannis, civitas magni regis exstruitur.. (*Apoc.* XVI. 21. *et* 22.) Tantæ continentiæ fuit, ut propè mensuram excederet, et debilitatem corporis nimiis jejuniis ac labore contraheret. Quæ, exceptis diebus festis, vix oleum in cibo caperet ; ut ex hoc uno æstimetur, quid de vino et liquamine, et piscibus, et melle, et reliquis quæ gustui suavia sunt, judicarit. In quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant, et si his ventrem ingurgitaverint, tutam pudicitiam suspicantur... Dicam et de ordine Monasterii... Post virorum monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines quas è diversis Provinciis congregaverat, tam nobiles quàm medii et infimi generis, in tres turmas monasteriaque divisit : ita duntaxat, ut in opere et in cibo separatæ, psalmodiis et orationibus jungerentur. Post *alleluia* cantatum (quo signo vocabantur ad collectam,) nulli residere licitum erat. Sed prima, seu inter primas veniens, cæterarum opperiebatur adventum, pudore et exemplo ad laborem eam provocans, non terrore. Manè, horà tertià, sextà, nonà, vesperè, noctis medio per ordinem Psalterium cantabant : nec licebat cuiquam Sororum ignorare psalmos, et non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantùm Dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cujus habitabant latere : et unumquodque agmen matrem propriam sequebatur ; atque indè pariter revertentes, instabant operi distributo, et vel sibi, vel cæteris indumenta faciebant. Si qua erat nobilis, non permittebatur de domo sua habere comitem, ne veterum actuum memor, et lascivientis infantiæ errorem refricaret antiquum, et crebrà confabulatione renovaret. Unus omnium habitus. Lintamine ad tergen-

das solùm manus utebantur. A viris tanta separatio, ut à spadonibus quoque eas sejungeret, ne ullam daret occasionem linguæ maledicæ, quæ sanctos carpere solita est in solatium delinquendi. Si qua vel tardior veniebat ad Psalmos, vel erat in opere pigrior, variis eam modis aggrediebatur: Si erat iracunda, blanditiis; si paliens, correptione; illud Apostoli imitans: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis et mansuetudinis?* (1. *Cor.* IV. 21.) Excepto victu et vestitu, nullam habere quidquam patiebatur, dicente Paulo: *Habentes victum et vestitum, his contenti sumus;* (1. *Tim.* IV. 8.) ne consuetudine plus habendi præberet locum avaritiæ, quæ nullis expletur opibus; et quantò amplius habuerit, plus requirit; et neque copiâ neque inopiâ minuitur. Jurgantes inter se sermone lenissimo fœderabat. Lascivientem adolescentularum carnem crebris et duplicatis frangebat jejuniis, malens eis stomachum dolere quàm mentem. Si vidisset aliquam comptiorem, contractione frontis et vultûs tristitiâ arguebat erraniem, dicens, mundiliam corporis atque vestitus, animæ esse immunditiam: et turpe verbum atque lascivum nunquam de ore virgineo proferendum: quibus signis libidinosus animus ostenditur: et per exteriorem hominem interioris hominis vitia demonstrantur. Quam linguosam, garrulam ac procacem, rixisque perspexerat delectari, et sæpiùs commonitam nolle converti, inter ultimas et extra conventum Sororum, ad fores triclinii orare faciebat, et separatim cibum capere: ut quam objurgatio non correxerat emendaret pudor. Furtum quasi sacrilegium detestabatur; et quod inter seculi homines vel leve putatur vel nihil, hoc in Monasterio gravissimum dicebat esse delictum. Quid memorem clementiam et sedulitatem in ægrotantes, quas miris obsequiis et ministeriis confovebat? Cumque aliis languentibus largè præberet omnia, et esum quoque exhiberet carnium: si quando ipsa ægrotasset, sibi non indulgebat: et in eo inæqualis videbatur, quòd in aliis clementiam, in se duritiam commutabat.

Nulla juvenum puellarum sano et vegeto corpore tantæ se dederat continentiæ, quantæ ipsa fracto et senili debitaloque corpusculo. Fateor, in hac re pertinacior fuit, ut sibi non parceret, et nulli cederet admonenti. Referam quod expertus sum: mense Julio ferventissimis æstibus incidit in ardorem febris, et post desperationem cùm Dei misericordiâ respirasset, et medici persuaderent ob refectionem corporis vino opus esse tenui et parco, ne aquam bibens in hydropem verteretur; et ego clam beatum Papam Epiphanium rogarem, ut eam moneret, imò compelleret vinum bibere: illa ut erat prudens et solertis ingenii, statim sensit insidias: et subridens, meum esse quod ille diceret intimavit. Quid plura? Cùm beatus Pontifex post multa hortamenta exisset foràs, quærenti mihi quid egisset, respondit: Tantum profeci, ut seni homini penè persuaserim, ne vinum bibam. Hæc refero, non quòd inconsideranter et ultra vires sumpta onera probem, monente Scripturâ, *Super te onus ne levaveris*: sed quòd mentis ejus ardorem, et desiderium fidelis animæ, ex hac quoque probare velim perseverantiâ decantantis, *Sitivit anima mea in te, quàm multipliciter tibi caro mea....* (*Ps.* LXII. 2.) Quæ in contemptu ciborum tantam habebat pertinaciam, in luctu mitis erat; et suorum mortibus frangebatur, maximè liberorum. Nam et in viri et filiarum dormitione semper periclitata est. Et cùm os stomachumque signaret, et matris dolorem crucis niteretur impressione lenire; superabatur affecta, et credulam mentem, parentis viscera consternabant: animoque vincens, fragilitate corporis vincebatur. Quam semel languor arripiens, longo tempore possidebat: ut nobis inquietudinem, et sibi discrimina offerret. In quo illa lætabatur, per momenta commemorans: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.....* (*Rom.* VII. 24.) Nihil ingenio ejus docilius fuit. Tarda erat ad loquendum, velox ad audiendum; memor illius præcepti, *Audi Israël, et tace.* (*Exod.* XIV. 13.) Scripturas sanctas tenebat memoriter. Et cùm amaret historiam, et hoc veritatis diceret fundamentum; magis tamen sequebatur intelligentiam spiritualem: et hoc culmine ædificationem animæ protegebat. Denique compulit me, ut vetus et novum instrumentum cum filia, me disserente, perlegeret.... Hebræam linguam discere voluit, et consecuta est: ita ut Psalmos ite-

I. Superest ut et S. Marcellæ vitam nobis exhibeas, proponasque hoc ultimum exemplum viduis Christianis?

R. Paucis expedio quod eâ de re S. Hieronymus multò fusiùs scripsit. Hæc simul orbata patre et viro, cui non ante menses septem nupserat, non flecti potuit unquam ut nuberet iterùm Cereali, qui quidquid habebat (habebat autem opes amplissimas) voluit in eam conferre. Mundum omnem muliebrem vendidit, et pauperibus erogavit. Hoc unum egit ut jejuniis et omni castigationum genere corpus attereret, et faciem cujus erat egregia forma deturparet. Vestis ejus modesta et simplex. Nunquam sine teste collocuta est cum ullo Clerico aut Monacho. Nullam ad suum consortium feminam adhibuit, nisi virginem aut viduam, cujus esset perspecta virtus et sanctitas. Rarò prodibat in publicum. Si qua femina nobilis mundi vanitatibus et pompis delectabatur, hanc fugiebat, ad ejus domum ne accedebat quidem. Ejus oratio ferè continua: cumque dies non sufficerent, etiam nocte sæpiùs orando transigebat. (R)

braïcè caneret, et sermonem absque ulla Latinæ linguæ proprietate perquaeret. Quod quidem usque hodie in sancta filia ejus Eustochio cernimus; quæ ita semper adhæsit matri, et ejus obedivit imperiis, ut nunquam absque ea cubaret, nunquam procederet, nunquam cibum caperet, ne unum quidem nummum haberet potestatis suæ, sed et paternam et maternam substantiolam à matre distribui pauperibus lætaretur; et pietatem in parentem, hæreditatem maximam et divitias crederet... In hoc solo, patriæ desiderium habuit, ut filium, nurum, neptem, renuntiasse seculo, et Christo servire cognosceret. Quod et impetravit ex parte. Nam neptis Christi flammeo reservatur. Nurus æternæ se tradens pudicitiæ, socrûs opera, fide et eleemosynis sequitur, et Romæ conatur exprimere quod Jerosolymis illa complevit.... Incidit in gravissimam valetudinem, imò quod optabat invenit, ut nos desereret, et plenius Domino jungeretur... Sentiebat prudentissima feminarum adesse mortem, et frigente aliâ parte corporis atque membrorum, solum animæ teporem in sacro pectore palpitare; et nihilominùs quasi ad suos pergeret, alienosque desereret, illos versiculos susurrabat (*Ps.* XXV. 8.): *Domine, dilexi decorem domûs tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ:* et, (*Ps.* LXXXIII. 1.) *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria Domini:* et (*Ibid.* 11.), *Elegi abjecta esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Cumque à me interrogaretur, cur taceret, cur nollet respondere, an doleret aliquid: Græco sermone respondit, nihil se habere molestiæ; sed omnia quieta et tranquilla perspicere. Post hæc obmutuit, et clausis oculis, quasi jam mortalia despiceret, usque ad exspirationem animæ eosdem repetebat versiculos; ut quod dicebat, vix audire possemus. Digitumque ad os tenens, crucis signum pingebat in labiis. Defecerat spiritus, et anhelabat in mortem: animaque erumpere gestiens, ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini convertebat.

(R) S. HIERON. *Epist.* 96. *aliàs* 16. *ad Principiam, virg. Marcellæ viduæ Epitaph.* Neque verò Marceliam tuam, imò meam; et ut veriùs loquar, nostram, omniumque Sanctorum, et propriæ Romanæ urbis inclytum decus institutis Rhetorum prædicabo, ut exponam illustrem familiam, alti sanguinis decus, et stemmata per Consules et Præfectos prætorio decurrentia. Nihil in illa laudabo, nisi quod proprium est, et eò nobilius quòd opibus et nobilitate contempta, facta est paupertate et humilitate nobilior. Orba patris morte, viro quoque post nuptias septimo mense privata est. Cùmque eam Cerealis (cujus clarum inter Consules nomen est) propter ætatem et antiquitatem familiæ, et insignem (quod maximè viris placere consuevit) decorem corporis, ac morum

Qualia Exempla ! O utinam illa, Deo miserante, imitentur viduæ nostrâ ætate non paucæ ?

temperantiam ambitiosiùs peteret ; suasque longævus polliceretur divitias, et non quasi in uxorem sed quasi in filiam vellet donationem transfundere : Albinaque mater tum clarum præsidium viduatæ domûs ultrò appeteret, illa respondit : Si vellem nubere, et non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, utique maritum quærerem, non hæreditatem. Illoque mandante, posse et senes diù vivere, et juvenes citò mori, eleganter lusit : Juvenis quidem potest citò mori, sed senex diù vivere non potest. Quâ sententiâ repudiatus, exemplo cæteris fuit, ut ejus nuptias desperarent... Difficile est in maledica civitate, et in urbe in qua Orbis quondam populus fuit, palmaque vitiorum, si honestis detraherent, et pura ac munda macularent, non aliquam sinistri rumoris fabulam contraherc... Quis unquam de hac muliere, quod displiceret, audivit, ut crederet ? Quis credidit, ut non magis seipsum malignitatis et infamiæ condemnaret ? Ab hac primùm confusa gentilitas est, dum omnibus patuit quæ esset viduitas Christiana, quam et conscientiâ et habitu promittebat.

Quæ sequuntur habes supra litt. (G) *hocce §. Deindè pergit S. Hieron.*

Denique cùm et me Romam cum sanctis Pontificibus Paulino et Epiphanio Ecclesiastica traxisset necessitas (quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri rexit Ecclesiam) ; et verecundè nobilium feminarum oculos declinarem, ita egit secundùm Apostolum *importunè*, *opportunè* (2. *Tim.* IV. 2.), ut pudorem meum suâ superaret industriâ. Et quia alicujus tunc nominis esse existimabar super studio Scripturarum, nunquam convenit, quin de Scripturis aliquid interrogaret : nec statim acquiesceret, sed moveret de contrario quæstiones; non ut contenderet, sed ut quærendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat. Quid in illa virtutum, quid ingenii, quid sanctitatis, quid puritatis invenerim, vereor dicere ; ne fidem credulitatis excedam, et tibi majorem dolorem incutiam, recordanti quanto bono careris. Hoc solum dicam, quòd quidquid in nobis longo fuit studio congregatum, et meditatione diuturnâ quasi in naturam versum, hæc illa libavit, hoc didicit atque possedit : ita ut post profectionem nostram, si de aliquo testimonio Scripturarum esset obortа contentio, ad illam judicem pergeretur. Et quia valdè prudens erat, et noverat illud quod appellant Philosophi *to prepon*, id est, *decere* quod facias ; sic ad interrogata respondebat, ut etiam sua, non sua diceret, sed vel mea, vel cujuslibet alterius : ut in eo ipso quod docebat se discipulam fateretur. Sciebat enim dictum ab Apostolo (1. *Tim.* II. 12.), *Docere autem mulieri non permitto;* ne virili sexui, et interdum Sacerdotibus de obscuris et ambiguis sciscitantibus, facere videretur injuriam. In nostrum locum statim audivimus te illius adhæsisse consortio, et nunquam ab illa ne transversum quidem unguem, ut dicitur, recessisse : eâdem domo, eodem cubiculo usam, ut omnibus in urbe clarissima notum fieret, et te matrem, et illam filiam reperisse. Suburbanus ager vobis pro monasterio fuit, et rus electum pro solitudine. Multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri, conversatione multarum gauderemus Romam factam Jerosolymam. Crebra virginum monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo : ut pro frequentia servientium Deo, quod priùs ignominiæ fuerat, esset posteà gloriæ.... Terribilis de Occidente rumor affertur, obsideri Romam, et auro salutem civium redimi, spoliatosque rursùm circumdari, ut post sustantiam, vitam quoque perderent.... In tanta confusione rerum Marcellæ quoque domum cruentus victor ingreditur. Sit mihi fas audita loqui, imò à sanctis viris visa narrare, qui interfuere præsentes, qui te dicunt in periculo quoque ei fuisse sociatam. Intrepido vultu excepisse dicitur introgressos : cumque poscerctur aurum, et defossas opes vili excusarel tunicâ, non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis. Cæsam fustibus flagellisque aiunt non sensisse tormenta : sed hoc lacrymis, hoc pedibus eorum prostratam egisse, ne te à suo consortio separarent ; ne substineret adolescentia, quod senilis ætas timere non poterat. Christus dura corda mollivit, et

inter cruentos gladios invenit locum pietas. Cumque et illam et te ad Apostoli Pauli Basilicam barbari deduxissent, ut vel salutem vobis ostenderent, vel sepulcrum: in tantam lætitiam dicitur erupisse, ut gratias ageret Deo, quòd te integram sibi reservasset; quòd pauperem illam non fecisset captivitas, sed invenisset; quòd egeret quotidiano cibo; quòd saturata Christo non sentiret esuriem; quòd et voce et opere loqueretur, *Nuda exivi de utero matris meæ, nuda et redeam. Sicut Domino visum est, ita et factum est: sit nomen Domini benedictum.* (*Job.* I. 21.) Post aliquot dies sano, integro, vegetoque corpusculo obdormivit in Domino: et te paupertatulæ suæ, imò per te pauperes reliquit hæredes, claudens oculos in manibus tuis, reddens spiritum in tuis osculis; dum inter lacrymas tuas illa rideret conscientia vitæ bonæ, et præmiis futurorum.

FINIS TOMI NONI.

INDEX

TOMI NONI.

TERTIÆ PARTIS SECTIO PRIMA.

CAPUT VI. *De Sacramento Extremæ-unctionis.* Pag. 1

§. 1. De præcedentibus hujus Sacramenti administrationem, ac primò de Morbo. 1

§. 2. Quæ regulæ servandæ sunt in testamento faciendo. 7

§. 3. De iis quæ ad ipsum Extremæ-unctionis Sacramentum attinent. 16

§. 4. De effectibus hujus Sacramenti, et de cæteris rebus quæ spectant ad hujus administrationem vel susceptionem. 33

CAPUT VII. *De Sacramento Ordinis.*

§. 1. Quid sit Sacramentum Ordinis : quis hujus sacramenti minister : quis effectus. Quot Ordinum Gradus. 44

§. 2. De Irregularitatibus Canonicis, quæ arcent ab Ordinibus et à Clericatu. 56

§. 3. De dotibus et dispositionibus requisitis ad statum Clericalem. Item de vocatione ad hunc statum. 81

§. 4. De Tonsura Clericali. 106

§. 5. De Beneficiis Ecclesiasticis. Quæ sint munera et officia Collatorum Patronorum eligentium ad Beneficia. 114

§. 6. De Simonia, et Confidentia. 117

§. 7. Quæ sint Beneficiariorum officia. Quæ legitima Beneficiorum administratio. 131

§. 8. De minoribus Ordinibus, officiisque eorum. 135

§. 9. De majoribus Ordinibus in genere ; et de Cælibatu iis annexo. 144

§. 10. De Titulo Beneficii vel Patrimonii requisito ad Subdiaconatum, cæterosque majores Ordines. 153

§. 11. De Officiis et virtutibus Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum et Episcoporum. 156

§. 12. Explicantur præcipui ritus Ordinationum. 169

§. 13. Explicantur præcipui ritus Consecrationis seu Ordinationis Electi in Episcopum. 190

§. 14. Quid debeat populus Episcopis, Presbyteris, cæterisque Ecclesiæ Ministris. 200

§. 15. De statu Religioso. Quâ mente statum hunc amplecti oporteat. Quid facto opus sit ut rectè et sanctè in eo vivatur. 205

CAPUT VIII. *De Sacramento Matrimonii.*

§. 1. De Matrimonio in genere. 226
§. 2. De Matrimonio quatenùs Sacramentum est. 238
§. 3. De Impedimentis matrimonii, ac primò de dirimentibus. Cur isthæc impedimenta apposita sint. 247
§. 4. De Impedimentis non dirimentibus Matrimonium jam contractum. 261
§. 5 Quæ sint dispositiones et præparationes præviæ ad Matrimonium. Quomodo agendus sit nuptiarum dies. 269
§. 6. Quæ sint Conjugatorum inter se Officia. 280
§. 7. Quæ sint Officia Conjugatorum circa liberos. 306
§. 8. Quæ sint Officia Conjugatorum erga famulos. 324
§. 9. De Divortio. 328
§. 10. Quæ sint Officia Conjugum, instante morbo alterius conjugis. Quæ Viduorum vel Viduarum Officia. 363

FINIS INDICIS TOMI NONI.

1071